UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu Tractatus Canonico-Civilis

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

urn:nbn:de:hbz:466:1-61662

Visual Library

Th. 4755.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. II
21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# FORUM COMPETENS

Quæstionibus ex Universo Jure selectis,
atque ad praxin utilissimis illustratum,
*Seu*

# TRACTATUS CANONICO-CIVILIS,

*In quo*

Primùm quidem de Foro in genere:
déin verò de Ordinario, eóque tum Communi Domicilij, Contractûs, Delicti, reíque sitæ; tum etiam singulari, quod certis Personis privilegiatis competit; uti etiam de Extraordinario Prorogationis, Delegationis, Connexionis, seu Continentiæ Causarum, & Reconventionis: ac demum etiam de Causis, quæ privativè ad Forum vel Seculare, vel Ecclesiasticum pertinent, vel cumulativè ad utrumque, accuratè disputatur,

Collegii Soc. Jesu Paderborna 1736.

*AUCTORE*

P. MELCHIORE FRIDERICH
Societatis Jesu Sacerdote, & SS. Canonum in Universitate Ingolstadiana Professore.

*Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Cæsareo.*

INGOLSTADII,
Sumptibus Joannis Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academici.
Typis Thomæ Graſs, Typographi Academici
*ANNO 1709.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Facultas
# R. P. Provincialis

*Cum Privilegio Cæsareo.*

EGo Josephus Preiss Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Adm. Rev. P. N. Michaële Angelo Tamburino Præposito universæ Societatis Generali, facultatem indulgeo Domino Joanni Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academico Ingolstadiensi imprimendi librum, cui titulus: *Forum Competens Selectis ex universo Jure, quæstionibus illustratum*, à P. Melchiore Friderich Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, & ab alijs ejusdem Societatis Patribus revisum probatúmque. Insuper potestatem Eidem facio usurpandi Jus Privilegij Cæsarei, quo Typographis & Bibliopolis prohibetur, ne vulgatos à Societatis JESU Patribus libros absque Superiorum Auctorúmque consensu recudant, vel intra fines S. R. J. hæreditariásque S. C. Majestatis Provincias importent. Facultatem istam de una duntaxat impressione intellectam manu mea, & consueto Officij sigillo firmavi, Monachij 24. Aug. 1708.

L. S.

Josephus Preiss.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# ELENCHUS

## Omnium Capitum & Paragraphorum

# De Foro Competente,

## PARS I.

## De Foro Competente in genere.

### CAPUT I.


*De Fori Competentis natura & multiplici specie.* fol. 1.
*§. I. Fori Etymologia & Descriptio.* fol. 1.
*§. II. Fori Competentis Divisio.* fol. 4.


### CAPUT II.


*De obligatione sequendi Forum Competens.* fol. 8.
*§. I. Competentia Fori unde cognoscatur?* fol. 8.
*§. II. An detur obligatio respondendi in foro non competente?* fol. 9.
*§. III. Citatus ad Forum non Competens an teneatur respondere?* fol. 12.
*§. IV. An Judex possit cognoscere de competentia sui Fori?* fol. 16.


### CAPUT III.


*De limitibus Fori Competentis.* fol. 28.
*§. I. An Judex extra suum territorium existens jurisdictionem in suos subditos exercere possit?* fol. 28.
*§. II. An lex & præceptum ferri possit subditis in alieno territoro existentibus?* fol. 35.
*§. III. An Judex contra suos subditos in alieno territorio existentes procedere possit?* fol. 45.
*§. IV. An Jurisdictio voluntaria in subditos alibi existentes exerceri possit?* fol. 50.
*§. V. An subditi unius territorij, dum illo absunt, forum sortiantur in alieno?* fol. 54.


Ex-

§. VI. Exceptio Fori declinatoria quomodo sit proponenda? fol. 62.
§. VII. Sitne desumenda Fori Competentia à persona Rei, an ab actoris? fol. 68.

# PARS II.

## De Foro Ordinario in Communi.

### CAPUT I.

De Foro Domicilij. fol. 72.
§. I. Domicilium quomodo contrahatur? fol. 72.
§. II. An per Domicilium habitationis Forum contrahatur? fol. 83.
§. III. An per quasi Domicilium Forum acquiratur? fol. 89.
§. IV. An per Domicilium Originis acquiratur Forum? fol. 94.
§. V. An in Domicilio communi acquiratur Forum? fol. 101.

### CAPUT II.

De Foro Delicti. fol. 109.
§. I. An per Delictum Forum acquiratur? fol. 109.
§. II. An contra delinquentem procedi in loco Delicti possit, si ibi non reperiatur? fol. 114.
§. III. Utrùm reus ad locum Delicti remittendus sit? fol. 117.
§. IV. Quis sit Judex competens, si delictum in uno loco inchoatum, in altero consummatum sit? fol. 125.
§. V. Qua pœna afficiendus sit subditus unius territorij propter delictum alibi patratum? fol. 133.

### CAPUT III.

De Foro Contractus. fol. 135.
§. I. An Forum acquiratur in loco Contractus? fol. 135.
§ II. Utrùm in loco Contractûs ad dissolutionem agi possit? fol. 135.
§. III. An debitor in loco Contractûs conveniri possit, si ibi non reperiatur? fol. 144.
§. IV. An conveniri in loco Contractûs possit, qui in alium locum solutionem condixit? fol. 149.
V. Quomodo contra debitorem in loco contractûs procedendum sit? fol. 155.

## CAPUT IV.

*De Foro Rei sitæ.* fol. 158.
§. I. *An Forum acquiratur in loco rei sitæ?* fol. 158.
§. II. *Quomodo agendum sit Petitorio in loco rei sitæ?* fol. 161.
§. III. *Quomodo Possessorio in loco rei sitæ agendum sit?* fol. 164.
§. IV. *Utrùm Forum rei sitæ & domicilij concurrant?* fol. 167.

# PARS III.

# De Foro ordinario singulari.

## CAPUT I.

*De Foro Competente Clericorum.* fol. 171.
§. I. *An Clerici sint exempti à Jurisdictione seculari?* fol. 171.
§. II. *An privilegium Fori Clericale sit Juris solùm Humani & consuetudine vel statutis Principum tolli possit?* fol. 177.
§. III. *Quinam Clerici gaudeant privilegio Fori?* fol. 184.
§. IV. *An Religiosi gaudeant privilegio Fori?* fol. 197.
§. V. *An privilegio Fori gaudeant Ecclesiæ & Clericorum Ministri laicis, Uxores, ac Liberi?* fol. 200.
§. VI. *An Clerici teneantur servare Leges Civiles?* fol. 203.
§. VII. *Utrùm Clerici ligentur Consuetudinibus Laicorum?* fol. 222.
§ VIII. *Utrùm Clericus Vasallus in Causâ Feudali teneatur respondere coram Domino Feudi?* fol. 226.
§. IX. *An Clerici coram Judice laico conveniri possint actione personali?* fol. 233.
§. X. *An Clericus ad Judicem secularem trahi possit, si convenitur nomine laici?* fol. 241.
§. XI. *An Judex Laicus aliquando contra Clericos possit procedere?* fol. 245.
§. XII. *In quo Ecclesiæ Foro singuli Clerici convenienti sint?* fol. 256.

## CAPUT II.

*De Foro Privilegiato Laicorum.* fol. 270.
§. I. *Quodnam sit Forum Competens Principum ac Ordinum S. R. Imperij?* fol. 270
§. II. *Quodnam sit Forum Competens Studiosorum?* fol 288.
§. III. *Quodnam sit Forum Competens Miserabilium personarum?* fol 302.
§. IV. *Quodnam sit Forum Competens Militum?* fol. 320.

PARS

# PARS IV.

## De Foro Extraordinario.

## CAPUT I.


*De Foro Prorogationis.* fol. 325.
§. I. *Quid sit Prorogatio, & quotuplex?* fol. 325.
§. II *Cui prorogari Jurisdictio possit?* fol. 329.
§. III. *Qui prorogare Jurisdictionem possint?* fol. 333.
§. IV. *Qualis consensus partium ad prorogandam Jurisdictionem requiratur?* fol. 340.
§. V. *An ad prorogandam Judici alieno jurisdictionem requiratur consensus Judicis proprij ac alieni?* fol. 349.
§ VI. *An omnis Jurisdictio prorogari possit?* fol. 355.
§. VII. *In quibus causis prorogari Jurisdictio possit?* fol. 365.


## CAPUT II.


*De Foro Delegationis.* fol. 375.
§. I. *Forum Delegatum quid sit?* fol. 375.
§. II. *Jurisdictionem delegare quis possit?* fol. 378.
§. III. *Jurisdictio delegari cui possit?* fol. 387
§ IV. *Quæ Jurisdictio delegari possit?* fol. 393.
§. V. *Quæ sit Potestas Judicis Delegati?* fol. 399.
§. VI. *Quod sit Officium Judicis Delegati?* fol. 410.
§. VII *Quid Juris sit, si plures sint Delegati aut subdelegati?* fol. 418.
§. VIII. *Quomodo cesset Jurisdictio Delegata?* fol. 422.


## CAPUT III.


*De Foro Continentiæ Causarum.* fol. 445.
§. I. *An causæ connexæ ad Forum idem pertineant?* fol. 445
§. II. *Quæ causæ ob Continentiam in eodem Foro tractandæ sint?* fol. 450.
§. III *Quandonam causæ Connexæ dividi possint?* fol. 457.
§. IV. *An si Clerici & Laici communis est causa, solus Judex Ecclesiasticus cognoscat?* fol. 460.


## CAPUT IV.


*De Foro Reconventionis.* fol. 467.
§. I. *Qua ratione Forum per Reconventionem acquiratur?* fol 467.
§. II. *In quibus causis concedatur Reconventio?* fol 471.
§. III. *Utrùm Clericus coram Judice seculari reconveniri possit?* fol. 475.


PARS

# PARS V.

## De Causis ad certum Forum pertinentibus.

### CAPUT I.


*De Causis pertinentibus ad Forum Ecclesiasticum.* fol. 481.
§. I. *Quæ Causæ ad Forum Ecclesiæ privativè pertineant?* fol. 481.
§. II. *Utrùm in dubio, an causa sit Ecclesiastica, cognitio pertineat ad solum Judicem Ecclesiasticum?* fol. 489.
§. III. *Utrùm causæ Ecclesiasticæ Judici seculari committi possint?* fol. 495.


### CAPUT II.


*De Causis ad Forum seculare pertinentibus.* fol. 505.
§. I. *Quæ causæ ad Forum seculare pertineant?* fol. 505.
§. II. *An Judex secularis supplere possit defectum Judicis Ecclesiastici* f. 507.
§. III. *An Judex secularis cognoscere possit de possessione rei spiritualis.* f. 511.
§. IV. *An Judex secularis cognoscere possit super facto rei spiritualis.* f. 516.


### CAPUT III.


*De Causis Feudalibus.* fol. 521.
§. I. *Quandonam de causa Feudi cognoscat Feudi Dominus?* fol. 521.
§. II. *Quomodo de causa Feudi cognoscant Pares Curiæ vel Ordinarius.* f. 525.


### CAPUT IV.


*De Causis ad Cameram Imperialem & Concilium Imper. Aulicum pertinentibus.* fol. 535.
§. I. *Quinam ratione personæ immediatè subsint Jurisdictioni Cameræ Imperialis?* fol. 535.
§. II. *Quæ causæ ad Cameram Imperialem pertineant?* fol. 540.
§. III. *Quæ causæ ad Cameram Imperialem non pertineant?* fol. 562.
§. IV. *Quæ causæ pertineant ad Concilium Imper. aulicum?* fol. 569.


### CAPUT V.


*De Causis Mixti Fori.* fol. 573.
§ I. *Quænam Causæ sint Mixti Fori?* fol. 573.
§. II. *Utrùm in Causis Mixti Fori Judex Ecclesiasticus procedere contra laicos ad pœnas temporales possit?* fol. 585.
§. III. *Prævention in Causis Mixti Fori quomodo fiat?* fol. 589.
§. IV. *Quisit effectus Prævention is?* fol. 595.
§. V. *Utrùm Prævention effectum habeat mutato post eam Rei Foro?* fol. 604.
§. VI. *Utrùm prævent us & judicatus ab uno Judice judicari in eadem causa denuo possit ab alio?* fol. 610.


PARS

# PARS I.

## De Foro Competente in genere.

## CAPUT I.

### De Fori Competentis natura & multiplici specie.

### §. I.

### *Fori Etymologia & Descriptio.*

SUMMARIUM.

1. *Fori Nomenclatura.*
2. *Forum quandoque pro loco litium exercendarum.*
3. *Quandoque pro judicio & jurisdictione sumitur.*
4. *Fori simpliciter dicti, & Fori Competentis discrimen.*
5. *Fori Competentis descriptio.*

1. FOrum, sive à ferendo derivetur, ut vult Varro *L. 4. de Ling. Latin.* sive à fando, sive à Foroneo Rege, qui primus leges apud Græcos & judicia instituisse dicitur, ut Isidorus ait *c. forus 10. de V. S. Forum*, inquam, *sex modis intelligitur* (ut ait Festus *V. Forum*) *primò negotiationis locus, ut Forum Flavinium, Forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea Fora instituenda curârunt. quod etiam locis privatis & vijs* (aliàs vicis) *fieri solet. Secundò, in quo judicia fieri, cum populo agi, & conciones haberi solent. Tertiò, cùm is, qui provinciæ præest, Forum agere dicitur, cùm civitates vocat, & de controversijs eorum cognoscit. Quartò, cùm id Forum appellabant Antiqui,*

*tigui, quod nunc vestibulum sepulchri dici solet. Quintò, locus in navi; sed tunc masculini generis est & plurale. Sextò, Fori significant Circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus; inde forare & foros dare, & forus & forcula (aliàs forcula) id est ostiola dicuntur.*

2. Instituto nostro, utpote hîc agentium de judicijs & jurisdictione, ea solùm congruunt, quæ secundo ac tertio loco afferuntur. Igitur *Forum* hîc inprimis significat locum exercendarum litium. Ubi tamen Oliva *de foro Eccles. p. 1. q. 1. n. 3.* cum nonnullis distinguit inter territorium & certum illum territorij locum, ubi jus dicitur à Judice, & pro isto posteriore nomen *Forus* masculino genere accipit, pro illo *Forum* genere neutro. Quæ tamen distinctio fundamento caret, & promiscuè plerumque *Forum* & *Forus* accipiuntur, & posterius præplacet Isidoro ac antiquioribus Canonistis, prius frequentiùs occurrit. Hoc modo sumptum Forum etiam *Ius* dicitur à Paulo *L. pen. ff. de Iust. & Iure.* Hinc illud Plauti *Curc. scen. 2. act. 5. in jus ambula*, & Horatij *L. 1. Serm. Satyr. 9. oppono auriculam; rapit in jus.* Eódem pertinet rubrica *D. & C. de in jus vocando.* Dicitur ab eodem Paulo etiam *Auditorium.*

3. Secundò accipitur *Forum* pro ipso Judicio, nec non Jurisdictione & potestate, ut observant Hostiens. *in rub. de for. comp. §. 2.* & Panor. *ibidem.* Unde idem est dicere esse de foro competente, ac esse de jurisdictione competente; & esse de foro Ecclesiastico vel sæculari, aut mixto, ac pertinere ad jurisdictionem Judicis Ecclesiastici aut laici aut utriusque. Et sortiri forum ratione delicti, contractûs &c. est subijci jurisdictioni Judicis, in cujus territorio contractus aut delictum factum est. Hinc *lib. 3. Cod. titul. 13.* inscriptus est à Justiniano de *Iurisdictione omnium Iudicum & Foro competente*, quòd vel idem sint *Forum competens* & *Iurisdictio*, vel quòd forum necessariò sequitur jurisdictionem, & ex hac forum cujusque Magistratûs metimur. Cæterùm utroque sensu modò explicato dicitur Forum habere Magistratus & subditus: ille activè, nimirum jurisdictionem & certum locum, ubi eam exerceat;

ceat; iste passivè, quæ certo in loco in ipsum exerceatur. Hac quoque ratione *Forenses* dicuntur, qui tribunalibus & judicijs occupantur; & *forenses causæ*, quæ judicio disceptantur. *L. pen. ff. de Feriis.* Inde quoque dicta sunt *Instrumenta forensia* scripturæ publicæ, quæ fidem in judicio faciunt. *L. Comparationes D. de fid. Instrum.* Cæterùm hoc verbo *Forum* semper quidem intelligi potest Jurisdictio, non tamen semper territorium: etsi enim eorum appellatio sæpe promiscuè sumatur, & paria esse dicantur Fori alicujus esse, & esse alicujus Territorij, reipsa tamen illud latiùs patet, quàm istud, cùm forum possit esse sine territorio. Sic Rector Universitatis, Magister militiæ &c. tametsi territorium non habeant, habent tamen forum & jurisdictionem ordinariam, cùm hæc consistere queat absque territorio, sicut territorium esse potest sine jurisdictione, ut post Baldum, Felin. Marant. ac alios tradit, & fusè prosequitur Petrus Barbosa *ad L. cùm prætor 12. §. 1. ff. de judicijs an. 45.* & Menoch. *L. 3. præsumpt. 97. n. 6.* Censentur tamen, qui jurisdictionem in certas personas exercent, territorium habere, licet revera non habeant, ut cum Joan. And. notat Chassan. *ad consuet. Burgund. Des Iustices. §. 1. V. aut territoire n. 16.*

4. Sermo autem hîc est de Foro non simpliciter, sed de Competente. Nec enim, qui forum habent & jurisdictionem, ubique & promiscuè in omnes vel personas vel causas eam obtinent. Non ipse etiam supremus Hierarcha & Christi in terris Vicarius SS. Pontifex; cùm Ecclesiæ subjecti non sint infideles, juxta Apost. *1. Cor. 5. v. 12.* utpote per Baptismi januam eam non ingressi, adeò ut nec cogi possint Baptismum suscipere. *Concil. Tolet. 4. c. 57. Concil. Lateran. 111. c. 26. Carthagin. can. 109. c. sicut 9. de Iudæis, can. ad fidem 33. 23. q. 5.* nec bellum ijsdem inferri possit propter idololatriam, aliáque crimina cum lumine naturæ pugnantia, ut tradit communis Theologorum contra Major. *in 21. dist. 15. q. 20.* & Alph. à Castro *L. 2. de Hæret. pun. c. 14.* Neque Imperatori universalis in quoscunque etiam laicos jurisdictio competit, cùm falsa sit & meritò exposa illa Bartoli aliorúmque communis olim sen-

tentia Orbis totius dominium illi asserens.

5. Forum Competens ab Isidoro *c. forus de V. S.* dicitur *litium exercendarum locus.* Quæ definitio ut vitio careat, addendum vel subintelligendum est *necessariò à litigantibus adeundus.* Cùm enim non quovis loco conveniri reus possit, tametsi ibi lites exerceantur, is tantùm locus competens erit, in quo reus cogitur respondere, vel quòd illum sibi proprium fecit constituendo ibi domicilium, ineundo contractum, committendo delictum &c. vel quòd in eum consensit, Judici non suo jurisdictionem prorogando, aut commissarium postulando, vel in causa ad plures judices pertinente fuit ab alterutro eorum præventus. An autem propterea, quòd quis coram hoc Judice ratione vel delicti, vel contractûs, alióve ex capite, respondere cogatur, ejus subditus dicendus sit, quæstio nominis est. Quod quamvis post Socin. Decium, Alexandr. ac alios negant Gail. *de Pignorat. c. 15. n. 3. & 6.* Heigius *p. t. q. 18. n. 5.* Ziegler *§. Landsassij concl. 1. n. 72.* Knipschildt *de Iurib. Civit. Imperial. L. 1. c. 12. n. 54.* Meliùs tamen affirmant S. Thomas *2. 2. q. 67. art. 1. ad 3.* Suar. *de Censur disp. 1. sect. 7. n. 1.* Pet. Barbosa *in L. Hæres absens §. proinde ff. de judicijs*, Oliva *de foro Eccles. p. 3. q. 1. n. 42.* ac alij: quia correlativa sunt habere jurisdictionem, & esse subjectum. *Clem. Pastoral. §. Cæterùm de Re judic. c. ànobis 21. de sent. Excomm. L. ult. ff. de jurisdict. omn. jud. L. 1. §. 2. ff. quod quisque juris.* Certum tamen est, & convenit inter omnes, ratione duntaxat domicilij simpliciter dici subditum: eum verò, in quem ex alio tantùm capite, v. g. ratione feudi, contractûs, delicti &c. jurisdictio exercetur, subditum solùm esse secundùm quid, ut explicat Barbosa *l. c. §. fin. àn. 39.*

## §. II.

## *Fori Competentis Divisio.*

### SUMMARIUM.

6. *Fori divisio in Ecclesiasticum & Seculare.*
7. *Ecclesiastici in Externum & Internum.*

8. *Exter-*

8. *Externi in Ordinarium & Extraordinarium. Ordinarij in Commune & Singulare.*
9. *Et in Contentiosum ac Voluntarium.*

6. Forum primâ & principali divisione distingui solet in *Ecclesiasticum* & *Seculare. Duo quippe sunt, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas*, ut dicitur *Can. 10. dist. 96.* sive *Sacerdotium, & Imperium; illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens*, ut loquitur Justin. *Novell. 6. prin.* Utrumque regit & vegetat, illud velut Sol, istud ceu Luna, ut dicitur *c. solitæ 6. de Major. & obed.*

7. Ecclesiasticum seu Sacrum subdividitur in *Externum* & *Internum.* Hoc est, quod intus in mente hominis, ubi Conscientia residet, exercetur, ut loquitur Suar. *L. 3. de leg. c. 21. n. 2.* & ideo *Forum Conscientiæ* appellatur, ac ab Augustino dicitur *Forum Poli*, seu Dei, *can ult. 17. q. 4.* Externum est, in quo de actibus externis & per actus externos agitur. Forum Sacrum subdividitur in Forum Conscientiæ simpliciter, & in Forum Pœnitentiæ, seu Pœnitentiale & Sacramentale. Quamquam enim juxta aliquos DD. Conscientiæ & Pœnitentiæ Forum sint convertibilia, & synonyma, re ipsa tamen distinguuntur. Nam licet Pœnitentiale sit etiam Conscientiæ Forum, & in illo comprehendatur; non tamen è converso Forum Conscientiæ semper idem est ac Pœnitentiale, sed patet latiùs, éstque generalius, cùm multa pertineant ad conscientiam, quæ extra Sacramentum Pœnitentiæ fieri possunt, ac culpam non supponunt, uti supponit Pœnitentiæ Forum. Sic pro Foro Conscientiæ absque administratione Sacramenti Pœnitentiæ & remissione vel vindicta alicujus culpæ sæpe dantur privilegia, gratiæ, ac dispensationes in impedimentis matrimonij occultis, irregularitatibus, præceptis ac legibus; fiunt absolutiones à censuris; conceduntur Indulgentiæ &c. uti docet praxis Ecclesiæ, & observant Emm. Rodriq. *tom. 1. quæst Regul. p. 61. art. 10.* Sanch. *de matr. L. 8. disp. 34. n. 20.* Suarez. *de Legib. L. 8.*

*c. 6. n. 13. & 15.* Oliva de *Foro Eccles. p. 1. q. 1. n. 16.* Posset non incongruè etiam Forum Sæculare seu Civile in *Externum* & *Internum* dividi, cùm leges etiam civiles obligent in conscientia, nisi ex mente Legislatorum nolentium sub culpa obligare, aut usu interpretativo populi sint merè pœnales, ut cum S. Thoma *1. 2. q. 96. art. 4.* ac communi Catholicorum sententia latè tradunt & explicant Navarr. *in summa c. 23. n. 54.* Covarruv. *in reg. Peccatum p. 2. §. 3.* Bellam. *tom. 2. Contr. L. 3. de laicis c. 11.* Turrian. *L. 5. adverf. Magdeburg. c. 9.* Suar. *L. 3. de Leg. c. 21. n. 5.* ubi ait, esse assertionem vel de Fide, vel proximam Fidei, idémque asserit Salas de *Legib. disp. 15. sect. 1. n. 7.* & esse de Fide absolutè asserunt Tapia, Texeda, & Gabr. Vasq. apud Moya *tr. 6. select. qq. disp. 4. q. 4. n. 31.* eò quòd *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Rom. 13. v. 2.* Est autem ibi sermo etiam de potestate sæculari, uti patet cùm ex consequentibus, tum ex præcedentibus his verbis *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt* (potestates) *à Deo ordinatæ sunt.* Per *damnationem* verò ibi intelligi damnationem apud Deum propter culpam, constat ex eo, quòd Apostolus Principem etiam sæcularem *ministrum Dei* dicit, eíque obediendum esse *non tantùm propter iram*, seu vindictam de transgressoribus sumendam à Legislatore, *sed etiam propter conscientiam*, seu ad vitandum culpæ reatum apud Deum. Idem significant verba S. Petri *epist. 1. c. 2. subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi &c. quia sic voluntas Dei est.* Unde etiam de Principibus Secularibus procedit illud Christi Dom. *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Habet igitur potestas secularis Forum tam Internum & Externum, dum plurimæ, aut pleræque ejus leges, in Foro simul Conscientiæ & Externo obligant: aliquæ verò, nimirum merè pœnales (quales dari hîc supponimus) solùm in externo. Nihilominus quia leges civiles solùm ordinantur ad externam politiam, & rectam gubernationem populi, quæ sufficienter obtinetur per actus externos, nec per se & directè tendunt ad vinculum spirituale,

le, quale eſt obligatio in conſcientia, idcirco Forum Internum non malè attribuitur ſoli poteſtati Eccleſiaſticæ, utpote quæ directè intendit etiam internam gubernationem & beatitudinem ſubditorum ſupernaturalem: non verò ſolùm temporalem, uti poteſtas ſecularis.

8. Forum Externum diſtinguo cum Ummio *diſp. 8. ad proceſſ. Iudic. th. 1.* in *Ordinarium* & *Extraordinarium*, *Ordinarium* in *Commune* & *Singulare*. Nam Judices alij in perſonas & cauſas ſpecialiter non exemptas ordinariam jurisdictionem habent ratione vel domicilij, vel delicti in ſuo territorio commiſſi, aut rei ibidem ſitæ &c. alij extraordinariam & ex accidenti advenientem, uti fit per prorogationem, aut connexionem & continentiam cauſarum. Ummius *l. c. th. 15.* & Bachov. *de action. diſp. 1. th. 28.* Quò reduci quoque poteſt Reconventio. Sunt quoque certæ cùm cauſæ tum perſonæ, in quas ordinaria quidem jurisdictio exercetur, ea tamen non communis omnibus, ſed ſingularis his vel cauſis vel perſonis, uti ſunt Cauſæ Sacræ, Feudales, Fiſcales &c. & perſonæ privilegiatæ, ut Clerici, Nobiles, Studioſi &c. Quam ob cauſam hoc Forum Singulare dicitur *Privilegiatum*. Similis diſtinctio cum Bachovio *l. c. th. 3.* fieri poteſt in Forum *Commune*, in quo quæcunque actiones, Civiles & Criminales, in rem & in perſonam, rectè inſtituuntur: quale forum tribuit locus domicilij. Et in *Proprium*, quod ultra commune in ſingulis cauſis accedit: velut in criminalibus locus, ubi committitur delictum, in actionibus in perſonam locus contractûs, in actionibus in rem locus rei ſitæ.

9. Denique cùm Jurisdictio alia ſit *Contentioſa*, alia *Voluntaria* *L. 2. ff. de Offic. Proconſul.* illa, quæ exercetur in invitum, cùm duo plurésve de cauſa quadam judicio contendunt *L. inter 83. §. 1. V. Iudicium ff. de V. O.* iſta, quæ expeditur inter volentes, puta in manumiſſionibus & adoptionibus *cit. L. 2. de Offic. Proconſul.* bonorum poſſeſſionis agnitione *L. 1. ff. de Iurisdict.* & *L ult. C. qui admitti ad bon. poſſ.* nec non in diſpenſationibus, abſolutionibus &c. idcirco Forum pariter diſtingui in *Contentioſum* & *Voluntarium*

poteſt

potest, in quo videl. Jurisdictio vel Contentiosa, vel Voluntaria exercetur. Hanc divisionem secutus, ubi hac parte primâ Fori naturam explicavero, parte II. agam de Foro Ordinario Communi, quo comprehendo Forum Domicilij, Contractûs, Delicti, Rei sitæ: parte verò III. de Foro Ordinario Singulari, quod habent certæ personæ privilegiatæ: parte IV. de Foro Extraordinario, quo comprehendo *Prorogationem, Delegationem, Connexionem* seu *Continentiam causarum*, & *Reconventionem*. Parte demum quintâ afferam causas, quæ privativè ad Forum vel Seculare vel Ecclesiasticum pertinent, vel cumulativè ad utrumque: hanc divisionem methodicam & aptam arbitratus ad vitandam confusionem; interim non ignarus, ab alijs aliam fieri, ab alijs nullum hîc ordinem servari.

# CAPUT II.

## De Obligatione sequendi Forum Competens.

### §. I.

### *Competentia Fori unde cognoscatur.*

SUMMARIUM.

*10. Multiplex Fori Competentis dignoscendi ratio proponitur.*

10. Cùm omnis potestas & jurisdictio, quæ homini in hominem competit, limitata sit, perspicuum est, non omne Forum respectu cujusvis aut personæ aut causæ esse competens, sed limitatam esse quamcunque jurisdictionem, & ultra suam peripheriam ac fixos limites extendi non posse; seu, quod idem sonat, eum, qui jurisdictioni præest, supra suam jurisdictionem jus dicere non posse *L. fin. ff. de Iurisdict.* & *tot. tit. C. si à non compet. Iud.* nisi partes jurisdictionem prorogent. *L. 2. ff. eodem.* Hinc illa Pauli J. C. regula *cit. L. fin. Extra territorium jus dicenti impunè non paretur.* Quæ sententia etsi inspecto duntaxat cortice verborum solùm dicere videatur, Judicem, si extra suum territorium corporaliter existat, suis subditis jus ibi dicere non posse: sensus tamen ejusdem

plenior

plenior & universalis hic est, quòd nemo judicare vel personam vel causam possit, quæ non est de ejus foro & jurisdictione, prout regulam illam bene explicant Vult. *L. 1. discept. schol. c. 1.* Math. Stephani *L. 1. de Iurisdict. c. 33. n. 12.* Hinc etiam ille, qui jurisdictionem quidem habet, at non in hanc personam, causam &c. nihil agit. *L. 1. C. Si non à compet.* nec quemquam litigatorum sententia non à suo Judice dicta constringit, ut dicitur *L. 4. C. eodem.* nec lis denunciata coram incompetente Judice præscriptionem interrumpit. *L. si pater 7. ff. Ne de statu defunct.* Incompetens autem Forum esse potest vel ratione causæ, dum Judex datus ad certam causam, aliam, ad quam datus non est, decidit. *cit. L. 1.* Vel ratione personæ, dum in extraneam personam, vel exemptam à sua jurisdictione, hanc exercere attentat. *L. 2. C. eod.* Vel ratione loci, dum ultra suum territorium eam extendit. *cit. L. 4.* Vel temporis, v. g. si delegato constitutus est terminus, intra quem negotium expediat, & ipse absque prorogatione elapso tempore judicet, aut Feriarum, vel, ubi id prohibitum est, de nocte. Hinc vera est regula, quam tradit Jason in *L. ex quacunque ff. si quis in jus voc.* ex quatuor capitibus cognosci posse, aliquem esse vel non esse de foro citantis: nimirum vel ex causa, vel ex persona, vel ex loco, vel ex tempore. Ex quorum capitum aliquo si Forum sit incompetens, competit reo convento exceptio fori declinatoria, de qua postea uberiùs. Verùm hinc variæ quæstiones nascuntur peculiaribus §§. tractandæ.

## §. II.

## *An detur obligatio respondendi in Foro non competente.*

### SUMMARIUM.

*11. Nemo tenetur litigare in Foro non competente.*
*12. Pœna trahentis ad Forum incompetens.*
*13. Quando incurratur.*

11. Certum adeò est, neminem ad forum non competens

trahi posse, ut etiam pœna statuta sit ad illud trahentibus tam Judici quàm Actori. Ita enim Imperatores rescripserunt *L. in criminali 5. C. de Iurisdict. om. Iud. Is verò, qui suam causam criminalem sive civilem sine cœlesti oraculo* (Principis) *in vetito vocavit examine* (foro incompetente) *aut executionem poposcit militarem, actor quidem propositi negotij actione mulctetur: reus verò pro condemnato habeatur. & tribuni sive vicarij capitalem sibi animadversionem subeundam esse cognoscant, si vel suam vel militum executionem interdictam præbuerint.* Igitur, ut post Bartol. aliósque hanc legem explicat Sichardus *n. 1. & 2.* si actor trahit reum ad forum incompetens, sive in causa criminali, sive civili, perdit actionem & causam: reus verò pro confesso habetur, si actorem trahit ad Judicem non competentem: quod juxta glossam *in cit. L. 5. V. Habentur* contingere potest, si reus actorem agere volentem minis intentatis compellit actionem instituere non coram Judice rei competente, sed alio: vel, ut casum ponit Sichard. *cit. n. 2.* si Titius diffamatus adit Judicem incompetentem, & ex *L. diffamari C. de ingen. manum.* cogit Caium diffamantem coram illo agere. Judex denique incompetens ferens sententiam, & executor eam exequens, capitaliter punitur. Quæ pœnæ cùm sint gravissimæ in re non adeò magni momenti, ut loquuntur Sichard. *l. c.* & Carpz. *L. 2. Resp. Iur. Saxon. resp. 38. n. 4.* nec alibi in Jure expressæ, idcirco rescriptum hoc Imperatorium singulare appellant cum Bartol. in *cit. L. 5.* Paul. Castr. dicit hoc esse mirabile, nec uspiam practicari.

12. Extendunt non pauci hoc rescriptum ad quemcunque Judicem incompetentem, & idcirco reo ad Judicem incompetentem citato suadent, ut compareat, nec incompetentiam, quamvis ejusdem gnarus, opponat, sed illam se ignorare fingens litem contestetur, & hac contestata, secundùm *cit. L. 5.* pronunciari postulet, adversarium suo jure cecidisse, utpote qui ipsum ad Judicem incompetentem vocârit. Verùm hanc opinionem & cautelam meritò reijciunt Vultejus *in cit. L. 5.* Brunneman. *ibid. n. 4.* Ber-

4. Berlich. *p. 1. concl. 5. n. 23.* & Carpz. *l. c. à. n. 7.* Nam præterquam quòd talis fictio sit veritati inimica ac propterea turpis, constat ex *L. 1. & 3. C. eodem. L. 15. & 18. ff. eod. L. 1. 2. & 24. §. 1. ff. de Iudic.* prorogari jurisdictionem consensu partium posse, & quidem non tantùm consensu expresso, sed etiam tacito, dum quis volens litem contestatur coram Judice non suo, ut infrà fusiùs dicemus: quæ prorogandi facultas sublata fuisset per *dict. L. 5.* si de quovis incompetente Judice sermo ibi esset. Non est autem credibile, dictos Impp. Arcadium & Honorium voluisse suorum prædecessorum leges, quibus prorogatio conceditur, reformare, cùm reformandi sufficiens ratio non appareat. Itaque Lex illa intelligenda est de eo duntaxat Judice, qui ita incompetens est, ut jurisdictio ipsi prorogari non possit; uti prorogari non potest laico, quando agitur contra Clericum, aut de causa spirituali, aut quando causa est criminalis, & criminalem jurisdictionem Judex, quem partes adeunt, non habet &c. cujusmodi casus, quibus jurisdictio prorogari nequit, infrà complures dabimus. Hanc limitationem aperte indicat ipsa lex, de qua agimus, per verba *in vetito examine:* non enim vetitum est examen & judicium coram quocunque Judice incompetente (eoipso quòd prorogatio jurisdictionis à Jure concessa est) sed tantùm coram aliquibus & in certis quibusdam casibus. Addendum tamen est, pœnam dictæ legis incurri etiam tunc, quando quis ad illum quidem Judicem, cujus jurisdictio prorogari potest, vocatur, invitus tamen, v. g. quia minis compellitur, aut dolo inducitur, dum fingitur Judex competens, qui non est. Sic enim jam est vetitum examen, cùm vetitum sit quemquam invitum pulsare judicio coram Judice incompetente.

13. Sed neque si quis adversarium suum ad vetitum examen traxerit, illicò incurritur pœna cit. lege statuta; sed nunc solùm, quando citatio effectum habuit. Ita teste Menochio *consil. 230. n. 97.* cit. legem post Gloss. & Bart. intelligunt omnes, dum dicunt, licere actori pœnitere quandocunque ante sententiam: quod

facere non posset, si per solam citationem vel litis contestationem jus quæsitum fuisset adversario ad forum incompetens citato. Imò Menoch. *l. c. n. 118.* ad incurrendam pœnam non tantùm sententiam, sed etiam ejus executionem requiri existimat.

## §. III.

### *Citatus ad Forum non competens an teneatur comparere.*

SUMMARIUM.

14. *Tenetur citatus comparere, tametsi dubium sit de competentia Fori.*
15. *Præsumptio, quæ stat pro Iudice, prævalet illi, quæ est pro citato.*
16. *Exemptus privilegio in Corpore Iuris clauso non tenetur comparere; tenentur alij.*
17. *Etiam coram Iudice delegato.*

14. Alterum hoc dubium est, quod ex dictis nascitur. In eo resolvendo pugnare inter se leges videntur. Nam *L. 5. ff. de Iudic.* dicitur: *si quis ex aliena jurisdictione ad Prætorem vocetur, debet venire.* Ita pariter loquuntur *C. cùm parati 19. de Appell. C. veniens 15. jun. Gloss. fin. de Accus. C. cùm personæ 7. de Privil. in 6.* E contrario, ut ait Ulp. *L. 3. ff. eod. non videtur fraudandæ actionis causâ latitare* (ac idcirco nec contumax esse) *qui præsens* (licèt in judicio adesset) *suscipere judicium non compellitur.* Et *contumaces non videntur*, ut dicit JC. *L. contumacia §3. §. 3. ff. de Re jud. nisi qui, cùm obedire deberent, non obsequantur: id est, qui ad jurisdictionem ejus, cui negant obsequi, pertinent.* Ad has similésque leges conciliandas communiter DD. hos casus distinguunt, & distinguendos aiebant Cameræ Imp. Assessores teste Mynsing. *cent. 6. obs. 7. n. 3.* Primus est, si certum sit, citatum de foro citantis esse. Alter, si è contrario certum sit & evidens, quòd citatus non sit de foro citantis. Tertius, si dubium est, sítne an non de ejus foro & jurisdictione. In primo tenetur comparere,

parere, ne reddatur contumax. *cit. L. contumacia.* Pariter comparere tenetur in tertio. *cit. L. 5. ff. de lud.* & *L. 2. ff. si quis in jus vocat.* In secundo casu non tenetur comparere citatus, idque probant *cit. L. 3.* & *53. C. si à ludice de Appell. in 6. L. Præses 2. C. de Interdict. Clemen. Pastoralis §. Pisanáque de Sent.* & *re jud.*

15. Ex his tribus assertionibus, secunda, quâ dicitur, in dubio de foro competente teneri citatum comparere, difficilis apparet propterea, quia citatus est in possessione suæ libertatis, quâ deijci nequit per præsumptionem aliámve probabilem duntaxat rationem pro jurisdictione citantis pugnantem: cùm notum sit, neminem sua possessione privandum esse ex probabili tantùm jure adversarij. Videtur igitur adhoc, ut citatus comparere teneatur, liquidè constare debere de jurisdictione citantis. Verùm respondetur, præsumptionem, quam habet pro se, qui cæteroquin in hoc territorio, vel in certas causas & personas præest, prævalere præsumptioni, quæ stat pro libertate citati, versantis in hoc territorio, aut causam habentis in eo genere, in quo ille fundatam jurisdictionem habet. *Prætoris est enim*, inquit Ulp. *cit. L. 5. æstimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem, non contemnere authoritatem Prætoris*, id est, ad reum non pertinet in dubio judicare de jurisdictione citantis, sed potiùs ad citantem, cùm sit in quasi possessione juris citandi, sítque pro ipso præsumptio, quòd legitimè citet & suæ jurisdictionis meliorem notitiam habeat, quàm reus, qui gerit personam privatam.

16. Tertia assertio, quâ dicebatur, citatum non obligari comparere, si certum sit, quòd non sit de foro citantis, falsa videri potest. Nam notum est ex *C. 2. de Constit. in 6. L. fin. ff. de Iurisdict.* & *L. fin. C. si à non compet lud.* Judicem in eum, qui est alienæ jurisdictionis, nullam habere potestatem, & impunè ipsi non pareri: & nihilominus dicitur *cit. L. 5. si quis ex aliena jurisdictione ad Prætorem vocetur, debet venire.* Tametsi ergò notum sit, quòd citatus non sit subjectus citanti, utpote ex aliena jurisdictione, tenetur comparere. Sequelam hanc distinguunt Paul. Cast.

*L. 1. consil. 481. n. 6.* Alexand. *in L. 2. ff. siquis in jus voc. n. 14.* Felin. in *C. cùm ordinem de Rescr. n. 8.* Pet. Barbosa *ad L. 5. ff. Iudic. n. 34.* ac alij, dicendo : si Judex per se & ipso jure non habet jurisdictionem in citatum, non valet citatio & processus. Valet verò, si per se & ipso jure Judex in citatum habet jurisdictionem, quæ tamen oppositâ aliquâ exceptione elidi possit, v. g. privilegij, præscriptionis &c. tunc enim citatus comparere tenetur & exceptionem opponere ; secùs, procedi contra ipsum in contumaciam potest, valétque processus. Alij cum Panorm. in *C. si duobus de Appell. n. 4. & 15.* quos citat Felin. *l. c. & in cit. C. si duobus n. 13.* absolutè pronuntiant, si notoria sit exceptio citati, non valere citationem & processum tanquam contra contumacem : & favet *cit. L. 3. ff. de Iudic. L. 53. ff. de Re judic. Clem. Pastoralis de Sent. & re jud.* Has opiniones conciliari posse existimo cum Lavm. *in C. cùm ordinem 6. de Rescript. n. 12.* ac Oliva *p. 8. Fori Eccles. q. 11. n. 25.* & dico, citatum ab ordinario Judice, si exemptum se prætendat, debere comparere & exemptionem allegare, si exemptus non sit Jure communi, sed solùm jure speciali, v. g. præscriptione, aut privilegio speciali, quod Corpore Juris clausum non est : non verò teneri comparere, si exemptus est de Jure communi, uti sunt v. g. Religiosi Mendicantes à jurisdictione Episcopi, Clerici à jurisdictione laicorum, Studiosi &c. Ratio prioris partis est : quia exemptio Corpore Juris non contenta facilè ignoratur, aut si nota est, hoc ipsum allegari & de eo cognosci debet, cùm in facto potiùs quàm jure consistat. Ratio secundæ partis est : quia posterior exemptio æquè fundata est in Jure communi ac jurisdictio Judicis, unde huic derogat tanquam species generi, ejúsque allegatio & probatio frustrà petitur, cùm quæ Jure communi continentur, nota esse debeant Judici. Hinc Clericus à Judice seculari citatus non tenetur comparere ad allegandum Fori privilegium, dummodo ipsum Clericum esse appareat. Glossa. *in C. convenior 23. q. 8. v. congrueret & in C. Nullus Episcopus 11. q. 1. v. vel exhibeatur, Perez L. 1. ordinat. tit. 3. leg.*

*3. leg. 1.* Gratian. *reg. 9. n. 10.* Jul. Clarus *L. 5. Sentent. §. fin. q. 36.* Sanchez. *in Opusc. Moral. L. 6. c. 1. dub. 1. n. 12.* Quæcunque autem ex dictis opinionibus teneatur, assertioni nostræ non obstat *cit. lex 5.* solùm enim dicimus, non teneri comparere citatum, si constet, quòd citans nullam in ipsum jurisdictionem de Jure communi habeat; hoc autem receptum est inter DD. & notum ex cit. Juribus, favétque illa ipsa lex 5. dum ait, Prætoris esse æstimare, nam sua sit jurisdictio: quibus verbis innuitur, tunc comparere citatum debere, quando de sua jurisdictione cognoscere debet Judex, id est, si est aliquo modo incertum, num citatus sit ex aliena jurisdictione; aut si de Jure communi est de foro competente citantis, an habeat specialem aliquam exemptionem. Addunt aliqui cum Panor. Felin. Decio, Navarro, debere defectum jurisdictionis notùm esse non tantùm citato, sed etiam citanti: huic enim si notus non sit, procedi contra absentem tanquam contumacem posse. Verùm textus *C. si duobus 7. de Appel.* quo id probant, non loquitur de casu, quo citans nullam in citatum jurisdictionem habet; sed de illo, qui habet ordinariam aut delegatam, nescit tamen, quòd citatus appellaverit: quo casu nemo negaverit, citatum debere comparere & appellationem coram Judice interponere.

17. Quæ modò dicta sunt, non tantùm de Ordinario, sed etiam de Delegato Judice procedunt: nam si etiam hic aliquem citat, citatus in dubio tenetur comparere, cùm non minùs quàm Ordinarius cognoscere possit, utrùm sua sit jurisdictio. *C. super literis de Rescript.* Est nihilominus hîc quoque discrimen inter ipsum & Ordinarium: hic enim fundatam habet suam intentionem super jurisdictione in omnes, qui in ejus territorio reperiuntur, aut ex illo personarum genere sunt, in quos ipsi competit jurisdictio, ac idcirco absque allegatione & probatione jurisdictionis obligatur citatus comparere: Delegatus verò, cùm non habeat ita fundatam suam intentionèm, tenetur litteras delegationis exhibere *C. cùm in jure 3. de Offic. deleg.* nec tenetur citatus comparere,

parere, nisi citationi inserta sit copia rescripti delegationis. *L. un. C. de superindicto. L. si quis 1. C. de Mand. princ. cit. C. cùm in jure* 3. Pari ratione juxta Baldum aliósque, quos refert Petr. Barbosa ad *L. 5. ff. de Iudic. n.* 10. si Judex sit particularis, qui in paucis habet jurisdictionem, non tenetur citatus comparere, nisi in ipsa citatione inseratur justa causa, propter quam comparere debeat.

## §. IV.

## *An Judex possit cognoscere de Competentia sui Fori.*

### SUMMARIUM

18. *Potest Iudex Ordinarius in dubio de sua jurisdictione cognoscere.*
19. *Quin etiam Delegatus.*
20. *Etsi huic objiciatur defectus omnis jurisdictionis.*
21. *Multis in casibus neuter potest.*
22. *Valent acta Iudicis incompetentis, si sententia super competentia transiit in rem judicatam.*
23. *Nisi delegatio facta sit ab eo, qui delegandi potestatem non habuit: aut rescriptum delegationis sit suppositicium.*
24. *Aut pronuncians super sua jurisdictione sciverit se nullam habere.*
25. *Ad fundandam jurisdictionem sufficit quandoque tacita solùm pronunciatio.*
26. *A sententia Iudicis competentem se pronunciantis datur appellatio.*
27. *Ad obtinendum processum sufficit quandoque sola narratio qualitatis jurisdictionem tribuentis.*
28. *Sæpe non sufficit.*
29. *Iudex se incompetentem pronuutians partem victam in expensas condemnare potest.*

18. Cùm in dubio de subjectione comparere citatus teneatur, ut modò dictum est, quæstio mox oritur, num hoc dubium ipse

ipse Judex, de cujus Jurisdictione in citatum ambigitur, decidere possit. Et videtur non posse: quia cognoscere, utrùm sua sit jurisdictio, re ipsa est cognoscere de re propria, hoc autem omni jure prohibitum est. *L. qui jurisdictioni 10. ff. de Iurisdict. L. un. C. ne quis in sua caus.* Communis tamen & certa DD. sententia est, posse ordinarium Judicem de sua jurisdictione cognoscere, quoties à partibus citatis in dubium vocatur, videlicet sítne Judex competens an non. ita enim deciditur *L. consensisse 2. §. 6. & L. si quis 5. ff. de Iudic. L. 2. ff. si quis in jus voc.* Sic ex. gr. si coram Judice ordinario reus excipiat causam esse feudalem, potest ille super veritate exceptionis cognoscere, utrùm videlicet causa sit feudalis nec ne: & siquidem feudalem esse constiterit, debet se incompetentem pronunciare, causámque ad Pares Curiæ vel Dominum remittere, ut cum Innocent. Panor. Bald. ac communi Interpretum tradunt Curt. Jun. *p. 7. de Feud. n. 3. & 4.* Zasius *ibid. p. 11. n. 12. & vol. 1. consil. 13. n. 36.* Gail. *L. 1. obs. 34. n. 2.* ubi testatur, ita observatum fuisse in Cam. Imp. Ad rationem dubitandi respondent Gloss. *2. in L. 2. ff. si quis in jus voc.* Panor. & Felin. *in C. super literis 20. de Rescript.* prohibitionem illam *ne quis in sua causa judicet vel jus sibi dicat* procedere, quando causa ita est sua, ut in ea proprium commodum prætendat *L. 1. §. in propria ff. quando appell.* ubi dicitur, propriam causam esse, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Habere autem jurisdictionem ad cognoscendum de causa, non tam commodum, quàm onus est: *quia judicandi quoque necessitas*, ut dicitur *L. fin. §. 13. ff. de Muner. & honor. inter munera personalia habetur*, quæ quibusdam propter onus annexum remittuntur. *L. 6. §. 8. ff. de Excusat. & L. 13. §. 2. ff. de vac. & excus. munerum.*

19. De Judice delegato specialis difficultas est ex eo, quòd potest accipere sportulas *C. statutum 11. §. insuper de Rescript. in 6.* & sic dum pronuntiaret, se esse competentem, id cederet in ipsius emolumentum. Verùm etiam delegatum posse cogno-

ſcere, num ſua ſit jurisdictio, notum eſt ex *C. Paſtoralis 14. & C. Ex parte 33. de Reſcript. Clem. 1. eod. C. cùm olim de Offic. deleg. L. præſcriptione 2. C. ſi contra jus vel util. publ.* Nec obſtat dubitandi ratio: quia etiam de delegato ſtatuitur *cit. c. 11. ut gratis & cum omni puritate judicium coram ipſo procedat, nullum munus vel quidquam aliud (niſi forſan eſculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus, vel niſi cùm ipſum propter cauſam ſibi commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas) recipere ab ijsdem partibus qualitercunque præſumat.* Cùm igitur præſumi non debeat, quòd propter modicum emolumentum à tramite juſtitiæ defleXurus ſit, non eſt ratio, cur ipſi non concedatur poteſtas de ſua jurisdictione cognoſcendi. Quòd ſi ſolus ſit, ſolus ſuper orto dubio cognoſcet: ſin plures vel uno vel diverſis reſcriptis delegati ſint, convenire ſimul debent ac dubium diſcutere; & ſi conſentire nequeant, arbitros eligere. *cit. C. Paſtoralis de Reſcript.*

20. Id tamen diſcriminis hîc intercedit inter Judicem Ordinarium & Delegatum juxta Panor. *in cit. C. 20. de Reſcript. n. 10. caſu 3.* Felin. *ibid. n. 23. fall. 3.* Bart. *in L. Ex ſententia ff. de Teſtam. Tut.* Bald. *in L. Iudices C. de fid. Inſtr. n. 2.* Jaſon. Corſet. ac alios, quòd delegatus cognoſcere de ſua jurisdictione poteſt, tametſi pars citata objiciat totius jurisdictionis defectum, ſeu aſſerat, nullam omnino ipſi competere: ordinarius è contrario id non poteſt, ſi iſte defectus objiciatur, v. g. ſi pars citata objiciat, quòd citans non ſit legitimus Epiſcopus aut Prætor, adeóque omni jurisdictione careat. Rationem dant: quia delegatus omnia agit nomine delegantis, cujus jurisdictio cùm fundata ſit & in dubium non revocetur, habet etiam delegatus poteſtatem cognoſcendi de eo, quod ab illo promanat, videlicet, utrùm reſcriptum delegationis validum ſit nec ne. E contrario non eſt fundata jurisdictio ordinarij, ſi omnino negatur, ac idcirco deficit titulus, quo is ſibi aſſumat poteſtatem cognoſcendi: quæ ratio etſi non ſatis

firma

firma videatur, cùm dici poſſit, etiam in delegato corruere fundamentum jurisdictionis, ſi negatur, validam eſſe delegationem, ſicut corruit, quando negatur ordinario, quòd judicandi poteſtatem validè obtinuerit; nec enim apparet, quomodo delegato plus juris tribuat delegans per dubium valorem delegationis, quàm ordinario Judici, v. g. Epiſcopo, dubius valor electionis & confirmationis: etſi, inquam, illa ratio parùm firma videatur, opinio certè, pro qua affertur, communis eſt.

21. Sed ſive ordinarius ſit ſive delegatus, cui objcitur incompetentia, cognoſcere de ſua jurisdictione nequit. I. quando oppoſitio pugnat directè contra perſonam Judicis, ut ſi objciatur defectus aliquis naturalis, qualis eſt amentia; vel accidentalis, uti eſt excommunicatio, ſuſpenſio, infamia, ſervitus, ſimoniaca promotio &c. II. ſi opponatur exceptio Judicis ſuſpecti; nec enim de cauſa ſuſpicionis cognoſcere poteſt; cùm hæc exceptio afficiat & inhabilem reddat Judicis perſonam. *L. litigatores ff. de arbitr. L. apertiſſimi. C. de Iudic. C. cùm inter de Except. Can. quia ſuſpecti 3. q. 5.* III. ſi commodum non leve conſecuturus eſſet pronunciando de ſua competentia. Ita Panor. & Felin. *ll. cc.* Bart *in L. quidam conſulebant ff. de Re Iud. à n. 3.* Anchar. *in C. 4. de officio deleg. in 6. not. 3.* Joan. Andr. *in C. Pia de Except. in 6.* ac teſte Panor. communiter alij. Ratio patet: quia de cauſa ſuſpicionis ſibi objectæ cognoſcere Judex nequit: eſt autem in tali caſu ſuſpectus, nec præſumitur, quòd in ſuum detrimentum ſit pronunciaturus. IV. ſi citatus ad Judicem ſecularem excipiat ſe eſſe Clericum: nec enim de dubio rei Clericatu, & an ſuæ jurisdictioni ſubjectus ſit, cognoſcere laicus poteſt, ac pronunciare, ut ſtatuitur *C. ſi Iudex 12. de ſent. Excom. in 6.* & tradunt Felin. *in C. 14. de Reſcript. n. 4.* Ant. Butrio *in C. 20. eodem & C. 12. de Foro compet. n. 14.* Decius *in C. cùm ordinem de Reſcr. in fin.* ac alij omnes, & patet *ex C. tuam 3. de ord. cognit. C. Lator 5. C. per venerabilem 13. qui filij ſint legitimi.* V. Judex, ſaltem Ordinarius, ut paulò antè diximus, cognoſcere de competentia ſui fori non poteſt, ſi illa non

negatur tantùm quoad causam aliquam vel casum particularem, sed omnimodè, sive si opponatur, quòd nullam omnino jurisdictionem habeat. Rationem cum Felino *cit. fall. 3. v. Considera.* dat Pet. Barbosa ad *L. 5. ff. de Iudic. n. 128.* quia si ordinario opponatur, quòd nullam omnino jurisdictionem habeat, fugillatur ipsius persona & æstimatio, sicut quando dicitur suspectus, vel infamis, excomunicatus &c. & sic, quia de ejus commodo agitur, pronuntiare non potest: delegatus verò de una tantùm causa cognoscit, quod onus esse reputatur & non commodum *L. fin. §. judicandi ff. de Muner. & honor.* & sic non fugillatur ejus persona, si opponatur, quòd de hac causa cognoscere nequeat. Hæc ratio melior videtur illâ, quam num. præc. impugnavimus, & ipsa tamen elidi forsan posset, si vacaret immorari. VI. Cognoscere de sui Fori competentia nequit Judex, ut loquitur Panor. *l. c. casu 4.* cum Innoc. ac alijs, si agitur non de nudo tantùm exercitio, sed de proprietate subjectionis, quando v. g. citatus dicit, se esse exemptum & Judex negat. Rationem dant: quia multa sunt commoda subjectionis, ideo Judex in hac cognitione est suspectus. Verùm hoc, nisi limitetur, apertè videtur pugnare cum *L. siquis 5. ff. de Iudic.* Itaque cum Felin. *in C. 20. de Rescript. n. 24. v. sed dicas*, Angelo *in L. 2. ff. si quis in jus vocat.* ac alijs dicendum est, tunc solùm procedere, quando citans in citatum prætenderet non meram jurisdictionem judicialem, sed subjectionem quoad alias etiam obligationes & præstationes, sibi debitas tanquam domino territoriali, Episcopo &c. VII. Cognoscere de sua jurisdictione nequit Judex, quando se ipsum ingerit, ita ut pro illa contendat. Ita Panor. *l. c. cas. 6.* & reliqui omnes teste Felino *l. c. n. 26.* quia ex hoc redditur suspectus. *arg. L. quæ omnia ff. de Procurat.* Idem cum Ant. Butrio *in cit. C. 20. de Rescript.* & Felino *l. c. n. 27.* dicendum est de casu, quo excipitur, quòd locus contractûs vel delicti non est de jurisdictione citantis: non enim cognoscere potest, si prætendit locum sibi subjectum esse quoad proprietatem, quia sic ultra jurisdictionem ferret commodum pronunciando; secus,

ſecùs, ſi ſolùm prætendat ſubjectum ſibi locum ratione nudæ jurisdictionis. VIII. Contendunt multi, quos refert & ſequitur Delbene *de Immun. Eccl. c. 14. dub. 18. ſect.* 1. ſi quis allegat privilegium exemptionis, non poſſe Epiſcopum de ſua jurisdictione cognoſcere. *C. cùm veniſſent 12. de Iudicijs* ibi *cùm ſuper privilegijs Sedis Apoſt. cauſa vertatur, nolumus de ipſis per alios judicari.* Verùm, ut poſt Innoc. Dec. Panorm. ac alios benè obſervant Laym. *in cit. C. 12. n.* 1. & Chokier *de Iurisdictione Ord. in Exempt. p. 2. q. 13.* ibi tantùm dicitur, non poſſe inferiorem SS. Pontifice directè judicare de privilegio, illud declarando auctoritativè; non tamen negatur, poſſe cognoſcere incidenter & indirectè, quando partes ſuper illo contendunt, v. g. an ritè allegetur, an fuerit ſubreptitium &c. quia ſic non tam agitur de privilegio & jure Principis, quàm de privilegiato, ut declarat Baldus *in præmio feud. n. 18. & in c.* 1. *de lege Conradi.* Alias non paucas exceptiones, ſeu, ut vocat, fallentias affert Felin. *l. c.* ubi copioſiſſimè hac de re agit & more ſuo ſubtiliter. Verùm illæ aut coincidunt cum prædictis aut erui inde non difficulter poſſunt.

22. Jam verò cùm Judicis ſit tam ordinarij quàm delegati in dubio de competentia ſui fori (extra caſus modò enarratos) decernere, conſequens eſt, quòd ſi bona fide ac probabiliter pronunciat, ſe competentem eſſe, atque ab hac ſententia interlocutoria non appellatur, proceſſum & ſententiam in cauſa principali valere; eſto poſtea comperiatur, ipſum initio competentem non fuiſſe, uti cum communi docent Panorm. & Felin. *ll. cc.* Ratio patet: quia hoc ipſo dum leges ipſi faciunt poteſtatem in dubio de ſua jurisdictione cognoſcendi & pronunciandi, ſententiam ejusdem approbant, & defectum jurisdictionis in caſibus, ubi ſuppleri poteſt, ſupplent; nam aliàs fruſtra illam poteſtatem dediſſent: ut adeò error probabilis hîc jus tribuat.

23. Aliquot tamen hîc rurſus exceptiones faciendæ ſunt. Nam per hujusmodi cognitionem non fundatur jurisdictio, & conſequenter proceſſus & ſententia non valet primò: ſi delegato

comissio facta est à Superiore in causa ad suam jurisdictionem & potestatem non pertinente, v. g. si Princeps secularis alicui committat causam Ecclesiasticam, aut contra personam, quæ est extra ejus forum: tametsi enim in hujusmodi casu delegatus etiam bona fide pronunciet se competentem esse, & in causa delegata procedat, acta nihilominus erunt irrita ob jurisdictionis defectum, quippe quam error, quantumvis probabilis, conferre non potest, si commissio facta non est ab habente potestatem, uti patet ex *L. si militaris 2. C. si à non compet.* & tradunt Interpretes ibi ac *in L. Barbarius ff. de offic. præt.* nisi talis delegatus sit aliàs ordinarius, & partes ultrò ipsi jurisdictionem prorogent. *L. 3. ff. de jurisdict.* Eadem est ratio de Judice ordinario, si de causa ad ipsum delata dubium vertatur, sítne sui fori Secularis an Ecclesiastici, ac ipse pronuntiet, causam Ecclesiasticam non esse, cùm talis reverâ sit; acta enim ipsius & sententia erunt irrita, quia à non Judice, seu illo, cujus jurisdictio fundata non erat, processerunt, & sic discurrendum est de omni defectu in Judice, quem supplere nequit lex aut Superior, qui dedit Judicem vel delegatum vel ordinarium. Secundò. Etsi Judex delegatus ex causa verisimili arbitretur & pronunciet, se jus cognoscendi habere, irritum tamen erit ob defectum commissionis & acceptæ jurisdictionis, quidquid agitur, si rescriptum delegationis supposititiũ est & falsum, seu si à legitimo Superiore, qui delegare potuit, non emanavit, aut emanavit ab eo, qui nequijt delegare. Ita Innoc. Joan. Andr. Butr. Panorm. Bart. ac alij teste Felino *l. c. n. 29.* omnes, éstque receptum inter Interpr. ut ait Jason in *L. præscript. ff. si contra jus n. 24.* quia auctor falsi rescripti non potuit dare jurisdictionem. *L. privatorum C. de jurisd. om. jud.* & quamvis Bart. *in cit. L. præscriptione* asserat, hoc duntaxat verum esse, quando falsitas rescripti est manifesta; si verò manifesta non sit, delegatum constitui in quasi possessione jurisdictionis: id tamen à Baldo ac alijs communiter reprobatur, quia cùm in tali casu is, qui rescriptum finxit, sit persona merè privata, & sic nec coloratus quidem titulus detur, qui

tamen

tamen in iſtis incorporalibus requiritur *L. 2. ff. de eo qui pro tut.* non poteſt quisquam vi illius conſtitui in quaſi poſſeſſione jurisdictionis. Dixi *ſi reſcriptum eſt ſuppoſititium & falſum:* nam ſi emanavit à Principe, tametſi ſub vel obreptitiè, valebit ſententia, vi illius lata à delegato, ut cum Innoc. ac communi aliorum tenet ac fusè probat Felin. *l. c. n. 30.*

24. Verùm ex dictis dubia nonnulla oriuntur. Primum eſt, an valeant acta Judicis, qui pro ſua jurisdictione pronuntiavit, certus eam ſibi non competere. Affirmant Bart. *l. c. n. 6. & ibid.* Jaſon *n. 26.* Decius *in c. 20. de Reſcript.* & Vaſconellus *L. 1. c. 5. n. 7.* Negant cum Hoſtiens. Cardin. Panor. Lapo, ac alijs Felin. *in cit. c. 20. n. 25. & 31.* Math. de Afflictis *deciſ. 354. n. 16.* Pet. Barboſa *in L. ſiquis 5. ff. de ludic. n. 108.* Hæc poſterior opinio præplacet *arg. c. ſi duobus 7. de Appell.* ubi cùm approbata fuiſſet ſententia excommunicationis contra quendam, qui ad Papam appellârat, tanquam contra contumacem ab Epiſcopo lata, additur: *niſi ludex cognoverit, eum ad audientiam Rom. Pontificis appellâſſe.* Ex quo infertur, non valere ſententiam Judicis ſcientis, ſe ex defectu jurisdictionis eam ferre non poſſe. Excipe: niſi habeat pro ſe titulum coloratum & communi errore Judex eſſe exiſtimetur, aut pars ſciens ipſi non competere jurisdictionem vel de hoc dubitans eam proroget: nam ſi alterutrum contingeret, valida haud dubiè forent acta talis Judicis, juxta ea, quæ tradunt Interpr. *in cit. L. Barbarius ff. de offic. præt.* ac ea, quæ infrà de prorogatione dicturi ſumus. Quæ modò dicta ſunt, juxta Hoſtiens. *in cit. c. 7.* & Felin. *ibid. n. 15.* non tantùm procedunt, ſi Judici manifeſtum eſt ſe nullam jurisdictionem habere, ſed etiam, ſi ſe habere exiſtimat ex ignorantia affectata, ſupina, vel aliàs inexcuſabili. Econtrario facilè convenit inter DD. valere ejus ſententiam, ſi probabili errore ductus ignorat ſe eſſe incompetentem, tametſi id notum ſit partibus.

25. Secundò dubitatur, an ad hoc, ut jurisdictio Judicis incompetentis fundetur per pronuntiationem pro competentia, & acta

acta ejusdem valeant, requiratur pronuntiatio expressa, an verò sufficiat tacita, qualis est, si neglecta exceptione incompetentiæ in causa principali procedit. Tenendum est cum Baldo, Butr. Innoc. Imola, Panorm. ac alijs, quos refert & sequitur Felin. *in C. suborta 21. de Appell.* & *C. 20. de Rescript. n. 34.* requiri expressam pronuntiationem. Ubi tamen tres ferè casus excipiunt, qui principalem responsionem ferè totam evertunt. Primus est, quando Judex processit ad ulteriora parte præsente & defectum jurisdictionis non opponente. Alter, si jurisdictio non est omnino nulla, sed solùm hîc & nunc elidi potest per exceptionem. Tertius, quando Judex audita exceptione, pronuntiavit eâ non obstante procedendum in causa principali. His, inquam, casibus valebit sententia, tametsi is non expressè definierit, se esse competentem. Neque aliud voluisse videntur Anchar. Angel. ac alij, qui dixerunt, non esse necessarium, ut expressè pronuntietur super competentia. Extra memoratos casus si procedat ad sententiam, processus erit nullus, juxta Ant. de Butr. *in c. 20. de Rescript. n. 37. Castr. in L. 2 ff. si quis in jus voc. n. 10* & Jason. *ibid. n. 45* Ruin. *vol. 5. consil. 114. n. 19.* ubi testatur de communi, Marsil. Pacian. ac alios, quos refert Zanger. *de Except. c. 1. p. 2. n. 448.*

26. Tertiò dubitatur, an à sententia, quâ Judex in dubio se competentem esse pronuntiavit, appellari possit. Ratio negandi est, quia hæc sententia est interlocutoria; ab interlocutoria autem non datur appellatio, seu jus civile spectemus *L. 36. C. h. t. L. 7. C. quor. appell. non recip. L. 16. C. de Iudic. L. 2. ff. de Appell. recip.* sive jus novum Trident. Concilij *sess. 13. c. 1. & sess. 24. c. 20. de Refor.* quo jus antiquum *C. 5. 12. & 60. de Appell.* & *C. 1. de Dilat.* correctum est. Affirmandum nihilominus est cum Glossa *in auth. Habita C. ne filius pro patre V. ferè*, ab omnibus approbata. Sumitur ex *C. significante 34. de Præscr.* Ratio patet: quia etsi hæc sententia sit solùm interlocutoria, à qua regulariter appellari nequit, habet tamen vim definitivæ, quia gra-

gravamen adfert, quod per definitivam reparari non possit: talis autem si sit interlocutoria, appellatio conceditur, ut constat ex modò citatis juribus. Facienda tamen est non viva voce, sed scripto, simúlque causa appellandi exprimi debet: cùm hoc requiratur ad appellationem ab Interlocutoria. *C. Cordi de Appell. in 6.* A fortiori appellari potest à sententia incompetentiæ, cùm hæc juxta multos sit definitiva, cùm post eam non speretur alia sententia; Judex enim eoipso, quòd incompetentem se pronunciat, omnem jurisdictionem quoad illam causam à se abdicat. Et idcirco juxta hanc opinionem appellari ab ea potest viva voce, & causâ non expressâ. In Camera Imperiali, teste Gaillo *L. 1. obs. 130. n. 10.* differentia inter appellationes super competentia & incompetentia non observatur, sed utraque indistinctè viva voce & in continenti facta recipitur. Addunt Crotus in *C. 1. de Rescr. in 6. n. 17.* & Gomez *ibid. n. 61.* à sententia competentiæ appellationem fieri quocunque tempore posse, eò quòd gravamen successivum contineat. Verùm hæc opinio ab alijs meritò reprobatur: si enim is, contra quem illa lata est, à die notitiæ intra decem dies non appellat, censetur illam approbâsse. *L. ab eodem C. quomodo & quando Iudex.* Neque verum est, hujusmodi gravamen esse successivum & continuum, sicuti est, quando quis est incarceratus aut immissionem in sua bona passus, & Judex nondum pronuntiavit incarcerationem aut immissionem esse justam. Illud opinioni Gomezij concedendum videtur juxta *C. ult. de Appell. in 6.* quòd si pars postea appellârit à sententia lata ab eodem Judice in causa principali, Judex ad quem etiam de ea sententia, quâ Judex à quo se competentem pronunciavit, cognoscere possit & pronunciare: dummodo appellans gravamen illud proponat in actis ad Superiorem, ut *cit. C. ult.* cavetur; secùs enim quasi sententiæ interlocutoriæ acquieverit, tractari de ea ampliùs non potest.

27. Quartum dubium & magna inter Jurisconsultos controversia est, an ad obtinendos processus à Judice sufficiat narratio

qualitatis, quæ jurisdictionem tribuit; an verò necessaria sit cognitio super allegata illa qualitate, priusquam litis contestatio parti adversæ injungatur. Hoc ultimum affirmant multi, quos referunt Mynsing. *cent. 2. obs. 9. n. 1.* Tiraquel. *L. 1. Retract. §. 8. Gloss. 5. n. 19.* Petr. Barbosa in *L. si quis 5. ff. de Iudic. n. 132.* & communem sententiam dicit Felin. *in C. si Clericus de Foro comp.* Negant pariter multi, quos adducunt ijdem Tiraq. *n. 18.* Mynsing. *n. 7.* Barbosa *n. 133.* Nituntur isti textu *L. cùm quædam puella 19. in fin. ff. de Iurisdict.* & *L. ordinata 24. ff. de liberali caus.* Quidquid sit de Jure scripto, posteriorem hanc opinionem in judicijs praxi receptam esse aiunt *addit. Capell. Tholos. q. 210.* & in Camera Imp. pro regula observari ait Gail. *L. 1. obs. 31. n. 1.* quòd in extrahendis seu decernendis processibus ad fundandam jurisdictionem stetur narratis supplicantis, donec in processu causæ contrarium probetur, idque tam in causis simplicis querelæ quàm appellationum. Mihi in hac controversia videtur distinctione opus esse, quam facit Laym. *in C. si Clericus 5. de Foro comp.* Vel qualitas fundans jurisdictionem, v. g. contractus aut delictum, quæstioni principali intrinseca est, seu principaliter in judicium deducitur, uti fit, si v. g. Clericus laicum accuset, quòd aliquid ex Ecclesia surripuerit, aut si convenitur extraneus de delicto hîc commisso vel contractu inito. Et tunc sufficit, hujusmodi qualitatem ab actore allegari, nec reus crimen vel contractum negare potest in ordine ad declinandum forum hujus Judicis, cùm hæc ipsa causa & quæstio directè in judicium deducatur, & super ea lis contestanda sit. Vel qualitas fundans jurisdictionem Judicis deducitur in judicium non principaliter, ideóque controversiæ non est intrinseca, sed accessoria, v. g. si reus excipiat, se extra territorium contraxisse aut deliquisse, tunc de hujusmodi qualitate jurisdictionem fundante priùs saltem summariè cognoscendum, vel extrajudicialis informatio capienda, antequam ad causam principalem deveniatur. Ita sentiunt DD. pro utraque opinione allegati, si benè eorum dicta ponderentur, nec plus probant rationes & jura ab ijsdem adducta.

28

28. Sunt tamen casus nonnulli, in quibus ad solam partis allegationem nunquam procedere Judex potest. Primò, quando Judici notorium est, narrata esse falsa: tunc enim ad litem contestandam cogendus non est reus, & neque citandus, cùm hoc non foret aliud, quàm gratis & sic iniquè vexare reum. Unde Judex attendere debet notorium, tametsi à parte nec probatum nec allegatum sit. De quo Gaill. *l. c. n. 4.* & Mynsing. *cent. 6. obs. 3.* Secundò in causa denegatæ justitiæ non sufficit ad obtinendum processum seu citationem narratio denegatæ justitiæ, sed probatione opus est, ex qua de denegatione constare possit. *L. 2. C. de Offic. civ jud. L. 1 C. de susceptor.* quia in judice non præsumitur negligentia, nisi probata fuerit legitima requisitio. *cit. L. 2. & 1.* fuse Gail. *L. 1. obs. 28.* Tertiò in Camera Imper. ad petitionem partis juramentum sibi relaxari postulantis non statim ad ejus narrata citatur adversarius, qui juramentum extorsit, sed Magistratui loci pro facti informatione primò rescribitur eum in finem, ut saltem summariè de veritate narratorum appareat. Gail. *L. 1. obs. 22. n. 4. & obs. 31. n. 7.* Quartò in eadem Camera ad appellationem pauperum non statim citatio decernitur, sed compulsoriales contra Judicem à quo decernuntur ad edendum acta, ut ijs obiter examinatis statuatur, utrùm processus denegandus sit an non. Gail. *cit. obs. 31. n. 8. & obs. 142. n. 7.*

29. Quintum denique dubium est, an si Judex se incompetentem pronuntiavit, partem victam in expensas & damna juxta *L. properandum 13. §. 6. C. de judic.* condemnare possit. Ratio negandi esse potest: quia condemnare in expensas, æquè ac alios actus judiciales exercere, est Judicis duntaxat competentis: atqui ille, qui se incompetentem pronuntiavit, non est competens, ac idcirco in causa ad se delata procedere nequit. Hac tamen ratione non obstante affirmans sententia statuitur *in Clem. 1. de Rescript. V. siquis autem*, & post Anchar. Panorm. Card. Zabarella, ac alios ibi tradunt Alagona & Aug. Barbosa *n. 1. & 2.* Item *C. statutum 11. eod. §. V. Iudex ipse.* Ratio patet: quia quoad cogni-

 tionem

tionem competentiæ & incompetentiæ est Judex competens, ac per consequens quoad condemnationem expensarum & damnorum tanquam connexam judicio competentiæ & incompetentiæ, ut *in L. 2. ff. siquis in jus vocat.* notant Bartol. *n.* 13. & Fulgos. *n.* 11.

# CAPUT III.

## De Limitibus Fori Competentis.

### §. I.

### *An Judex extra suum territorium existens jurisdictionem in subditos exercere possit.*

SUMMARIUM.

30. *Extra territorium jurisdictio nulla est.*
31. *Neque extra illud exerceri etiam in subditos potest.*
32. *Nec isti extra illud comparere tenentur.*
33. *Nisi in id consenserint cum licentia judicis territorij alieni.*
34. *Aut Iudex proprius alibi quidem habitet, hic tamen, ubi subditus est, jurisdictionem habeat.*
35. *Aut Iudex Ecclesiasticus à proprio territorio & Diœcesi fuerit injustè expulsus.*
36. *Aut causa non requirat judicialem cognitionem.*
37. *Potest Superior extra suum territorium delegare jurisdictionem intra illud exercendam.*
38. *Et statutum extra illud facere valiturum intra illud.*
39. *Ac in notorijs contra subditum procedere.*
40. *Atque censuram in eum ferre, quæ causæ cognitionem & citationem non requirit.*
41. *Ius dicens in alieno territorio sequitur statuta & stylum proprij.*

30. Sicut nullum forum respectu cujusvis personæ & causæ competens est, ut diximus *n.* 4. & 10. ita nec quócunque terrarum extenditur, sed certis locorum limitibus constringitur, cer-

certóque territorio, *quod ab eo dictum quidam putant, quòd magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est, submovendi jus habet*, inquit Pompon. *L. Pupillus 239. §. 8. ff. de V. S.* si Forum Sacrum Ecclesiæ excipias: per hanc enim Christus, jam olim id prævidente Davide *Psal. 71. v. 8.* dominatur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Jurisdictio itaque extra territorium nulla est, & extra illud jus dicens est instar privati. *L. 3. ff. de offic. Præsid. L. observare §. Ingressus ff. de offic. procons.* Unde cum Hier. de Monte *tr. de fin. regund. c. 77. n. 1.* Natta *tom. 1. consil. 149. n. 19.* ac alij aiunt, jurisdictionem radicatam esse in territorio, sicut nebula super palude, ut ab eo avelli nequeat. Verùm quamvis regula certa esse videatur, quòd forum competens ultra territorium non porrigatur, seu jurisdictio extra illud exerceri nequeat, explicanda tamen est, cùm & ipsa, sicut ferè reliquæ, suas patiatur & difficultates, & limitationes. Itaque primò agemus de jurisdictione Contentiosa, tum de Voluntaria.

31. De Contentiosa igitur Jurisdictione quæritur I. An Judex, si existat extra suum territorium, eam exercere possit in suos subditos, de ipsorum delictis, contractibus &c. cognoscendo & judicando. Responsio communis & certa DD. est negativa ex *L. ult. ff. de jurisdict. L. 3. ff. de offic. præsid. C. 2. in fin. de Constitut. in 6. Clem. 1. de Foro comp.* Procedit hæc regula etiam tunc, quando is existit quidem in suo territorio, in loco tamen illius exempto. *C. cùm Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6.* & Gloss. ac DD. ibi. Nam paria sunt esse in loco exempto, & esse extra territorium. Jason & Decius *in cit. L.* Felin. *in c. grave de Offic. ordin. n. 2.* Procedit item, tametsi Judex alieni territorij consentiat: nam nisi etiam subditi consentiant, jus ipsis dicere nequit, cùm inviti extra territorium trahi nequeant. *Can. 3. V. Nisi vocatus & C. 7. V. Nisi cum voluntate 9. q. 2.* & extra territorium jus dicenti impunè non pareatur *cit. L. ult. ff. de jurisdict.* Procedit denique, sive subditi sint in proprio territorio sive cum suo judice in alieno. Zasius *in*

*cit. L. ult. n. 3.* qui ibidem varia corollaria ex data regula deducit, non improbante Laym. *in C. 2. de Consuet. in 6. n. 4.* I. Si Archiepiscopus in sui Suffraganei seu subjecti Episcopi diœcesi fortè commorans, ibi causas per appellationem ad se devolutas tractare velit, excipi potest, quòd extra diœcesin jus dicenti impunè non pareatur. Verùm refragantur alij, nominatim Seraphin. *decis 1138.* Barbosa *p. 1. de Offic. Episc. tit. 4. n. 61. & L. 1. Iur. Eccl. c. 7. n. 59. & 60.* ipséque Laym. *in C. 5. de Offic. ordin. in 6. n. 1.* & causas appellationum ab Archiepiscopo etiam in diœcesi Episcopi, à quo provocatum est, decidi posse meritò asserunt, cùm id decisum sit *cit. C. ut litigantes 5. de Offic. Ordin. in 6.* & quidem absque consensu Episcopi & partis provocatæ, ut ex *eod. cap.* manifestum est. II. Si Universitas Studiorum tempore pestis vel belli aliò commigret, Rector in aliena civitate ac velut extra suum territorium, inter Studiosos jus dicere non potest: nisi nova promissione aut juramento se obligent ac subijciant, etiam in ordine ad illum locum. Verùm etiam istud falsum esse censeo, casu, quo Universitas vel Principis auctoritate vel consensu Magistrorum aliò migrat, quamvis solùm ad tempus, ac Studiorum prosecutio ibi fiat: tunc enim ibi est Universitas; hæc autem ubi est, ibi Rector suum quasi territorium habet. Aliud foret, si Rector & Studiosi in aliquo loco convenirent alia de causa ac velut fortuitò & non constituendi ibi Musarum domicilij. III. Qui bannitum ex territorio proscriptum, offendendi facultate concessâ, extra territorium offendit, puniri potest. Hæc benè juxta doctrinam Baldi *in L. 1. n. 6. ff. de hæred. instit.* ac aliorum, quòd sententia banni non excedat territorium bannientis seu proscribentis. IV. Ministri judicis criminosum fugientem extra territorium, ultra illud & in alieno persequi non possunt, multò minùs capere. Sic quoque communis cum Baldo *in c. olim. de Dolo & contum.* Bartol. *in L. quod ait lex pr. ff. ad L. Iul. de adult.* Verùm de hoc plura infrà.

32. Ex dictis consequens est, non posse subditum à Judice sui domicilij citari extra territorium seu locum sui domicilij, seu ut

in

in alieno territorio compareat: quia citare est exercere jurisdictionem, *Clem. Pastoralis de sent. & re jud. L. cùm Clericis 25. & L. omnes 33. C. de Episcopis & Cler.* at jurisdictio, ut modò dictum est, extra territorium exerceri nequit. Unde *cit. Clem.* deciditur, sententiam latam contra citatum extra citantis territorium existentem ipso jure nullam esse. Diximus, non posse subditum à Judice domicilij extra locum domicilij citari: utrùm autem & quomodo extraneus citari possit ad forum Contractûs, Delicti, ac Rei sitæ, proprio loco dicetur, quando agemus de foro Contractûs, Domicilij, ac Rei sitæ.

33. Regula sic declarata non uno modo limitanda est. Primus est, quem modò diximus, posse videlicet Judicem in alieno territorio jus dicere, si & partes & Judex alieni territorij consentiunt. Et quamvis aliqui ultimum hunc consensum necessarium esse negent, requirunt tamen alij, quos magno numero adducunt Oliva *de Foro Eccl. p. 3. q. 2. n. 4.* & Sanch. *de Matr. L. 3. disp. 19. n. 8.* quia in alterius territorio absque consensu proprij Judicis jurisdictionem exercens videtur injuriam illi inferre. *arg. L. 3. ff. de Offic. præf. urb & L. 13. §. fin. ff. de Injur.* Sufficit tamen consensus tacitus, videlicet si utraque pars litigans, & territorij Judex sciant, ab illo alieno jurisdictionis exercitium parari, & cùm possent, non contradicant. *arg. L. sæpè ff. de Re judic. & L. Cajus ff. de pignor. action.* Alex. *in L. fin. ff. de Iurisd. n. 8.* Ugol. *de Censur. tab. 1. c. 27. §. 1. n. 5.* Neque obstat textus *C. statuimus. 11. §. in nullo de Rescript. in 6.* ubi requiritur consensus expressus: quia præterquam quòd ibi agitur de quodam speciali casu, fermo est non de ordinario Judice, sed de delegato, cujus potestas longè arctior est, & solùm tanta, quantam esse vult delegans.

34. Secundò limitat Oliva *l. c. n. 6.* aítque ex Innoc. Panor. & Butrio *in C. Novit de Offic. legati*, Bartol. *in L. un. C. de Metrop. Berit.* Castr. *in cit. L. ult. ff. de Iurisdict.* Jasone, Decio & alijs, posse Judicem, qui duo habet territoria, si existat in uno, jurisdictionem exercere in alio, id est, in subditos illius territorij,

in

in quo non resident. Verùm cit. DD. loquuntur de casu, quo quis plures regiones sub sua jurisdictione continet, ut Imperator provincias Germaniæ, Legatus Pontificius plures diœceses &c. quâ tamen ratione non habet plura & distincta territoria, & sic dum residens in Austria jus dicit existentibus in Suevia aut Bavaria, jurisdictionem non exercet extra territorium, quod vetat illa, quam *n. 31.* attulimus, regula.

35. Tertia, eáque propriè dicta, limitatio est, quòd juxta *Clem. 1. de Foro comp.* Episcopi, & consequenter etiam Archiepiscopi & Primates, vi injustâ è sua diœcesi expulsi, si in aliqua ejus parte nec per se nec per suos Vicarios jurisdictionem exercere valent, id possint in aliqua alieni territorij civitate vel loco insigni viciniore; licentiâ tamen Ordinarij illius loci priùs petitâ, li- èt non obtentâ. Quod cùm concessum sit Episcopis propter ipsorum dignitatem, non facta mentione Prælatorum inferiorum, idcirco ad hos Clementinæ privilegium non extenditur. Glossa *ibi V. Episcopis*, Cardin. *n. 13.* Anchar. *n. 3.* Imò ob datam rationem probabilius est, non posse extendi ad Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes: de quo fusè Oliva *l. c. à n. 10.* Sed & Episcopi in alieno territorio judicare queunt solùm illos, qui subditi ipsis sunt ratione domicilij; non verò eos, qui contractum in ipsorum diœcesi inierunt, aut delictum commiserunt. Gloss. *in cit. Clem. V. subditos* communiter recepta, Anchar. *n. 12.* Card. *in §. Eisdem V. quintò quæro.* Non tamen necesse esse videtur, uti requirunt cit. Gloss. & Card. utrumque litigantem esse subditum Episcopo; sed sufficit subditum esse reum, ut tenet Panor. *in cit. Clem. V. an autem*, & latè defendit Oliva *l. c. à n. 14.*

36. Quartò limitanda est suprà posita regula, & dicendum, posse extra territorium expediri causas, quæ non requirunt cognitionem judicialem, sed solùm extrajudicialem informationem, & ubi partium contentio non est. Gloss. *V. Terminos* Joan. Andr. Anchar. Card. Panor. ac alij *in C. Novit. de Offic. Legati.* Bald. Castr.

Castr. Jas. & Decius *in L. ult. ff. de Iurisd.* Silvester *V. Absolutio, n. 4.* Sayrus *L. 1. c. 14. n. 6.* & *L. 2. c. 21.* ac alij. Exemplum in dispensatione denuntiationis matrimonialis ponit Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 8. n. 4.* & aliud Menoch. *L. 1. arbitr. q. 19. n. 10.* de Judice, qui liberum & absolutum arbitrium habet, ac idcirco sine causæ cognitione procedere potest. Quòd si Judex ad hoc, ut extra territorium posset procedere, vellet procedere absque causæ cognitione & citatione partis, ubi hæc requiritur, processus foret nullus, cùm citatio partis sit fundamentum jurisdictionis contentiosæ & cognitionis judicialis. *§. fin. Inst. de pœn. tem. litig.* & parte non citata processus sit nullus.

37. Quintò Tametsi Judex de causa ad contentiosam jurisdictionem pertinente extra suum territorium cognoscere nequit, poterit tamen juxta Gloss. *V. sed delegare*, Corrasium, Brunneman. ac alios *in L. fin. ff. de Offic. præs. Urb.* Zasium *in L. ult. ff. de Iurisdict. n. 19.* Oliva *cit. q. 2. n. 20.* Struvium *exercit. 4. tit. 12. in fin.* illam alteri delegare, ut intra territorium de ea cognoscatur. Ita enim *cit. L. ult* loquitur Ulpianus: *præfectus urbi, cùm terminos urbis exierit, potestatem non habet: extra urbem potest jubere judicare.* Sensus juxta prædictos Interrpp. est, posse, dum existit extra urbem, aliquem delegare, qui judicet intra urbem. Non ignoro variè & legi & exponi hanc legem: aliqui enim aiunt, omissam esse particulam *Nec*, & legendum esse *nec extra urbem*, & ita se reperisse in quodam manuscripto testatur Gothofredi *ibid.* Emendat Hotoman. *L. 4. obs. 13.* legítque *intra urbem.* Alij denique verba *extra urbem* connectunt non verbo *jubere*, sed *judicare*, ita ut sensus sit, si intra urbem est, judicem dare posse, qui extra urbem judicet intra centensimum lapidem. Illud verum est, quod notat Glossa ab omnibus recepta *in C. Novit de Offic. legati V. omnibus*, non posse cogi subditos ad acceptandam hujusmodi delegationem. Ratio est, quia, ut suprà diximus, Judici extra territorium existenti subjectio non debetur, & absens regulariter habetur tanqam privatus. Unde si-

cut invitus delegari nequit, qui non est subditus juxta *c. Pastoralis 11. de Offic. Ordin.* ita ob eandem rationem non potest contra invitos fieri delegatio

38. Sextò Princeps extra territorium existens statutum facere potest, ut sentiunt Lapus *in C. 2. de Constit. in 6.* Franc. *in C. Romana 5. §. Caveat de sent. Excomm.* quia statutum non requirit cognitionem judicialem, neque ut statuens sedeat pro tribunali, licet pertineat ad jurisdictionem contentiosam, quia invitos subditos ligat.

39. Septimò Judex extra territorium existens potest contra subditum procedere in notorijs, juxta Hostiens. Joan. Andr. Panor. Anchar. & Cardin. *in C. Novit de Offic. Legati.* Rationem dant: quia in notorijs non requiritur causæ cognitio. *C. evidentia de accus. & Can. Manifesta 15. 11. q. 1.* nec in notorijs requiritur citatio. *C cùm sit Romana §. præterea de appell.* Contrarium tenent Imola *in cit. C. Novit.* Jason *in L. ult. ff. de Iudic. n. 23.* & Decius *n. 24.* oppositò ducti fundamento, quòd videlicet etiam in notorijs opus sit citatione. Verùm hoc plerique alij reijciunt, & citationem necessariam esse negant, si factum est notorium, & certum simul ac notorium est, absenti nullam defensionem competere. Quia finis citationis est, ut citatus se possit defendere; hic autem finis cessat, quando notorium est, nullum reo effugium & defensionem competere. Excipiunt sententiam censuræ: hanc enim negant ferri posse absque citatione, tametsi crimen, ob quod ferenda sit, negari ab notorietatem nequeat, eò quòd præter crimen etiam contumacia requiratur, hæc autem absque monitione & citatione non detur. Verùm fieri potest, ut & contumacia sit notoria, eò quòd delinquens jam antè monitus perseverârit in delicto, quo casu absque alia citatione excommunicari poterit, ut patet ex *C. 1. de Iudic.* & notant ibi Panor. *n. 38.* ac Decius *n. 25.*

40. Ex dictis infertur, quid respondendum sit ad celeberrimam & agitatissimam controversiam, quâ quæritur, utrùm Prælatus

latus abſens à ſuo territorio ferre in ſubditos cenſuram poſſit. Dicendum enim eſt, ferre poſſe, ſi opus non eſt cauſæ cognitione aut citatione; ſecùs, ſi hac opus ſit, uti plerumque eſt. Videri poſſunt Navarr. *in Man. c. 27. n. 27. n. 6.* & *in C. cùm contingat 2. cauſ. nullit. n. 5. de Reſcript.* Suar. *de Cenſur. diſp. 5. ſect. 4.* & *diſp. 7. ſect. 3.* Sayrus *L. 1. theſaur. c. 14. n. 4.* & *6.* Oliva *de Foro Eccl. p. 3. q. 2. à n. 24.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 12. dub. 6.* Mihi non vacat rem pluribus examinare. Uti nec illud, an valeat abſolutio à cenſuris facta ab Epiſcopo extra Dioœceſin exiſtente. Breviter dicendum eſt cum communi DD. quos allegat Oliva *l. c. n. 47.* valere, ſi fiat absque cognitione judiciali; ſecùs, ſi iſta adhibeatur.

41. Cùm in recenſitis modò caſibus extra ſuum territorium jus dicere poſſit Judex, quæſtio eſt, an ſi id facit, facere debeat juxta ſtatuta & conſuetudinem ac ſtylum alieni territorij, in quo nunc jurisdictionem exercet, an proprij. Reſpondet Gloſſa *in cit. Clem. un. de Foro comp. V. omnimodam*, eámque ſecutus Anchar. *n. 13.* Card. *§. ijsdem n. 3.* & Bald. *in L. ult. ff. de jurisd.* debere judicare juxta ſtatuta & ſtylum ſui territorij: tametſi enim Judex in ijs, quæ ordinem judicij requirunt, ſervare debeat leges illius fori, in quo cognoſcit, ut aſſerit communis ſententia cum Anchar. *l. c.* Panor. *in C. quod Clericis de Foro comp. n. 10.* Bart. *in L. cunctos populos C. de SS. Trin. n. 48.* quia tamen jus dicens in alieno territorio fingitur eſſe in proprio, eoipſo, quòd eſt proprius horum litigantium Judex & non alienus, idcirco ſicut ſtare deberet ſtatutis ſui territorij, ſi in iſto jus diceret, ita pariter, ſi dicit in alieno.

## §. II.

## *An Lex & Præceptum ferri poſſit ſubditis in alieno territorio exiſtentibus.*

### SUMMARIUM.

42. *Multiplex quæſtio proponitur.*

 43. *Sta-*

43. *Statutum territorij non obligat subditum alibi existentem.*
44. *Neque Sententia Generalis.*
45. *Neque Præceptum.*
46. *Eadem est ratio de loco intra proprium territorium exempto.*
47. *Eadem de Legibus extra territorium non vigentibus.*
48. *Eadem de rebus extra territorium jus dicentis existentibus.*
49. *Disponens tamen in hoc territorio ligatur ejus statutis circa res etiam alibi sitas.*
50. *Subditi Superioris, jurisdictionem independentem à territorio habentis, ubique ejus præceptis & statutis ligantur.*
51. *Quin & alij, si alibi sui Superioris nomine versentur.*
52. *Aut si delictum, quod alibi committunt, afficiat proprium ipsorum territorium.*
53. *Possunt subditi abire extra territorium, ut ejus se statutis subtrahant.*

42. Dixi modò, Judicem in alieno territorio existentem non habere ibi forum competens etiam respectu suorum subditorum, sive isti pariter in alieno territorio existant, sive in proprio: seu, quod idem est, non posse per se loquendo Judicem in alieno territorio jurisdictionem contentiosam (de qua modò solâ hìc loquimur) exercere in suos subditos. E contrario nunc inquirendum est, utrùm existens in suo territorio exercere illam possit in suos subditos alibi existentes. Quæstio autem multiplex est. Prima de Legibus & Statutis, utrùm videlicet subditi extra locum sui domicilij existentes, ejus legibus & statutis obligentur. Secunda de Præceptis: præceptum enim, si propriè & specificè sumatur, à lege & statuto distingui notum est: quia regulariter non fertur communitati, uti lex & statutum, sed particularibus personis, uni vel pluribus; & Superioris potestate vel per mortem vel aliàs finitâ extinguitur, cùm è contrario lex sit stabilis & ultra mortem legislatoris ac semper duret, nisi ab eodem vel successore revocetur aut consuetudine abrogetur. Ac denique præceptum ferri potest à Prælatis inferioribus, iisque Superioribus,

bus, qui constitutionem & legem ferre nequeunt. Tertia est de Sententia, quæ à Superiore tanquam Judice cognitâ causâ fertur. Quarta de Citatione, & similibus actibus judicialibus. Addunt Franc. *in C. Romana §. Caveant de sent. Excomm. in 6.* Suar. *de Censur. disp. 5. sect. 5.* Oliva *de foro Eccl. p. 3. q. 5.* ac alij, Sententiam extrajudicialem. Cujus exemplum dant ex *C. à nobis 21. de sent. Excomm.* si videlicet Episcopus dicat *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit.* Hujusmodi Sententia, quam dicunt generalem, quò distinguant à speciali, quæ fertur contra unum vel plures particulares, v. g. si hoc feceris, mulctam solves &c. Hæc, inquam, generalis Sententia quamvis reipsa non videatur distingui à Statuto vel Lege, si pro Communitate fertur & non super uno alteróve actu particulari: discrimen tamen juxta cit. DD. hoc est, quòd per Statutum prohibetur actus, simúlque pœna transgressori statuitur; Sententiâ verò generali supponitur actus aliunde prohibitus, & solùm pœna dictatur. Quòd si actus aliquis particularis præcipitur omnibus de Communitate, v. g. si post certum aliquod delictum commissum, v. g. furtum aut conspirationem, edictum promulgetur, ut qui reum noverit, manifestet, erit præceptum generale, quale præceptum distinctum à statuto & lege, & finiendum cum præcipientis vita ac auctoritate, dari supponunt DD. ut patet ex ijs, quæ post Panor. Felin. Franc. Decium ac alios tradunt Sanchez *L. 8. de Matr. disp. 28. n. 7.* Silvester *V. Delegatus q. 6. n. 7.* & *V. Mandatum q. 3.* Suar. & Oliva *ll. cc.*

43. Igitur primò dubitatur, utrùm leges & statuta obligent subditos extra forum sui domicilij & territorium, ubi lex lata est, existentes. Nego cum plurimis, quorum ingentes catalogos texunt Covarr. *in C. Alma de sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 10. n. 3.* & Salas *disp. 14. de leg. sect. 5. n. 60.* Affirmat Bartol. *in L. cunctos populos C. de SS. Trin. n. 48.* asserens, statuto generali punitivo, ut vocat, seu quo pœna infligitur, ligari subditos etiam extra territorium, si Superior illud expresè fecerit etiam contra

delinquentes extra territorium. Cum hac Bartoli sententia omnes transeunt, ait Rochus Curt. *de Consuet. q. 13.* sed fallitur, cùm plurimi teneant contrarium. Sed neque defendi potest, ut Covarr. *l.c.* loquitur, cùm *L. ult. ff. de Iurisdict.* & *C. ut animarum 2. de Constit. in 6.* expressè dicatur, extra territorium jus dicenti impunè non pareri: nam JC. & Pontifex ibi non defectui voluntatis, sed defectui potestatis Superioris statutum ferentis, tribuunt, quòd ejus statutum extra territorium non obliget; ergo quamvis Superior declaret se aliud velle, nihil operabitur, quia non habet potestatem. Nec favet sententiæ Bartoli *text. L. ult. ff. de Decret. ab ord. facien.* ut benè ostendunt Covarr. *l.c.* & Navarr. *in Manuali c. 27. n. 27. 3.* eúmque malè translatum aiunt ex græco in latinum: nec *L. 2. C. de Evnuchis*; quia etsi ibi jubeat Imperator, *Romanæ gentis homines, sive in Barbaro sive in Romano solo Evnuchos factos, nullatenus quolibet modo ad dominium cujusquam transferri*, non tamen hinc sequitur, evnuchos in Barbaro solo seu extra limites jurisdictionis Imperatoriæ transferri in dominium seu vendi non posse, cùm verba ista *in Barbaro solo* non pertineant ad venditionem, ut vult Bartolus, sed ad locum, quo evnuchi facti sunt.

44. Hinc verò assero secundò cum Franco *l. c.* Butrio *in cit. C. 21. de sent. Excomm.* Gemin. *in cit. C. 2. de constit. in 6.* Navarro. *l. c.* aliisque, quos referunt & sequuntur Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 1.* ac Oliva *l.c. n. 2.* contra Innoc. *in cit. c. 21.* & Suar. *de Censur. disp. 5. sect. 5. n. 5.* neque Sententiâ generali, de qua paulò antè *n.* 42. tametsi vim statuti non habeat, sed solùm præcepti, ligari subditos extra territorium præceptum ferentis existentes: quia etiam hîc valet prædicta regula, extra territorium jus dicenti impunè non pareri.

45. Unde ulteriùs assero tertiò, etiam præcepto particulari non ligari subditos extra territorium existentes. Et ita tenent Ægidius *disp. 13. dub. 7. concl. 61.* Avila. *de Censur. p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2. concl. 1.* Henriq. *L. 13. c. 26. n. 1.* Sayrus *L. 1. thesaur. c. 6.*

*c.6.n.40.* Coninck *de Cenſur. diſp. 13. dub. 7. n. 61.* Præpoſit. *p. 3. q. 1. de Cenſur. dub. 5. n. 31.* Delbenè *de Immun. Eccl. c. 12. dub. 1. ſect. 4. n. 1.* ac alij contra Suar. *l. c.* Laym. *L. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 6.* Panorm. Gemin. Ugol. aliósque. Ratio eſt, quia is, qui ratione certi territorij jurisdictionem habet, uti Principes, Epiſcopi &c. præcepta non minùs, quàm leges & ſtatuta ferunt vi jurisdictionis territorialis: cùm ergo hanc exercere in ſubditos extra territorium exiſtentes non valeant, conſequens eſt, quòd ſicut ſtatuta ferre nequeunt, qnæ extra illud obligent, ut fatentur adverſarij, ita pariter nequeant dare præcepta abſentibus. Nam cùm Pontifex *cit. C. 2. de Conſtit. in 6.* dixiſſet, ſtatuto, quo Epiſcopus omnes, qui furtum commiſerint, excommunicat, ſubditos extra ipſius diœceſin furtum committentes minimè ligari, rationem addidit *cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* Neque apta ſatis eſt reſponſio, quâ dicunt, per tò *jus dicere* intelligi *ſtatutum ferre:* ſic enim propè diceretur idem per idem, & ſenſus pontificiæ rationis eſſet, ideò ſtatuto Epiſcopi extra Diœceſin ſeu territorium impunè non pareri, quia ſtatuto extra territorium impunè non paretur. Igitur ſenſus eſt, jurisdictionem (contentioſam & coactivam) extra territorium nullo modo exerceri poſſe ſive per ſtatutum ſive per præceptum &c. Hinc non placet, quod aiunt Tapia *tom. 1. Catenæ Mor. l. 4. q. 16. à 4.* & Eman. Gonzalez in *C. 21. de ſent. Excom. n. 4.* ideò ſubditos extra territorium non teneri præcepto Superioris, quia dum abſunt, juſtam ignorantiæ cauſam habent: non enim Pontifex eos excuſat ob ignorantiam, ſed ob defectum jurisdictionis, quam videlicet Superior extra ſuum territorium non habet. ſive ergo norint, ſive ignorent ſtatutum aut præceptum, non ligantur. Neque valet, quod dicunt Suar. & Laym. *ll. cc.* ſtatutum immediatè tendere ad territorium, illíque cohærere, ac idcirco neminem illo ligari extra territorium: ſententiam verò & præceptum immediatè tendere ad perſonas ſubjectas, earúmque oſſibus inhærere, quocúnque terrarum diſceſſerint.

rint. Hoc ipsum enim controversum est & à nobis negatur, tum quòd textus *cit. L. ult. ff. de Iurisdict. & C. 2. de Constit. in 6.* absolutè loquuntur; tum quòd non est ratio, cur præceptum magis quàm statutum afficiat immediatè ipsas personas & non territorium. Utrumque fit ratione jurisdictionis territorialis, quæ cùm ultra territorium, ut dixi, non porrigatur, consequens est, neutro subditos extra illud obligari. Aliàs videretur in potestate Superioris esse subditos pro arbitrio extra territorium ligare: dum enim aliquid aut præcipit aut vetat, dicere posset, se non per modum statuti ita præcipere, sed per modum sententiæ & præcepti, quo sui Subditi etiam extra territorium ligantur. Quâ ratione vis legum extra territorium jurisdictionis usum non concedentium eluderetur. Non item placet, quod ait Laym. *l. c. n. 8.* rationem, cur Episcopus extra suam Diœcesin sententiam ferre non possit, non esse hanc, quòd subditos extra territorium non habeat; sed istam, ne in aliena Diœcesi ferens sententiam censuræ alienum territorium invadere & violare videatur: quâ ratione cessante nihil obstare, quò minùs in sua Diœcesi existens jurisdictionem in suos alibi existentes exerceat. Hinc enim sequeretur, quòd non tantùm voluntariam, ut ipse infert, sed etiam contentiosam jurisdictionem in subditos absentes exercere posset, & sic statuta facere, quibus in absentia teneantur, dummodo in sua Diœcesi existat. Hoc autem ipsemet negat *l. c. n. 6. & l. 1. tr. 4. c. 11. n. 1.*

46. Quæ tradita modò sunt de territorio alieno, pariter procedunt de loco intra proprium territorium exempto: nam neque in isto subditus ligatur statutis & præceptis sui Principis. Sumitur *ex C. 1. de Privil. in 6. V. dummodo sit in loco exempto commissum.* Ratio patet ex dictis: quia esse in loco exempto territorij, idem est, ac esse extra territorium. Ideò enim locus dicitur exemptus, quia eximitur à jurisdictione ejus, cui aliàs ratione territorij competeret jurisdictio: non ergo poterit jurisdictionem contentiosam ibi exercere, nisi in casibus à Jure expressis.

*Clem.*

*Clem. Archiepiscopo de Privil. C. Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6. C. un. §. fin. de statu Regul. in 6.* Verùm hæc intelligenda sunt duntaxat de loco plenè exempto, in quo videlicet Princeps territorialis vel Episcopus nullam omnino jurisdictionem habet: secùs, si tantùm personæ certæ exemptæ, v. g. Regulares. Tunc enim Clericus sæcularis aliúsve Episcopi subditus commorans in Monasterio exempto subjacet statutis Diœcesis, & in illo delinquens puniri ab Episcopo potest, ut benè notant Anchar. & Franc. *in cit. C. 2. de Constit. in 6.*

47. Procedunt insuper prædicta non tantùm de legibus territorio proprijs, sed etiam de communibus, si quis in loco versetur, ubi leges communes per privilegium vel consuetudinem non vigent, ut cum communi tradunt Suar. *L. 2. de Festis c. 14.* Sanchez *L. 1. Moral. c. 12. n. 28.* Laym. *cit. c. 11. n. 4.* Hinc si quis tempore Quadragesimæ hinc abeat, veniátque in Diœcesin, ubi permissus est esus carnium, poterit ibi eas comedere, tametsi hic esus in loco domicilij non sit permissus.

48. Denique procedit assertio non tantùm de personis, sed etiam de rebus extra territorium jus dicentis existentibus: statutum enim, quòd hîc fit, non comprehendit res alibi existentes, tametsi earum possessor hîc sit, & statutum condenti subjectus, ut post Bart. Bald. Castr. Alex. Jason. Cephal. Curt. Sen. ac aliorum communissimam tradunt Marta *p. 4. de jurisdict. casu 53. n. 10.* Petr. Barbosa *ad L. exigere dotem 65. ff. de Iudic. n. 163.* Menoch. *consil. 672. n. 2. & cons. 656. n. 5.* Gail. *L. 2. obs. 124. n. 9.* Et quamvis Bartol. aliique apud Gabrielium *L. 6. tit. de statut. concl. 8. n. 27.* distinguant inter statutum favorabile & odiosum, hócque fateantur non extendi ad res alibi sitas, benè tamen illud: ex quo inferunt, quòd si vi statuti alicujus ad ultimam voluntatem non requirantur solemnitates Juris communis, sed sufficiant duo v. g. testes, testamentum vi talis statuti cum duobus testibus confectum, valeat quoad bona sita etiam ibi, ubi septem testes requiruntur. Alij tamen complures apud Oliva *p. 3. For. Eccl.*

*q. 4. n. 3.* ſine diſcrimine id aſſerunt etiam de favorabili. Quam ſententiam cit. Oliva dicit receptiſſimam & de Jure veriorem, eò quòd bona ſint ſubjecta tantùm illi Principi, in cujus territorio ſita ſunt. Meliùs alij reijciunt diſcrimen, quod facit idem Bart. in *L. 1. C. de ſum. Trin.* dum ait, ſi ſtatutum dirigitur in perſonas, ex. gr. dicendo *ſolus primogenitus ſuccedat*, intelligendum eſſe etiam de bonis extra territorium exiſtentibus; ſecùs, ſi dirigatur in rem; e. g. *bona defuncti perveniant ad ſolum primogenitum.* Hoc, inquam, diſcrimen complures reijciunt, & rejecit Camera Imp. teſte Mynſing. *cent. 5. obſ. 19.* aiúntque, in neutro caſu extendi ſtatutum ad bona alibi ſita. Quod modò dictum eſt de lege municipali, dicendum eſt cum communi DD. etiam de Conſuetudine locorum: nam neque iſta porrigitur ad res alibi ſitas, ut cum Bart. Jaſ. Panor. Felin. Ruin. Tiraq. aliísque tradunt Gabriel. *l. c. concl. 9.* Covarr. *de ſponſal. p. 2. c. 7. n. 7.* Oliva *l. c. n. 5.* Ex quibus inferunt, quòd ſi Statutum vel Conſuetudo alicubi ferat, ut conjuges ſibi invicem ab inteſtato ſuccedant, vel ut parens liberos habens ſuperſtites aut filius aſcendentes, non niſi de tertia bonorum parte diſponere poſſint, vel ut primogenitus in omnibus bonis ſuccedat &c. id locum non habeat in bonis ſitis extra territorium, ubi hujusmodi ſtatutum vel conſuetudo non viget. Hoc tamen Gail. *l. c. in fin.* cum Baldo aliísque limitat quoad bona mobilia & nomina debitorum; hæc enim etſi ſint extra territorium ſtatuentis, cenſeri tamen præſentia in loco, in quo erat perſona teſtatoris tempore conditi teſtamenti, eò quòd reſpiciant perſonam, immobilia verò territorium. Indidem ſequitur, ut obſervat Oliva *l. c. n. 25.* ſtatuta & conſuetudines ſæcularium non habere vim quoad bona Eccleſiaſtica, cùm ſint exempta ab eorum foro & poteſtate *C. Eccl. ſanctæ de Conſtit. C. cùm laici de reb. Eccl. alien.* ac propterea extra eorum territorium eſſe cenſeantur, cùm paria ſint extra forum eſſe & ſtatutis non ligari.

49. Quamvis autem ſtatutum & conſuetudo, queis certa ſolemni-

solemnitas contractibus, vel dispositioni ultimarum voluntatum præscribitur, non extendatur ad actus gestos extra territorium statuentis, ligat tamen omnes subditos, imò etiam non subditos, qui disponunt vel contrahunt intra territorium statuentis, etiam quoad bona alibi sita: quia quoad formam actûs semper attenditur statutum & consuetudo loci, ubi actus celebratur. *L. si fundus 6. ff. de Eviction. L. 2. ff. quemadmodum testam. aper.* Fusè *de* hoc Gallius *L. 2. obs. 8. in fine & obs.* 123. Mynsing. *cent. 2. obs. 82. & cent. 5. obs.* 20. Carpz. *p. 3. jurispr. for. constit. 6. defin.* 12. Gabrielius *L. 6. tit. de consuet. concl. 2.* Brunnem. *in cit. L. 6.* Ex quo deducunt Bart. Aretin. Bald. Angel. Castr. Valasc. ac alij apud Oliva *l. c. n.* 31. quòd testamentum coram duobus aut tribus testibus conditum in loco, ubi hic testium numerus sufficit, valeat etiam quoad bona alibi sita, ubi major numerus testium requiritur.

50. Limitanda tamen hactenus dicta censeo cum communi DD. & sic assero quartò: illorum Superiorum, qui non habent jurisdictionem vi alicujus territorij aut quasi, qualem exercent Principes & domini territoriales, Episcopi, & Rectores Universitatum, sed independenter à territorio jurisdictionem aut potestatem immediatè in personas habent, uti habent Prælati Regulares in subditos Religiosos, patres in liberos, domini in servos: horum, inquam, Superiorum statutis & præceptis ligantur subditi, ubicunque existunt. Ratio discriminis hos inter & illos est: quia Episcopus v. g. jurisdictionem immediatè habet in territorium, & ratione hujus in personas, quæ proinde, si illo absint, ejus jurisdictione non ampliùs ligantur: Prælatus verò Regularis jurisdictionem immediatè habet in personas Religiosorum territorio non alligatam, quæ proinde istos comitatur, quócunque abeant.

51. Limito ulteriùs, & assero quintò cum Coninck *l. c.* ac alijs: etiam domini territorialis, v. g. Episcopi, præceptis obligantur subditi extra Diœcesin existentes, si nomine ejusdem

vel Capituli legatione alióve munere fungantur aut negotio: nam ratione hujus manet persona subjecta, & sic quoad illud præcepta absenti dari possunt; tum quòd iste hac ratione moraliter est in territorio & sub jurisdictione sui Episcopi, & ab hoc actu adhuc dependet; tum quòd Episcopi interest, benè geri negotium à subdito, ac proinde istum dirigi in illo posse.

52. Hinc consequens est alia limitatio, asseróque sextò: subditi etiam absentes obligantur statutis & præceptis sui territorij, subjacéntque pœnis in transgressores statutis, si factum vel delictum afficit ipsum territorium & in ipso aliqua ratione committitur. Sic tenent cum communissima DD. Covarr. *in C. Alma de sent. Excom. in 6. p. 1. §. 20. n. 3.* Salas *de Leg. disp. 14. sect. 5. à n. 71.* Suar. *de Leg. L. 3. c. 32. n. 8.* & *disp. 5. de Censur. sect. 4. & 5.* Bonacina *de Leg. disp. 1. q. 1. pun. 6. n. 67.* contra Gabrielem *in 4. dist. 28. q. 2. concl. 6.* & Basil. Pontium *L. 5. de Matr. c. 7. n. 20.* Exempla sunt: si quis in alio territorio stans vulneret quempiam stantem in isto; aut si Clericus Beneficiatus à Diœcesi absit & hîc in loco Beneficij non resideat; aut absens curet extrahi frumentum hinc exportari vetitum, vel importari merces huc invehi vetitas; aut cum re aliena hinc aufugerit & non restituat; aut alijs debitis, ac obligationibus, ad quas hîc tenetur, non satisfaciat, aut contra prohibitionem vel alteri Principi militet, vel alibi mercaturam exerceat &c. quia isti, tametsi absentes, hîc tamen peccant, dum omittunt, quod faciendum hîc erat; aut committunt, quod erat omittendum, cedítque eorum factum vel omissio in speciale vel damnum vel injuriam proprij territorij.

53. Cùm subditi, exceptis casibus modò enarratis, non ligentur statutis sui territorij, dum extra illud degunt, dubium oritur, an de industria inde abire possint eo fine, ut se ejus statutis subtrahant. Negant Silvester *V. Iejunium q. 2.* Vasq. *in 3. p. q. 98. art. 2.* Salas *de Legib. disp. 14. sect. 5. n. 63.* Rebell. *de Iust. p. 2. lib. 2. q. 7. sect. 3. n. 16.* Less. *de Iust. L. 4. c. 2. n. 60.* aliíque complures. Ego affirmandum censeo cum Sanchez *L. 3. de Matr. disp. 18. n. 29.* &

29. & *L.* 1. *in Decal. c.* 12. *n.* 35. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 13. *n. pen.* Basil. Pont. *L.* 5. *de Matr. c.* 9. *n.* 4. Palao *tr.* 3. *disp.* 1. *pun.* 24. §. 5. *n.* 4. Bonacina *de Leg. disp.* 1. *q.* 5. *pun.* 6. *n.* 64. Delbene *de Immun. Eccl. c.* 12. *dub.* 2. *sect.* 1. *n.* 1. aliisque. Nihil enim prohibet, quin id fieri possit: tametsi enim quisque teneatur legibus propriis sui domicilij, quamdiu ibi est: nulla tamen lex est, quæ jubeat ipsum ibidem manere. Licitè ergo abit, & dum absens est, lege solutus est. Verum quidem est, dolum & fraudem nemini debere patrocinari. *C. sedes* & *C. Ex tenore de Rescript.* sed negamus, hîc fraudem intervenire: quia *nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur. L.* 55. *ff. de R. I.* Hinc altiùs tollendo potest quis ædes vicini obscurare intermisso legitimo spacio. *L.* 14. *ff. de servit. urb. L.* 26. *ff. de Damno inf. L.* 8. *C. de servit.* & *aq.* nisi absque suo commodo & ex sola malitia (cui non est indulgendum) id faciat. *L.* 61. *ff. de R. I. L.* 38. *ff. de R. V. L.* 1. §. 12. *ff. de aqua pluv.* In fraudem statuti is agit, qui tenetur in loco manere, indéque abit absque necessitate vel licentia, v. g. Beneficiatus ex loco Beneficij, aut si medijs observandæ legis, quæ tenetur procurare, obstaculum ponit. Ex dictis consequens est, non peccare, qui ex dioecesi, in qua est dies festus aut jejunij, abit in aliam, ubi festum aut jejunium non observatur, ibíque opus servile faciat, aut comedat. Exemplum aliud dant cit. DD. de eo, qui è loco, ubi Tridentinum Concilium receptum est, eò abit, ubi receptum non est, eo fine, ut ibi clandestinè matrimonium contrahat: aiunt enim tale matrimonium valere. Sed falluntur: est enim invalidum vi decreti Urbani VIII. quod refert Card. de Lugo *L.* 1. *Resp. Mor. dub.* 36. nisi ibi, ubi contrahit, figere velit domicilium.

## §. III.

## *An Judex contra suos subditos in alieno territorio existentes procedere possit.*

SUMMARIUM.

54. *Nec Realis Citatio fieri potest in alieno territorio.*

55. *Nec Verbalis.*
56. *Sed implorandus est Iudex territorij, ubi reus moratur.*
57. *Sententia judicialis obligat etiam absentes.*
58. *Executio tamen in alieno territorio fieri nequit.*

54. Ubi decisum modò est, non posse leges & præcepta ferri subditis extra ferentis territorium existentibus: indagandum restat, quatenus Judex intra suum territorium procedere judicialiter possit contra suos subditos extra illud existentes. Potissima quæstio est de Citatione, Sententia, ejúsque Executione. Illam de Citatione Angel. in *L. 2. ff. de jurisd. n. 6.* & Jason *n. 24.* aiunt esse valde dubiam & egere Cæsarea decisione. Obscuram certè reddiderunt multi DD. qui parùm distinguunt inter illam, quâ subditus extra locum domicilij existens citatur, & eam, quâ extraneus ad locum delicti, contractûs, aut rei sitæ. De hac separatim suo loco agam, quando explicabo modos sortiendi forum per delictum, contractum &c. De illa prima nunc agendo facilè convenit inter omnes, citationem realem, quæ fit per capturam, in alieno territorio fieri non posse, quia, qui in alieno territorio jurisdictionem exercet, territorium violare dicitur, ideóque injuriarum tenetur, si fugientem insequatur, & sine licentia domini territorij capiat: adeò, ut captus ante omnia relaxari debeat. *L. fin. ff. de Offic. Præf. urb. L. 1. & 2. de Offic. Proconf. L. 3. ff. de Offic. Præfid. Clem. quamvis de foro comp.* fusè Farin. *L. 1. Prax. crim. tit. 1. q. 7. n. 40.* In Romano tamen Imperio juxta Recessum Augustæ Vindel. erectum Anno 1559. §. und wiewol Magistratus offensus in territorio hostes & turbatores pacis publicæ die gefährliche Reisigen und Fueß-Knecht / Rauber und Mörder / palantes equites & pedites grassatores, prædones, & latrones persequi etiam in alieno territorio potest, & capere, ita tamen, ut ibidem juri sistantur, nec ex loco, ubi capti sunt, in alienam jurisdictionem abstrahantur. Gail. *L. 1. de Pace publ. c. 16. n. 25.* Mynsing. *cent. 2. obs. 28.* Matth. Stephani *L. 1. de jurisd. c. 33. n. 69.* Illi quoque, qui obedientiam perpetuam debent, possunt propriâ auctori-

toritate Superioris ubique capi, ut si Religiosus fugiat è Monasterio, uxor à marito, servus à domino &c. uti ex *L. si quis* 1. *C. ubi quis de curiali* colligunt Baldus *ibid. n.* 1. Salicet. Castr. ac alij, & si non est quæstio de obedientia, etiam propria auctoritate reduci possunt. Si verò Religiosus neget, se esse subditum hujus Prælati, vel fœmina se diffiteatur esse uxorem, aut servus dicat, se esse liberum, vel huic domino non subjectum, deductio fit ad Judicem, cui formula, quæ *cit. L.* 1. præscribitur, in cognoscendo servanda est. Et ita quoad apostatas Religiosos in praxi servatur. Perez *in C. cit. tit. n.* 4. Idque procedit, non solùm si Religiosus, servus, uxor, filius aufugit, sed etiam, si cum licentia abijt, statuto tamen tempore & vocatus non redit. Rationem dat Avila *p. 2. de Censur. c. 3. disp. 2. dub.* 4. quia hujusmodi captura non fit per viam jurisdictionis, sed habet rationem vindicationis & necessariæ defensionis. Eódem pertinet, quod tradunt Bapt. Caccial. *tr. de debit. fugit. q.* 7. & Perez *l. c.* debitorem fugitivum repertum in alieno territorio posse propria auctoritate capi, etiamsi ibi non contraxerit, nec alia de causa forum sortitus sit. Alij videntur requirere, persecutionem cœptam esse in proprio territorio, dum aiunt, licitum esse, in continenti furem vel debitorem fugientem persequi, & quæ portat, ei auferre, si causa fugientis sit notoriè mala & non controversa. Gail. *L. 2. obs.* 44.

55. Cùm certum sit, Citationem Realem in alieno territorio fieri non posse extra duos casus modò enarratos, solùm dubitur de Verbali. Hanc extra citantis territorium fieri posse asserunt post Cynum, Bartol. ac Bossium Gail. *L. 1. obs.* 56. *in fine*, Zanger. *de Exception. p. 2. c.* 1. *n.* 170. ac alij. Distinguit (nulla tamen discriminis allata ratione) Scaccia *L. 1. de Iudic. caus. c.* 40. inter causas civiles & criminales, & in his negat *n. 6. §. tertium casum* citari etiam verbaliter posse subditum ex alieno territorio ad suum proprium; in civilibus verò concedit *n. 9. §. quæro secundò.* Alij aliter distinguunt, præcipuè Legistæ, quos refert idem Scaccia *cit. n. 6. §. insurgit*, aiúntque, si territorium utrumque

que sit sub eodem Principe, posse Judicem unum citare ex territorio alterius, etiam sine hujus requisitione ac consensu; secùs non. Mihi, secluſa consuetudine & considerato solo Jure scripto, cum communi Canonistarum, quam referunt Aretin. *consil. 135.* & Clarus *L. 5. sent. §. fin. q. 31. n. 20.* ac cum Andr. de Isern. aliisque sequuntur Maranta *p. 6. Speculi tit. de Citat. n. 40.* & Berlich. *p. 1. Concl. pract. 11. n. 3.* dicendum videtur, etiam citationem verbalem in alieno territorio fieri non posse, sive causa criminalis sit sive civilis, juxta textum *Clem. Pastoralis 2. de Sent. & re judic. §. ut illud tanquam notissimum, §. Nos quoque Regis, & §. Rursus non est silentio*, cujus auctoritati non obstat, quòd temerariè ac impudenter vilipenditur à Cyno, quem propterea meritò reprehendunt Berlich. *l. c.* quamvis heterodoxus, & Vincent. Gravina *de Ortu & Progressu Iuris Civil. n. 171.* Accedit, quòd *L. 1. §. 2. ff. de Requir. vel absent. damn.* & *Novell. 134. c. 5.* absolutè, & absque mentione citationis verbalis per nuncium faciendæ, decernitur, literas dandas ad Judicem territorij, ubi reus latitat. Hícque modus requirendi per literas Judicem loci, in quo moratur citandus subditus, communiter servatur teste Alberico *in cit. L. 1.* Claro *l. c. n. 19.* Maranta *cit. n. 40.* Scaccia *cit. n. 6.* Assertio procedit etiam tunc, quando plures Judices sunt sub eodem Judice supremo, & separatas jurisdictiones habent, uti sunt plures præfecti & præsides sub eodem Principe, plures Principes sub eodem Imperatore & Rege: nec enim unus è territorio alterius citare reum potest, nisi requisitione factâ & implorato subsidio illius, in cujus territorio reus moratur. *Novell. 15. c. 6. §. 1. cit. L. 1. §. 2. ff. de Requir. vel abs. damn. L. quod promulgatis 2. C. de Offic. præf. urb. L. fin. ff. de Iurisd.* Fusè Berlich. *l. c. n. 15.* Quod ait Gail. *l. c.* subditum quócunque se verterit, semper manere subditum, ac propterea in loco domicilij citari posse, nimium probat; nam sequeretur, subditum etiam absentem teneri statutis sui domicilij, nec valeret illa regula suprà allata, extra territorium jus dicenti impunè non pareri.

56. Quòd

56. Quòd si quæras, quid faciendum sit, si Judex territorij alieni, ubi reus moratur, per literas subsidiales requisitus, illum sistere legitimo Judici nolit, respondet Scaccia *l. c. n. 6.* duo remedia suppetere. Primum ex Hostiensi, Felino, Dyno, & Afflict. idque haud dubiè securissimum & ordinarium, ut Superior adeatur, qui illum Judicem renuentem compellat. Alterum ex Bart. Neviz. Boss. ac Moder. ut Judex rei per se ipsum citet, quoad omnes, ut ait, effectus condemnationis. Huic remedio saltem tunc locus erit, quando Superior nullus est, qui illum alterum Judicem compellat: ne videlicet cursus Justitiæ sufflaminetur, & actor damnum ferat, reúsque impunè deliquerit. Verùm de hoc infrà fusiùs dicetur *à n. 143.*

57. De Sententia, quæ non extrajudicialiter tanquam statutum vel præceptum (ut suprà dictum est *n. 42.*) sed cognitâ causâ fertur in judicio, certum est, quòd obliget etiam absentes; sive sit lata in subditos sive in extraneos, forum ratione vel contractûs, vel delicti, vel rei sitæ sortitos; sive lata sit in præsentes, sive in absentes contumaces, juxta *L. de unoquoque 47. §. 1.* & *L. Contumacia 53. ff. de Re judic. Auth. Qua in provincia §. Eo autem. C. ubi de crim. agi oport. L. properandum 13. §. 3. C. de judic. L. Et post 73. §. fin. ff. cod. L. Ea quæ 7. C. quom. & quand. Iudex. c. Postulasti 14. de foro comp.* Imò tametsi lata sit in absentes non contumaces, dummodò præsentes litem fuerint contestati, & ab illa non appellârint. *L. fin. C. quom. & quando Iudex*, & DD. *ibi:* quia etsi vis statuti non transeat ultra territorium, transit tamen sententiæ, cùm in judicio quasi contrahatur à partibus juxta *L. licet. 3. §. 11. ff. de peculio.* ejúsque obligatio inhæreat ossibus personæ quócunque cum ea transiens, sicut obligatio ex contractu. Quod etiam de absente condemnato procedit, *quia contumacia ejus pro præsentia est. cit. Auth. Qua in provincia.*

58. Executio tamen nec in persona nec in rebus extra territorium existentibus fieri potest à Judice sententiam ferente, sed requirendus est Judex territorij, ubi sitæ sunt. Patet cùm ex mo-

dò dictis *n. 54.* tum ex *C. Postulásti 14. de Foro comp. C. Romana 1. §. 3. eod. in 6. L. A Divo Pio 15. §. de Re jud.* Hinc etsi confiscatio bonorum trahatur ad bona existentia etiam in alio territorio, eáque applicanda sint Cameræ seu fisco loci, ubi confiscationis sententia lata est, & habens potestatem super personis delinquentium, habeat simul super eorum rebus ubicunque sitis: executio tamen fieri nequit, nisi per Judicem loci, ubi bona sunt sita; ne jurisdictiones confundantur, quod fieri non debet. *can. Pervenit. 7. q. 1. L. 1. C. de Iurisd.* & Gloss. *ibi V. Auxilium. Novell. 15. c. 2.* Ille verò per litteras mutui compassûs seu subsidiales imploratus auxilium suum promptè impendere debet, cùm una jurisdictio per aliam adjuvanda sit, *cit. L. 15. §. 1. ff. de Re jud.* De hac executione à Judice territoriali facienda eleganter text. *L. 2. C. de his, qui latron. L. Episcopale C. de Episc. aud. cit. c. 1. §. 3. de foro comp.* Bartol. *in cit. L. 15. col. 2. n. 4. & 5.* Tuscus *lit. I. concl. 466.*

## §. IV.

## *An Jurisdictio Voluntaria in Subditos alibi existentes exerceri possit.*

### SUMMARIUM.

*59. Iurisdictio voluntaria in alieno territorio exerceri potest.*
*60. 61. Explicatur assertio per varios casus.*
*62. Excipiuntur actus voluntariæ Iurisdictionis cognitionem judicialem requirentes.*
*63. Etiam Delegatus hanc jurisdictionem extra territorium exercere potest.*

59. Jurisdictionem Contentiosam extra territorium exerceri non posse hactenus monstratum est. Quin possit Voluntaria, nihil obstat: non quidem *L. fin. ff. de Iurisd.* & *Clem. 1. de foro comp.* cùm loquantur solùm de Contentiosa: non ratio suprà allata, cùm Voluntaria ordinarium Juris processum aut Judicem pro tribunali sedentem non requirat, ac idcirco alteri Judici, in cujus

cujus territorio exercetur, nulla injuria inferatur, eò quòd nihil in personas, nihil in res earum statuatur, nemo citetur, nemo in jus trahatur, omnia constent favore quodam, & vel liberationem vel libertatem vel pietatem habeant, uti est emancipare, adoptare, eligere ad Beneficia, confirmare, conferre &c. Igitur exerceri extra proprium territorium posse tenent Gloss. & DD. *in C. Novit.* & *C. pen de Offic. leg.* Hostiens. ac alij in *C. quia diversitatem* & *C. post electionem de concess. præb.* Bald. & Alberic. in *L. Emancipari ff. de adoption.* Gloss. Jas. Hippol. Dec. in *L. ult. ff. de jurisd.* Covarr. *L. 3. var. c. 20. n. 8.* ubi cum Decio ac alijs testatur esse communem. Patet ex *L. Omnes 2. ff. de Offic Procons.* & *L. Emancipari 36. ff. de adoption.* Assertio procedit non tantùm de jurisdictione, quæ competit Jure communi, sed etiam de illa, quæ Jure singulari, seu ex privilegio vel præscriptione, ut contra Romanum *singulari 48.* & Curt. Junior. *in L. ult. ff. de jurisd. col. 1.* observant Covarr. *l. c. n. 9. §. cæterùm*, & Oliva *p. 3. de Foro Eccl. q. 10. n. 4.* quia Jura non distinguunt inter unam & alteram.

60. Hinc (ut nonnulla exempla ponamus) deducunt Legistæ I. actum legitimationis in omni loco fieri posse, cùm ad voluntariam jurisdictionem spectet. Bald. *in L. pen. q. 7. de sum. C. Trin.* Covarr. *p. 2. de sponsal. c. 8. n. 17.* Matth. Stephani *lib. 1. de jurisd. c. 33. n. 27.* Idem tradunt de investitura Stephani *l. c n. 30.* & Sylvan. *tr. de Feud. recogn. q. 91. n. 2. 5.* & *9.* Quin non solùm vasallum investiri in feudo extra territorium, sed etiam alia regalia à Principe exerceri posse tradit cum Andr. de Isern. Afflict. Chassan. *ad Consuetud. Burg. rubr. de just. n. 74.* Inferunt II. cum Bart. *in L. in hac 30. C. de Donat.* ac alijs Gail. *L. 2. obs. 39. n. 28.* Wurmbser. *tit. 43. obs. 2. n. 3.* Gabrielius *tit. de Donat. concl. 1. n. 56.* Fichard. *vol. 1. consil. 7. n. 8.* Modest. Pistor. *consil. 20. n. 26.* Natta *consil. 528. n. 10.* contra Vaud. *L. 1. var. qq. c. 11.* Colerum *p. 2. de process. execut. c. 1. n. 9.* ac alios (quorum opinionem veriorem magisque receptam ait Menoch. *consil. 84. n. 51.*) insinuationem

tionem donationis coram quocunque Judice etiam non suo fieri posse: eò quòd causæ cognitionem & per consequens partis citationem, & decretum non requirat, sed simplicem duntaxat approbationem, imò juxta multos DD. ne istam quidem, ac proinde ad actus voluntariæ jurisdictionis pertineat. Quamquam altera opinio negans magis fundata videri possit *in L. 30. & 31. C. de Donat.* & *L. un C. de Offic. juridici Alex.* Inferunt III. Decius in *L. ult. ff. de jurisd.* & Oliva *de Foro Eccl. p. 3. q. 10. n. 20.* gradum Licentiæ & Doctoratûs conferri extra territorium & Academiam posse, eò quòd collatio pertineat ad voluntariam jurisdictionem. Colligunt IV. Notarij à SS. Pontifice vel Imperatore, aut ejus Comite Palatino creati, instrumentum fidem facere etiam extra territorium creantis, eò quòd conficere instrumenta sit actus voluntariæ jurisdictionis. *L. 1. & 2. ff. de Offic. Procon. L. Emancipari ff. de Adopt. L. Non solum §. Et qui ff. de Excus. tut.* Gail. *L. 2. obs. 71. n. 13* Matth. Stephani *L. 1. de jurisd. c. 33. n. 71.* cum communi. Colligunt denique V. Gail *L. 2. obs. 123.* Nic. Everhard. Jun. *L. 2. consil. 28. n. 76.* Laym. *L. 1. Th. Mor. tr. 4. c. 12. n. 5.* Vasq. *in Opusc. tr. de Testam. §. 1. dub. 1.* Oliva *3. p. de Foro Eccl. q. 4. n. 40.* Illust. D. Schmid, & Prænob. D. de Bassis *semicent. 1. qq. for. contr. 38. n. 7.* cum Bart. Bald. ac communi DD. forensem posse condere testamentum cum illa minore solemnitate, quæ in loco, ubi condit, statuto vel consuetudine recepta est, illúdque valere etiam quoad bona alibi sita: eò quòd constitutio testamenti alteriúsve ultimæ voluntatis sit jurisdictionis voluntariæ. Dissentit cum Oldrado Fachin. *L. 5. c. 90. & 91.* hanc doctrinam eo duntaxat casu admittens, quo forensis loci oneribus se subijcit, cujus favoribus vult gaudere.

61. Inferunt indidem Canonistæ I. Beneficia Ecclesiastica conferri ab Episcopo posse existente in aliena Diœcesi. Selva *tr. de Benefic. p. 3. q. 40. & 63.* Crott. *in C. ult. de constit. in 6.* Covarr. *l. c.* Idem de Vicario Generali plerique tradunt contra Baldum, Francum, ac alios, quorum doctrina, ut ait Covarr. ex eo cor-

corruit, quòd hæc jurisdictio sit voluntaria, adeóque extra territorium exerceri possit. Inferunt II. Licitum esse Episcopo (nisi contraria alicubi consuetudo obstet) in aliena Diœcesi sine licentia illius Ordinarij sacrificare in Pontificalibus, seu cum mitra & pedo. Panor. *in C. ult. de Translat. Episc. n. 4.* Gloss. & Host. *in Clem. ult. de privil.* Silvest. *V. Patriarcha §. tertium*, ac alij, quos citat & sequitur Delbene *de Immun. Eccl. c. 12. dub. 2. sect. 4.* Nec obstat, quòd Archiepiscopus extra suam Diœcesin Pallio Archiepiscopali uti nequit: quia strictior est usus pallij quàm pontificalium, ut ait cit. Glossa. Pariter non obstat Trident. *sess. 6. c. 5. de Reform.* ubi dicit. *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegij prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia &c.* ibi enim per exercitium Pontificalium intelliguntur actus Ordinis Episcopalis, quales sunt Ordines conferre, Chrisma conficere, Altaria & Ecclesias consecrare, degradare &c. Hujusmodi actus vetitos esse Episcopo in aliena Diœcesi absque licentia Ordinarij loci constat ex cit. Tridentini decreto junctâ Cardinalium declaratione. Gestare autem Pontificalia non tam est actus & exercitium, quàm signum Jurisdictionis & potestatis Episcopalis. An autem saltem prima Tonsura in aliena Diœcesi conferri possit, controversum est inter DD. nec vacat hîc discutere. Inferunt III. Sanchez *L. 3. de Matr. disp. 19. n. 11.* alijque, quos allegat, posse Parochum matrimonio sui subditi assistere in aliena Parochia absque licentia proprij Parochi loci; eò quòd hæc assistentia actus Jurisdictionis non sit, & quamvis ad eam reduci possit, seu similitudinem quandam jurisdictionis habeat, non tamen pertineat ad contentiosam, sed ad voluntariam. Inferunt IV. tenentque teste Sanchezio *l. c.* & Oliva *l. c. n. 7.* plerique, posse Parochum suos subditos in aliena Parochia valide & licite à peccatis absolvere: etsi enim non tantùm Medicum Spiritualem, sed etiam Judicem agat, ejus tamen tribunal est arcanum & jurisdictionem solùm in foro interno exercet, quâ non turbat jurisdictionem alienam. Notat tamen cum Sanchezio ac alijs Laym.

*L. 1. Th. Moral. tr. 4. c. 5. n. 4.* hujusmodi actus voluntariæ jurisdictionis in alieno territorio exercendos esse ferè privatim & non publicè, quò scandalum & confusio evitetur.

62. Verùm modò dicta non usque adeò certa sunt, quin in controversiam vocari possint. Inprimis enim multa sunt, quæ pertinent ad voluntariam jurisdictionem, cognitionem tamen requirunt, ac proinde partis citationem, qua de causa reducuntur ad contentiosam, & sic in alieno territorio expediri nequeunt. Unde distinctione opus est: nam aliqua sunt, quæ cognitionem & discussionem exigunt; sed non judicialem, quia non est pars, quæ se opponat. Talia sunt Dispensatio in Votis, Juramentis, & Legibus, Concessio privilegiorum ac gratiarum, Confirmatio Electionis, Collatio Beneficiorum & Officiorum, Manumissio, Legitimatio &c. quæ etsi examine aliquo indigeant, utrùm v. g. dignus sit, qui prensat Officium, an preces veritate nitantur & causa dispensandi subsit, an legitimè facta sit Electio aut Præsentatio &c. sæpe tamen nulla intervenit partium contentio, quæ cognitionem judicialem requirat, sed extrajudicialis tantùm & simplex informatio capienda est. Hæc extra territorium expediri posse dico cum Jasone *in L. fin. ff. de jurisd. n.* 11. Panorm. *in c. Novit. de Offic. leg. n. 5.* Franco *in c. fin. de Elect. in 6. n. 9.* Lambertino *L. 2. de Iure patron. p. 2. q. 2. art. 11. n. 2. & 4.* Garcia *de Benef. p. 5. c. 8. n. 142.* Sanch. *de Matr. L. 3. disp. 8. n. 6.* Oliva *de Foro Eccl. p. 3. q. 10. n. 14.* Ratio obvia est: quia juxta communem DD. etiam illa, quæ de se pertinent ad jurisdictionem contentiosam, extra territorium fieri possunt, si talia sint, ut expediri queant absque citatione partis & cognitione judiciali: ergò à fortiori illa, quæ pertinent ad jurisdictionem voluntariam; qualia sunt, quæ modò enarravimus. Aliàs leges, quæ juxta *n. 59.* exercitium hujus jurisdictionis extra territorium permittunt, ferè nùnquam locum haberent, cùm actus etiam jurisdictionis voluntariæ ferè semper requirant prævium quandam informationem & cognitionem extrajudicialem, ne temerè & inconsultò procedatur

datur. Alia è contrario sunt, quæ non fieri aut certo duntaxat modo fieri aliorum interest. Talis e. g. est confirmatio electi, & institutio præsentati, cui à parte contradicitur; dispensatio in juramento, cedens in præjudicium ejus, cui facta est jurata promissio; exemptiones & privilegia alijs damnosa; manumissio facienda per minorennem; legitimatio, quæ in certis casibus (de quibus doctè Covarr. *p. 2. de sponsal c. 8. §. 9. à. n. 7.*) absque aliorum consensu fieri nequit. Cognitio super his & citatio partis, cùm pertineat ad contentiosam jurisdictionem, extra territorium fieri nequit. Hàc tamen factâ ipsa legitimatio, dispensatio, confirmatio &c. extra illud fieri poterit, cùm sit actus voluntariæ jurisdictionis, retinens suam naturam, tametsi intermedia fuerint contentiosa. Bald. *in L. un. ff. de Offic. Consul. prin. n. 11.* Dec. *in L. ult. ff. de jurisd.* Lambert. *L. 2. de jure patr. p. 2. q. 2. art. 6. n. 3.* Sanch. *l. c.* Garc. *l. c.* Oliva *l. c. n. 26.* Cæterùm juramentum appositum contractui invalido, quem v. g. fecit pupillus absque auctoritate tutoris, absolutè relaxari potest extra territorium Superioris relaxantis: cùm enim, ut hîc ponimus, per illud contractus non confirmetur, sed invalidus maneat, & jurans solùm ex religione illo teneatur, nec alteri jus quæsitum sit, opus ad ejus relaxationem citatione partis non erit. Idem dicendum est de casu, quando relaxatio solùm petitur ad effectum agendi, siquidem sequi quis velit illam multorum sententiam (de qua Covarr. *L. 1. var. c. 4. n. 6.*) tradentem, opus tunc non esse citatione partis, eò quòd absolutio solùm ad effectum agendi nullum parti præjudicium afferat, cùm illâ etiam datâ contractus maneat firmus etiam firmitate juramenti, & sic promissario suum jus salvum consistat, nec impedire iste possit hanc relaxationem, si justa agendi causa sit: citatio autem non requiritur, quoties pars, etiamsi præsens esset, contradicere non posset. *L. Qui potest invitis ff. de R. I.* Menoch. *consil. 216. n. 19.* Surdus *consil. 323. n. 41.* Guttier. *in Auth. Sacram. puber. C. si adverf. vend. à n. 111.* Afflict. *decis. 120.*

63. Alte-

perij vel Regni est, & lex viget in loco peregrinationis, etiamsi propter contrariam consuetudinem vel privilegium non vigeat in loco sui domicilij. E. g. si quis è sua Diœcesi, ubi tempore verni jejunij permissus est esus carnium, transeat aliò, ubi lex jejunij observatur, eam observare tenetur. Negat id quidem cum Palacios & Petro de Ledesma Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 18. n. 7.* at certum esse apud eundem affirmant Henriq. & Emman. Rodriq. & reliquos omnes convenire ait Palao *tr. 3. disp. 3. pun. 24. §. 3. n. 8.* Nec immeritò: quia consuetudo ista particulatis vel privilegium non est personale, sed locale, seu loco inhærens, adeóque cum persona aliò non transiens. Neque valet, quod ille ait, ad breve tempus absentes haberi pro præsentibus: hinc enim sequi videtur, eos vicissim obligari legibus sui domicilij, tametsi non observentur in loco peregrinationis; hoc autem ipse negat, & suam illam opinionem meritò retractat *L. 1. in Decal. c. 12. n. 39.*

66. Secundò censeo, peregrinos non obligari Statutis municipalibus & consuetudinibus loci, per quem transeunt. Ita tradunt cum Joan. Andr. Archidiac. Turrecre. D. Anton. Tolet. *lib. 6. summ. c. 5. n. ult.* Bonacin. *de legib. disp. 1. q. 1. p. 6. n. 36.* aliíque ferè innumeri, quos allegant & sequuntur Joan. Sancius *in select. disp. 54. n. 31.* Thom. Sanch. *cit. disp. 18. n. 6.* & *cit. c. 12. n. 38.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 10. dub. 1. sect. 2. n. 22.* contra Covarr. Suar. Vasq. Navarr. Salas, Henriq. Basil. Pontium ac alios. Ratio est: quia nemo sortitur forum, nisi ratione domicilij vel quasi, delicti, contractûs, rei sitæ, similibúsve modis, quos infrà enarrabo. At per hoc, quòd per breve aliquod tempus alicubi commoror, nec domicilium nec quasi acquiro, nec, ut ponitur, ibi contraho, vel delinquo, vel reconvenior &c. Accedit I. quòd sicut durissimum est, ut dicitur *L. Hæres absens 19. §. proinde. ff. de Iudic. quotquot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere*, ita pariter durissimum est, quibuscunque locorum, ad quæ in transitu venio, statutis & consuetu-

ſuetudinibus ſubijci. Et quòd non tenear ubique, quò delatus ſum, litigare, alia ratio non poteſt, quàm quia non ubique, quò delatus ſum, forum ſortior: ſupponit ergo lex, me non ſortiri forum in loco tranſitûs & per conſequens jurisdictioni illius non eſſe ſubjectum. Accedit II. quòd peregrini hîc nequeant matrimonio jungi, vel ſuſcipere SS. Ordines, vel ſatisfacere præcepto Communionis Paſchalis. Et quòd Græcus Sacerdos peregrinans in loco, ubi ritus Latinæ Eccleſiæ obſervatur, obſervare poteſt ritus Græcos, ut patet ex epiſt. Leonis VIII. vulgò IX. contra præſumptiones Michaëlis Conſtantin. *c. 29.* non aliam certè ob cauſam, quàm quia hujus loci jurisdictioni ſubjecti non ſunt. Gratis verò ait Palao *l. c. n. 17. ad 3.* quoad Sacerdotem Græcum ſpeciale dari privilegium. Accedit III. quòd juxta *C. à nobis 21. de ſent. Excomm.* hæc ſententia Epiſcopi: *quisquis furtum fecerit, excommunicatus ſit*, non niſi ſubditos ligat. Eſt autem quoad hoc par ratio ſtatuti & ſententiæ generalis: hâc enim ideò non ligatur extraneus, quia jurisdictio Judicis loci ad eum ſe non extendit; ſed ſi ad eum ſe non extendit, tunc neque ſtatuto ligatur. Neque dici poteſt, ſolùm excipi non ſubditos, qui extra Diœceſin Epiſcopi ſunt: de his enim in caſu capituli quæſtio nec erat, nec eſſe poterat, cùm per ſe clarum ſit, alienos ſubditos, ſi extra territorium Epiſcopi exiſtant, ejus jurisdictioni non eſſe ſubjectos.

67. Limitant plerique aſſertionem, dicendo, peregrinum teneri ſtatuto vel conſuetudine loci, per quem tranſit, ſi illud pariter vigeat in loco ſui domicilij. Idque certum eſſe affirmat Sanchez *cit. diſp. 18. n. 3.* & contrarium dicere abſurdum eſſe autumant Bonacina *l. c. n. 52.* Salas *de Leg. diſp. 14. ſect. 4. n. 40.* Suarez *tom 1. de Relig. lib. 2. c. 14. n. 15.* Sed vel abſurdum hoc non eſt, vel deſerenda erit noſtra ſententia: nam juxta dicta *n. 43.* nemo ligatur legibus ſui domicilij, dum illo abeſt: igitur ſi obligor in loco tranſitûs, ſolùm obligor, quia ejus Statutis ſum ſubjectus. Cùm ergo, ut modò dixi, nec loci, à quo abſum, nec loci,

Per quem transeo, statutis obstrictus sim, consequentiùs & juribus ac rationibus allegatis conformiùs loquemur, si cum Joanne Sancio hanc limitationem reijciamus.

68. Limitant alij secundò cum Lessio *L. 4. de Iust. c. 2. n. 50.* dicendo, peregrinum non quidem obligari Statutis loci, per quem solùm transit iter faciendo; obligari tamen, si per aliquot ibi dies moretur, v. g. negotiando, aliúdve tractando negotium. Verùm cùm leges commorationem brevis temporis nullibi ponant inter modos sortiendi forum, propterea & ista limitatio reijcienda est. Nec valet, quod dicunt, scandalizatum iri Fideles, si viderent, talem peregrinum non observare vel festa vel jejunia loci, ac idcirco communem sensum esse, quòd ille obligetur: nam rudes, nisi dedoceantur errorem, etiam in priore casu scandalum patientur, si videlicet iter facientem viderint carnes comedere in loco jejunij; docti illud nec in posteriore casu patientur.

69. Hinc consequens est tertia limitatio, quam omnes aut ponunt aut supponunt, cùm sit Juris naturalis: videlicet non esse licitum transgredi statuta loci peregrinationis, si alij inde scandalizarentur, videndo quòd peregrinus in loco, ubi v. g. est dies festus aut jejunij, aut hoc aut illum non observet. Hoc enim casu absque dubio ille se conformare moribus loci tenebitur, nisi suum jus docendo scandalum avertere possit.

70. Quarta limitatio, quam pariter omnes afferunt, est de Statutis & Consuetudinibus in speciale commodum loci, aut ad ejus damna evitanda, inductis: his enim obligari etiam peregrinos dicendum est. E. g. evehere nequeunt merces exportari vetitas, aut invehere invehi vetitas, nec gestare arma ob periculum seditionis vel tumultuum gestari prohibita, nec pretium rerum venalium taxatum excedere, nec ultra tempus commorationi advenarum statutum commorari. Pariter tenentur servare solemnitates contractuum ibi, ubi contrahunt, receptas, cùm ratione contractûs sortiantur forum, ut infrà fusiùs dicetur: solvere item gabellas, quia sunt onus annexum contractibus; solvere vectigal &c.

&c. Ratio obvia est: quia hujusmodi Statutorum prævaricatio fieri nequit absque detrimento boni publici & territorij subditorum, ad quod cavendum cùm quivis etiam extraneus ipsa lege Naturæ dictante teneatur, consequens est, ad illa observanda eum obligari.

71. Canones porrò & rationes, quæ afferuntur ad probandum, peregrinos absolutè obligari Statutis & Consuetudinibus locorum, ad quæ perveniunt, procedunt vel de ijs tantùm statutis, quibus modò dixi subjectos esse etiam peregrinos, vel de casu, quo ex transgressione nasceretur scandalum, ut patet ex *Can. illa dist. 20. Can. quæ contra dist. 8.* Neque obest huic peregrinorum exemptioni, quòd leges cujusque territorij locales sunt, quæ immediatè locum afficiunt atque inde transeunt in personas ibi existentes: nam transeunt quidem in habitantes, qui jurisdictioni ejus loci subjecti sunt; non autem in alienigenas. Pariter non obstat, quod addunt, peregrinos frui privilegijs & exemptionibus loci, in quo peregrinantur, nec in isto obligari Statutis sui territorij, ac idcirco cùm gaudeant commodis, sentire debere etiam onus juxta *reg. 55. in 6.* ac esse subjectos legibus loci, ubi sunt. Non, inquam, hæc obstant: quia regula de ferendo onere, quando sentitur commodum, solùm procedit de casu, quo onus & commodum sunt connexa vel ex natura rei, vel ex dispositione legis aut superioris, uti sunt hæreditas & onera hæreditati annexa, fructus Beneficiales & obligatio residendi ac assistendi divinis, privilegia & dispensationes sub certa conditione & onere concessa &c. non item, cùm onus & commodum connexa non sunt, sed disparata, sicut in proposito casu evenit, cùm nexum inter se necessarium non habeant privilegia & Statuta localia aut exemptio à Statutis domicilij, & subjectio ad leges vigentes extra domicilium.

72. Ex dictis infero primò cum Henriq. *L. 6. de Pœn. c. 14. n. 4.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 14. à n. 6.* Sanch. *de Matr. L. 3. disp. 23. n. 12. & 13.* Less. *de Iust. lib. 2. c. 40. n. 121.* non pos-

se cum peregrinis in legibus, votis, juramentis, irregularitatibus, impedimentis matrimonij, & pœnis contractis dispensari à Superiore loci, in quo peregrinantur, nisi illuc accesserint animo figendi domicilium vel quasi domicilium: quia, ut dictum est, jurisdictioni hujus Superioris subjecti non sunt, & voluntariam jurisdictionem, ut infrà de Prorogatione dicetur *n. 448.* prorogare eidem nequeunt. Ex tacita tamen concessione sui Superioris possunt alibi percipere Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ extra tempus Paschale, imò etiam isto, si ad propriam Parochiam facilè accedere nequeunt. Quin, si in alia Diœcesi justa de causa confiteantur, absolvi possunt à peccatis in propria ipsorum Diœcesi Episcopo reservatis, & quidem à Confessario quovis, si ibi, ubi confitentur, reservata non sunt; ab Episcopo verò, si ibi quoque, ubi confitentur, reservata sunt. Laym. *L. 5. Th. Mor. tr. 6. c. 10. n. 10.* cum Cajet. Henriq. Suar. Addunt Basil. Pont. *L. 8. de Matrim. c. 5. n. 7.* ac alij, urgente necessitate posse Superiorem loci cum advenis dispensare, æquè ac cum subditis, & eorum matrimonio assistere, v. g. si per hoc restaurandus sit honor fœminæ violatæ, aut legitimanda proles, quando pater existit in periculo mortis.

73. Infert secundò Farin. *L. 1. prax. crim q. 7. à n. 6.* cum communi DD. non posse (secluſa consuetudine contraria) peregrinos hîc puniri ob delicta in loco domicilij vel alibi patrata, nisi delictum hîc continuent. Neque contrarium asserit Basil. Pontius, ut ipsi imponit Delbene *de Immun. Eccl. c. 11. dub. 1. sect. 13. n. 5.* multus in refutando, quod ille non asseruerat. Sed de hoc infrà *n. 159.*

74. De Vagis, ijs videlicet, qui nullibi fixum domicilium habent, major dubitatio est. Hos quoque, sicut peregrinos, ab obligatione legum & consuetudinum locorum, per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur, eximunt Lessius *L. 4. de Just. c. 2. n. 29.* Laym. *L. 1. Th. Mor. tr. 4. c. 12. n. 7.* Pasqualig. *de Jejun. decis. 200. n. 4.* Joan. Sanc. *l. c. sect. 8. n. 11.* cum Palud. S. Anton

Anton. Silvest. Medin. Sayro : quia generalis, inquiunt, doctrina est *C. ult. de Foro comp.* neminem sortiri forum, fierique subjectum, nisi vel ratione domicilij, seu habitationis, vel delicti, vel contractûs, vel rei sitæ, vel originis. Vagi autem nullo ex his modis, ut ponitur, subjecti sunt: non ergo sortiuntur forum. Verùm hæc opinio plurimis alijs non immeritò displicet. cum his itaque

75. Censeo tertiò, Vagos obligari legibus omnibus locorum, ad quæ perveniunt, æquè ac incolas. Cùm enim nullibi certum & stabile domicilium habeant, ubique domi sunt, & sic ubique forum sortiuntur, ut constat ex eo, quòd ubique capi & plecti possunt ob delicta etiam alibi commissa. Gloss. *in L. 1. C. ubi de crim. agi opor.* communiter recepta teste Farin. *L. 1. prax. crim. q. 7. n. 3.* Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 37. n. 7.* Gloss. & Bart. *in L. Hæres absens. ff. de judic.* aliique plurimi, quos allegat Sanch. *L. 4. de Matr. disp. 25. n. 5.* Possunt quoque ubique matrimonio jungi, ut patet ex Trident. *sess. 24. c. 7. de Refor.* & ubique absolvi à peccatis, ut tradunt omnes contra Card. *in C. omnis utriusque de pœnit. n. 6.* ad Legatum Pontificium eos pro absolutione remittentem. Rationem dant, quia ubique sortiuntur forum Accedit, quòd nec privato vagorum bono ( ut nihil dicam de publico ) expedit illa exemptio à legibus locorum: sic enim, qui vagantur per orbem, solâ ferè lege naturali, & si Christiani sunt, Ecclesiæ legibus universalibus, ligarentur. Hac autem ratione non benè dirigerentur: ad quid enim tot leges civiles, & politicæ apud omnes gentes belluino ritu non viventes, si benè dirigimur solâ lege Naturæ? Quamquam enim ante legem scriptam Hebræis à Deo per Mosen datam dicatur Gens Humana lege duntaxat Naturæ fuisse gubernata, constat tamen, leges aliquas Divinas positivas ab exordio mundi extitisse, ut exemplis illustrat Suarez *L. 9. de Leg. c. 1.* nec minùs varias humanas leges & consuetudines, seu communi Gentium, seu particularium locorum usu ac Magistratuum sanctionibus inductas viguisse.

76. Re-

76. Responsio ad oppositam rationem patet ex dictis: tametsi enim vagi propriè dictum domicilium vel quasi non habeant, cùm ad illud præter habitationem requiratur voluntas stabiliter in loco manendi, ad posterius verò commoratio per magnam anni partem, ut infrà dicetur, censentur tamen habere domicilium, & sic sortiuntur forum ubique, ubi sunt, quia Magistratus loci jus ipsis & contra ipsos dicit, justitiam vindicativam, & jurisdictionem voluntariam in eos exercet, æquè ac in incolas, uti admittunt adversarij, & praxis docet. Cúmque bonum tam publicum quàm privatum ipsorum exigat, ut forum habeant; certum autem alicubi non habeant, necesse est, ut habeant ibi, ubi sunt. Ex quo consequens est, quod contra Petr. de Ledesma, Em. Rodriq. Sanch. ac alios docent Gabriel, Petr. Soto, Suar. aliíque, non posse eosdem vel absolvi à peccatis vel matrimonio jungi à quolibet Curato Diœcesis, ubi sunt, sed tantùm ab illo, intra cujus Parochiam modò degunt, cùm sint ipsius subditi, & non alterius. Multò minùs hæc ipsis ministeria præstari poterunt à Sacerdote simplici nullam vel ordinariam vel delegatam jurisdictionem habente, uti benè observat Medina *L. de Confess. q. 31.*

## §. VI.

## *Exceptio Fori declinatoria quomodo sit proponenda.*

### SUMMARIUM.

*77. Iudici non competenti opponitur Exceptio Fori declinatoria, seu Præscriptio Fori.*
*78. Quandoque etiam post litis contestationem.*
*79. Ordinariè facienda est ante omnes alias exceptiones.*
*80. Fieri potest in absentia Iudicis, quando citatus non tenetur comparere.*
*81. Disquiritur, an opponi possit, quando reus promisit, se compariturum coram quocunque Iudice.*

77. Cùm

77. Cùm Forum competens & jurisdictio singulorum Judicum nec ad omnes personas, nec ad omnem locum, nec ad omnes causas se extendat, ut hactenus explicavi: consequens est, quòd Judex, qui jurisdictionem non habet, vel in personam, quam citat; vel in causa, in qua citat; vel in loco, ad quem citat, repudiari possit, opponendo, incompetentem esse: cùm litigare coram privato nemo teneatur; litigare autem coram Judice incompetente est litigare coram homine privato, qui potestatem juris dicendi non habet. *L. 1. ff. de Offic. Præsid. L. 1. & 2. ff. de Offic. Procon. L. ult. ff. de Offic. præf. urb.* Hæc repudiatio dicitur *Exceptio incompetentiæ* & *Declinatoria fori.* Ab Honor. & Theodos. Impp. dicitur *Præscriptio fori. L. ult. C. de Except.* Ubi ejus opponendæ tempus definiunt: *præscriptiones fori*, inquiunt, *in principio litis à litigatoribus opponendas esse, legum decrevit auctoritas*, videlicet *L. sed etsi 52. pr. ff. de Iudic.* & *L. Nemo 4. C. de jurisd. om. judic.* Unde si quis alijs priùs utatur exceptionibus, consensisse in Judicem videtur, & ad hanc defensionem reverti nequit. *arg. cit. L. 52.* Bart. *in cit. L. ult. C. de Except.* Specul. *tit. de Except. §. Viso. V. Porrò. Cast. in L. exceptionem C. de probat. col. fin.* Pacian. *L. 2. de probat. c. 45. n. 15. Non* tamen *videtur in Iudicem consensisse*, inquit Modestin. *L. 33. ff. de Iudic. qui edi sibi genus apud eundem Iudicem desiderat actionis*, id est, qui libellum ejúsve exemplum sibi edi petit.

78. Verùm hæc quoque de Exceptione Incompetentiæ regula suas exceptiones patitur, opponíque declinatoria fori etiam post litem contestatam potest. I. Si ejus notitia primùm postea acquiratur, & opponens fidem juramento faciat, se eam notitiam priùs non habuisse. *C. Pastoralis 4. de Except.* cujus decisione standum est, & stant Bart. & DD. communiter, teste Covarr. *c. 25. pract. qq. n. 2.* quidquid opponant Glos. *in L. qui procuratorem. §. 1. ff. de Procur.* Castr. Angel. ac alij: dummodo negligentia in opponente non intervenerit, ac justa fuerit facti ignorantia, ac ante conclusionem causæ opponatur. Covarr. *l. c.* Asinius *in*

*praxi §. 13. c. 2. limit.* 14. Hilliger *in Donell. L. 22. c. 9. lit. ff.* Vigel. *Meth. Iur. contr. L. 2. c. 7. reg. 22. exc. 4. replic 2.* Imò etiamsi minor, mulier, rusticus, eam omiserint ex ignorantia Juris, opponere eam possunt. Sichard. *ad L. 13. C. de probat n. 6.* Hilliger *l. c.* dissentiente Zangero *p. 2. de except. c. ult. n. 6.* cum Jasone & Chalder. II. Si per Judicem stetit, quò minùs antè proponeretur. Vult. *ad L. 4. C. de jurisd. n. 15.* Asin. *l. c. lim. 3.* Vel si is illam rejecit, ut post litem contestatam probaretur. Asin. *l. c n. 5.* Hillig. *l. c.* III. Si declinatoria fori judicium reddit ab initio nullum ex defectu jurisdictionis, quæ nec prorogari potuit nec prorogata censetur: tunc enim etiam post sententiam opponi potest, ejúsque executionem impedit, tametsi tres sententiæ latæ sint, uti notat Glossa *in Clem. 1. de sent. & re jud.* communiter recepta teste Covarr. *c. 33. pract. qq. n. 2.* Unde fit, Clericum hanc exceptionem opponere posse contra secularem Judicem quocunque tempore, etiam post sententiam, quamvis priùs tacuerit, & coram illo litigaverit, cùm in illum non possit consentire. *C. significâsti & C. si diligenti de Foro comp. C. at si Clerici de Iudic.* Et quamvis si illam omisit usque ad sententiam vel ejus executionem, condemnandus sit in expensas, condemnandus tamen est à Judice tantùm Ecclesiastico, ut post Panor. Bald. ac alios notat Covarr. *l. c. §. Clericus*: quia sicut laicus non est ejus Judex competens quoad principalem causam, ita nec quoad expensas. IV. Si pacto & conventione facta est alteratio & coarctatio declinatoriæ exceptionis. *arg. L. qui futurum. ff. de pact. & L. Commissoria C. de pact. inter empt. & vend.* Guido Papæ *decis 275. n. 4.* Borell. *in summa decis. tit. 48. n. 56.* Carpz. *L. 2. Respons. Iur. tit. 2. resp. 9. n. 7.* Mynsing. *cent. 4. obs. 27.* ubi refert, ita judicatum fuisse â Cam. Imp. Hìc porrò notandum est, quamvis exceptiones dilatoriæ opponi possint post litem contestatam, si post hanc primùm emergere cœperunt, *C. Insinuante 25. de Offic. Deleg. L. 2. C. de Consort. ejusd. lit.* id tamen non procedere de exceptione incompetentiæ de novo ortæ: quia per hanc non mutatur

tatur judicium ritè cœptum. *L. siquis 7. & L. ubi 30. ff. de Iudic. L. cùm quædam 19. ff. de Iurisd. C. proposuisti. de Foro comp. L. quamvis 19. C. ad L. Iul. de adult.* Dissentit malè Carpz. *l. c. n. 5.* malèque pro se allegat Panor. & Marant. qui non de hac, sed de alijs exceptionibus dilatorijs loquuntur. Verùm de hoc infrà uberiùs, quando de præventione agemus.

79. Circa hactenus dicta tria in dubium vocari possunt. Primum dubium movet Carpz. *l. c. n. 4.* an sufficiat, Declinatoriam fori opponi ante litis contestationem, quocunque tempore hæc fiat, an verò mox ad citationem factam & in primo termino opponenda sit. Satis esse, si quocunque tempore fiat, dummodo ante litis contestationem, colligitur ex cit. juribus plus non requirentibus, quàm ut fiat ante contestationem. E contrario cùm litigatores ante litis instantiam seu contestationem longo tempore & pluribus sæpe annis in exceptionibus versentur sine litis interitu, ut notat idem Carpz. *l. c. n. 8.* videtur ad præcidendas lites necessarium, ut illa in primo statim termino opponatur. Qua de causa Ant. Thesaur. *decis. 265. n. 1.* aliíque aiunt, quòd reus primo termino non excipiens respectu hujus exceptionis pro contumaci habeatur, ac illâ privetur, seu non ampliùs permittatur eam opponere. Verùm ad hanc dubitationem, quam pluribus versat Carpz. *l. c.* jam satis responsum est, quando cum Maranta *p. 4. Spec. dist. 12. n. 12.* ac communi DD. dixi, exceptionem declinatoriam ante omnes alias exceptiones opponendam esse, ne si priùs alia opponatur, per hoc inducatur consensus in Judicem, & sic ejus forum declinari ampliùs non possit. Qua eadem de causa recusatio judicis ex causa suspicionis ante alia omnia facienda est, ut tenent Bart. Joan. de Imola, & Alex. *in L. quidam consulebant. ff. de R. I.* Lanfranc. *in c. quoniam prin. de probat.* aliíque omnes. Hac autem ratione non est periculum protelandarum litium, & negotij ante factam litis contestationem diu extrahendi.

80. Secundò dubitatur, fieríne in absentia Judicis hæc ex-

ceptio possit, an præsente ipso facienda sit. Nunquam illâ juvari reum, nisi præsens eam in judicio opposuerit; nec sufficere eam in scriptis allegari, sed comparere debere reum, & oretenus in judicio proferre, respondet Carpz. *l. c. resp. 10. n. 1.* quia juxta *L. siquis 5. ff. de judic. prætoris est æstimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris.* Verùm hæc neutiquam probant universalem illam propositionem, nunquam hac exceptione juvari reum, nisi præsens eam in judicio proposuerit. Nam tunc solùm præsens eam opponere tenetur, quando tenetur citatus comparere. At non tenetur comparere, ut dixi *n. 14. & 16.* si certum est, quòd Judex citans non sit competens, v. g. si laicus Judex citet Clericum, aut Magistratus Civitatis Studiosum Academiæ subditum, vel laicus laicum in causa matrimoniali similíve spirituali, aut is, qui non est feudi dominus, vasallum in causa feudi &c. Sed nec illud, quod dicebatur, debere oretenus proponi, fundamentum habet, etiam in illo casu, quo citatus tenetur Judici se sistere: nihil enim vetat exceptionem scripto conceptam Judici tradi, aut exhiberi authenticum exemplar privilegij exemptionis, vel rescripti, quo causa est delegata aut avocata ad Superiorem. Imò Lanfranc *in c. quoniam de probat. n. 11.* contra Bart. *in L. 1. n. 4. ff. de except.* tenet, absolutè eam debere scripto proponi in judicio ordinario, eò quòd reus excipiendo fit actor, actor autem in judicijs ordinarijs scripto & oblato libello agere debeat.

81. Tertiò dubitatur, an opponi declinatoria fori possit, quando reus se obligavit, se compariturum, ubi ubi locorum & coram quocunque Judice fuerit conventus. Affirmant Bart. Jason, aliorúmque communis apud Scaccia *L. 1. de ludic. c. 101. n. 30.* juxta effatum Africani *L. 18. ff. de Iurisd.* dicentis: *si convenerit, ut alius prætor, quàm cujus jurisdictio esset, & priusquam adiretur, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compelletur ejusmodi conventioni stare.* Poterit ergò exceptionem declinatoriam

riam opponere. Contrarium ſtatui videtur à Juſtin. *L. 29. C. de Pactis: ſi quis*, inquit, *in conſcribendo inſtrumento ſe ſe confeſſus fuerit non uſurum fori præſcriptione &c. ſancimus, nemini licere adverſus ſua pacta venire, & contrahentes decipere &c.* Qua lege illam priorem correctam fuiſſe autumant Duarenus ac alij. Plerique conciliare nituntur. Omiſſis varijs conciliationibus, quas benè reijcit Fachin. *L. 1. contr. c. 61.* videtur illa optima, quam ipſe poſt Govea & Cuiacium amplectitur cum Zœſio *ff. de jurisd. n. 31.* videlicet priore lege agi tantùm de pacto nudo, & ſic mirum non eſſe, quòd conventio de non opponendo non obſit oppoſitioni: poſteriorem verò loqui de pacto veſtito, ſeu illo, quod contractui in continenti adjectum eſt, & conſequenter obligationem parit. Verùm quoad forum internum parùm intereſt, pacto nudo an veſtito renunciatum fuerit huic exceptioni: cùm etiam pacta nuda pariant obligationem naturalem & in conſcientia. Imò nec quoad forum externum, ſi verum eſt, quod poſt Baldum, Salic. ac Jaſon. ac hoc teſte communem DD. tradunt Weſenbec. *in paratit. ff. de pactis n. 10. §. quamquam.* & Carpz. *p. 3. jurisp. for. conſt. 5. defin. 22. n. 2.* hodiernis moribus indiſtinctè ex pactis nudis, ſeriò & deliberatè initis, etiam in foro civili dari actionem. Aliam diſtinctionem adhibet Brunneman. *in cit. L. 18. n. 3.* allegans Gozadinum, & falſò Zaſium, non excludi exceptionem declinatoriam, ſi quis ſimpliciter paciſcatur de adeundo Judice non ſuo; ſecùs, ſi dicat, ſe conveniri velle coram quocunque Judice. Verùm hujus diſcriminis rationem nec affert, nec afferre potuit. Illud aſſerunt Zaſius *in cit. L. 18. n. 36.* & Scaccia *l. c.* poſt Bart. Bald. ac aliorum communem, eum, qui ſe obligat ad ſolvendum, quocunque loco conveniatur, non poſſe dictam exceptionem opponere, eò quòd *contraxiſſe unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut ſolveret, ſe obligavit*, ut ait JC. *L. 21. ff. de O. & A.* Verùm ſi loquantur de pacto nudo, eadem difficultas eſt, quæ de pacto nudo, quo ſimpliciter promitto, me ſtaturum judicio, ubi conveniar. Alij cum Caſtr. *in cit.*

*L. 29. C. de pact. n. 3. 5. & 6.* absolutè tenere videntur, neminem vi dictæ conventionis teneri alienum Judicem adire, eò quòd per actum extrajudicialem prorogari nequeat jurisdictio. Verùm aliud est, per tale pactum prorogari jurisdictionem; aliud, me per illud obligari ad eam prorogandam. Tametsi igitur per illam conventionem immediatè & formaliter non prorogetur jurisdictio, eâ tamen obligari possum, ut conventus coram Judice non meo, illum adeam, ac declinatoriam non opponam, & sic per omissionem oppositionis prorogem jurisdictionem. Denique cum Covarr. aliísque compluribus aiunt Zasius *l. c. n. 19.* & Fachin. *l. c.* dicta conventione excludi declinatoriam fori, si juramentum adjectum fuerit. Sed isti supponunt, juramento vestiri pactum & in vim contractûs firmari, quod alij non immeritò negant. Illud admittendum est, quod extra dubium ponit Zasius *l. c. n. 31.* si unà cum illa conventione renuntiatum expresè fuit *cit. L. 18.* dispositioni, non competere ampliùs declinatoriam: neque enim, ut existimat Baldus, hîc agitur de favore publico, cui privatus renuntiare non potest; sed de privato singulorum litigantium, cui potest renuntiari: neque aliquid fit contra jus proprij Judicis, cùm hic conqueri non possit, si in alium Judicem fiat jurisdictionis prorogatio, utpote legibus hanc permittentibus.

## §. VII.

### *Sitne desumenda Fori competentia à persona Rei, an ab Actoris.*

SUMMARIUM.

82. *Actor sequitur forum rei.*
83. *& seqq. reijciuntur variæ limitationes à DD. allatæ.*

82. Cùm sæpe actor & reus non sint ejusdem fori seu sub ejusdem Judicis jurisdictione, quæstio est, penes quem Judicem, actoris, an rei, jus dicendi potestas sit; seu, quod idem est, uter litigantium sequatur forum alterius, actor rei, an reus actoris. Explorata

ploratæ veritatis reſponſio eſt, quòd actor ſequatur forum rei, non hic actoris: ita enim habetur *C. ſi Clericus 5. & C. cùm ſit 8. de Foro comp. L. 2. & 5. C. de jurisd. om. judic. L. fin. C. ubi in rem actio.* Eſtque id univerſim verum, ſive poſſeſſorium ſive petitorium ſit judicium. Et licèt actor ſit Clericus; debet enim contra laicum adire ſecularem judicem, niſi cauſa ſit ſpiritualis aut mixta. *cit. c. 5.*

83. Hanc quoque regulam DD. varijs limitationibus arctant. Et quidem numerus earum, quas affert Speculator *tit. de comp. jud. adit. §. 1.* ad quinquaginta duas aſcendit. Alij ad longè pauciores reſtringunt, dicúntque

84. Primò. Quando res agitur inter privatum & fiſcum, reus ſequitur forum actoris Cæſaris, quod eſt apud Procuratorem Fiſci. *L. ſi ea quæſtio 3. C. de his quib. ut indig.* Sed iſtud hac lege non probatur: quia ibi controverſum non erat, ſed certum, hæreditatem ad fiſcum eſſe devolutam, & idcirco adeundus procurator fiſci erat, ut eam caperet. Si extra hunc caſum reus cogitur ſequi forum actoris Principis, id conſuetudini tribuendum eſt, de qua hîc ſermo non eſt, ſed de jure ſcripto.

85. Secundò. Poteſt Clericus, imò & laicus, trahere laicum ad forum Eccleſiaſticum, quando in foro ſeculari juſtitia denegatur aut differtur. *C. Licet. 10. & C. Ex tempore. 11. de Foro comp. Novell. 86. c. 2.* Verùm hinc non ſequitur, quòd reus laicus trahatur ad forum actoris Clerici; nam trahitur ad ſuum, cùm laici in caſu denegatæ juſtitiæ, perjurij, ubi agitur de vitando peccato, aliísque ſimilibus, quos infrà enarrabimus, ſortiatur forum Eccleſiæ. Ac etiam in iſtis caſibus conveniendus eſt coram Epiſcopo ſuo, non actoris.

86. Tertiò. Viduæ, pupilli, aliæque perſonæ miſerabiles coram Judice Eccleſiaſtico contra oppreſſores agere poſſunt interdicto *unde vi. C. ex parte 15. hoc tit.* Sed neque hîc fallit regula de ſequendo foro rei. Non enim Epiſcopus actoris pupilli, aut viduæ, ſed laici oppreſſoris eſt Judex competens. Nec, ſi ſub di-

verſis

versis Episcopis sunt vidua & laicus oppressor, conveniri hic potest coram Episcopo viduæ actricis, sed conveniendus est coram suo.

87. Quartò. Trahi possunt laici ad Judicem sacrum ob maleficium contra res Ecclesiæ vel Ecclesiasticos commissum, ut infrà dicetur. Sed hac ratione non trahuntur ad Judicem non suum, cùm hoc crimen sit mixti fori, ratione cujus respectu laicorum Judex sacer æquè competens est ac secularis.

88. Quintò. Conveniri Laicus à Clerico coram Judice sacro potest, si rem, super qua litigatur, Laicus fatetur esse Clerici, ut à contrario sensu ex *C. si Clericus 5. de Foro comp.* cum Panor. ac alijs deducit Petr. Barbosa *in L. si quis alienum. ff. de Iudic. n. 140.* Verùm hoc nego cum Suar. *in Defens. Fidei L. 4. c. 14. n. 14.* Velasc. *de privil. paup. p. 1. q. 52. n. 26.* Emm. Gonzal. *in cit. C. 5. n. 2.* Neque enim valet argumentum à contrario sensu, quando inde sequitur absurdum, & quando ejusmodi sensus est contra alias generales regulas Juris. *C. à nobis 28. §. Nec obstat de sent. Excomm. L. 2. C. de Condit. insert. L. Conventicula 15. C. de Epis. & Cleric.* Est autem regula generalis, quòd actor sequatur forum rei. Igitur sive Laicus neget sive fateatur, rem, super qua à Clerico convenitur, esse actoris, conveniendus semper est coram suo Judice Laico. Nisi, ut benè observat Suar. *l. c. n. 15.* constaret, rem esse Ecclesiæ propriam & à Laico injustè raptam aut detentam: tunc enim tanquam in causa mixti fori ob sacrilegium conveniri etiam coram Judice sacro posset.

89. Sextò. Scholares seu Studiosi quamvis Laici conveniri possunt non tantùm coram Rectore Universitatis, sed & coram Episcopo. *Auth. Habitâ C. Ne filius pro patre.* Verùm uter horum contra ipsos adeatur, conveniuntur coram suo, non coram actoris Judice, ut infrà à n. 354. fusiùs dicetur.

90. Septimò. Si Titius emptor in jus vocatur à Cajo rei emptæ domino, & nominat suum venditorem Sempronium, tenetur iste sequi forum Titij emptoris. *L. venditor 49. ff. de judic.* At neque

neque sic mutatur forum rei: hujus enim partes non tam venditor quàm emptor sustinet, & hunc ille tantùm defendit; neque in venditorem, qui ab emptore laudatus liti assistit, fertur sententia, sed in emptorem.

91. Octavò. Diffamatus sive civiliter sive criminaliter potest coram suo Judice compellere diffamantem, ut intra certum terminum à Judice præfigendum agat cum comminatione, quòd alioqui perpetuum ipsi imponendum sit silentium. *L. Diffamari §. C. de ingenuis manum.* Convenitur igitur diffamans reus coram Judice actoris diffamati. Verùm diffamantem esse reum nego cum communi sententia, quam referunt & sequuntur Gail. *L 1. obs. 9. n. 7.* Mynsing. *cent. 6. obs. 100.* Carpz. *p. 1. jurisp. for. const. 7. defin. 27.* Etsi enim diffamatus in casu *cit. L. §.* non conveniatur, sed ipse prior adeat Judicem; actor verò is dicatur, qui priùs litem movit. *C. Forus §. Accusator de V. S. L. in tribus. ff. de Iudic.* actor tamen reverâ non est, cùm *cit. L. §.* remedium non sit actio, sed solùm imploratio officij Judicis, ac propterea diffamans reus non agitur, sed Judex, coram quo is fortè post longum tempus diffamatum reum faceret, solùm mandat, ut citius agat, aliàs non ampliùs audiendus. Ipse potiùs diffamans jam tunc actor est, quando diffamat, cùm diffamare sit tacitè ad Judicem diffamati provocare. Hæc adeò vera esse dicit Covarr. *L. 1. var. c. 18. n. §.* ut hac ratione à diffamato laico etiam Episcopus ad Judicem Laicum trahi possit. Idem affirmat Sanchez *in Opusc. Mor. L. 6. c. 7. dub. 1. n. 10.* Hinc deducit Gail. *l. c.* cum Butrio in *C. quinta vallis de Iurejur. n. 40.* & *C. cùm inter de Except. n. 10.* ac alijs, quos citat Covarr. *l. c.* quòd diffamatus exceptione excommunicationis (quæ ipsi obstaret, si actor esset) excludi nequeat, cùm sit reus, & reo etiam excommunicato defensio, utpote juris naturalis, negari nequeat. Refragantur tamen quoad excommunicatum Panor. Felin. Castr. ac alij, eò quòd diffamatus sit reus voluntarius, non necessarius; & ad standum judicio coactus. Indidem deducit Gail. *l. c.* cum Purpur. Portia,

quòd diffamatus tanquam reus à diffamatore tanquam actore editionem instrumentorum petere possit. Longè minùs ad restringendam regulam faciunt reliqua, quæ affert Specul. *l. c.* ut consideranti patebit. ut adeò optimè dixerit Lucius III. *cit. C. 8.* generale esse, ut actor forum rei sequatur.

# PARS II.

# De Foro Ordinario Communi.

## CAPUT I.

### De Foro Domicilij.

#### §. I.

#### *Domicilium quomodo contrahatur.*

SUMMARIUM.

92. *Discordia DD. quoad modos sortiendi Forum.*
93. *Divisio Domicilij in Commune & Privatum, Privati in Naturale & Accidentarium.*
94. *Ad Domicilium contrahendum requiritur animus habitandi stabiliter & habitatio.*
95. *Non item translatio majoris partis bonorum.*
96. *Nec habitatio per longum tempus.*
97. *Animus stabiliter habitandi quomodo requiratur.*
98. *Potest quis plura simul habere domicilia.*
99. *Non habet domicilium, qui profitetur se nolle habere.*
100. *Unde colligatur animus figendi domicilij.*
101. *Domicilium quandoque haberi potest absque habitatione.*
102. *Amittitur animo mutandi & actuali mutatione.*

92. Præmissis ijs, quæ de Foro Competente universim, ac in genere, dici instituto nostro expediebat: exponendi nunc speciatim

tim sunt modi, quibus illud sortimur, & jurisdictioni subijcimur. Modos hujusmodi & Fori genera Glossa *in L. hæres absens 19. ff. de Iudic.* tredecim enumerat, quibusdam omissis, qui poni jure poterant, & recensitis nonnullis, qui ab alijs diversi non sunt. Pauciores alij referunt, & ferè solùm communes, extraordinarijs neglectis. Ut ordine ac ratione procedatur: divisionem sequendam duxi suprà factam *n. 10.* hac parte II. acturus de Foro Ordinario Communi, quo comprehendo Forum Domicilij, Contractûs, Delicti, Rei sitæ.

93. De Domicilio tanquam principali & alijs ampliore modo sortiendi forum acturus, triplex à legibus & interpretibus proditum invenio. Commune, quod erat Roma, velut communis Civium Romanorum sedes & patria; & privatum, ídque vel naturale seu Originis, vel Accidentale & adscititium, seu habitationis. Et hoc quidem duplex: unum Voluntarium, quod videlicet quisque sibi pro arbitrio eligit; alterum Necessarium, quod invitis statuitur, puta Relegatis. Utrumque hoc rursum duplex est: unum quod *quasi domicilium* dicitur, ac diuturnam in loco commorationem, non tamen stabilem ac perpetuam requirit: alterum, quod simpliciter *Domicilium* appellatur, ac stabili duntaxat & perpetua habitatione constituitur. Ab hoc tanquam præcipuo ac reliquis celebriore ordior.

94. De modo sortiendi domicilium acerrimè disputant Interpretes, ut ait Menoch. *L. 2. de arbitrar. casu 86. n. 1.* Erant, qui in arbitrio Judicis collocarent, quandonam quis censendus esset domicilium constituisse, ut referunt Host. & Panor. *in C. ult. de Paroch.* Socin. *in C. ult. de Foro comp.* Dec. *consil. 284. n. 11.* Paris. *L. 3. cons. 12. n. 17.* Verùm hæc opinio solùm tunc procedit, quando dubium in aliquo casu est, sitne constitutum domicilium, an non. Ex communi omnium ferè DD. duo copulativè requiruntur, animus stabiliter habitandi, & ipsa habitatio. *L. postliminij 5. §. 3.* & *L. Nihil interest. 26. ff. de capt. & postl. reversi.* Nam *in eodem loco*, ut dicitur *L. Cives 7. C. de incolis, singulos habere*

*domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerúmque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet.* Et juxta *L. Senatores 2. C. ubi Senatores.* ibi singulis respondendum est, *ubi larem fovent, aut ubi majorem bonorum partem possident, & assiduò versantur.* Non igitur sufficit sola voluntas alicubi stabiliter habitandi: quia *domicilium re & facto transfertur, non nuda contestatione*, ut ait JC. *L. 20. ff. ad municipalem.* Neque sola habitatio absque animo stabiliter habitandi. *L. scire oportet 35. ff. eod. cit. L. 7. C. de incolis.* Gloss. & DD. in *L. est verum C. eod.* Hinc Papin. *L. libertus 17. §. 13. ff. ad municip. sola*, inquit, *domus, quæ in aliena Civitate comparatur, domicilium non facit.* Quando igitur Mar. Socin. *in C. fin. de Foro comp. à n. 27.* & cum ipso Farin. *Fragm. crim. p. 1. V. Domicilium n. 199.* ac alij, diversos modos acquirendi domicilij enumerant, nim. legem & statutum, privilegium Principis, ademptionem dignitatis, ademptionem Prælaturæ, assumptionem Monachatûs, Clericatûs, Militiæ, Præturæ, Professuræ, Successionem, Relegationem &c. sensus non est, quòd illud per hæc sola acquiratur, sed quòd quis vi ipsorum alicubi aut habitet stabiliter, aut habitare teneatur. Pariter quando DD. quos refert Farin. *l. c. à n. 104.* asserunt, per habitationem decennio continuatam, per translationem majoris partis bonorum &c. contrahi domicilium, non id ita accipiendum est, quasi per solam habitationem vel translationem bonorum domicilium acquiratur absque animo stabiliter habitandi, sed quòd iste animus inde præsumatur, ut mox dicetur *n. 100.*

95. Non tamen requiritur ad acquirendum domicilium, ut quis eò, ubi habitat animo stabiliter permanendi, transferat majorem suorum bonorum partem, uti requiri existimant Petr. Barbosa *ad L. exigere dotem. ff. de Iudic. n. 62.* sibi contrarius *ad L. hæres absens §. fin. ff. eod. n. 78.* Nec obstant *cit. L. 7. C. de incolis* verba: *ubi quis larem rerúmque ac fortunarum suarum &c.* neque illa *L. 2. C. ubi Senatores*, ubi pleraque exemplaria loco disjunctivæ *aut* habent copulativam & legúntque, *& ubi majorem bonorum*

*rum partem poßident.* Non enim ibi dicitur, domicilium acquiri, ubi quis habitat ſimúlque majorem bonorum partem habet, quaſi hoc ultimum requiratur ad conſtituendum domiciſium; ſed ſolùm, quòd in dubio, an quis habuerit animum ſtabiliter habitandi, præter alias conjecturas ſit etiam iſta, quòd quis bonorum ſuorum majorem partem ibi habet, ubi modò degit. Panorm. & Socin. *ll. cc.*

96. Pariter neceſſarium non eſt, ut quis habitet per longum tempus: ſufficit enim acceſſiſſe animo ſtabiliter habitandi. Panorm. *l. c.* Menoch. *l. c. n. 2.* Gutier. *de Matr. caſu 463. n. 13.* ac communis DD. Quando Jura videntur requirere decennium, intelligendum id eſt de præſumptione, quòd ſcilicet in dubio, an quis acceſſerit animo figendi domicilium, intentio hujusmodi præſumatur ex commoratione decennali.

97. Hæc quamvis quà legibus ſtatuta, quà communi DD. calculo recepta ſint, aliqua tamen declaratione indigent. Dubitari poteſt. I. Quo ſenſu ad domicilium acquirendum requiratur animus ſtabiliter habitandi. Videri poteſt, eum non requiri: nam aliàs nemo ſortiretur domicilium. Quis enim eſt, cui fixum ſit nunquam illud & nullo in caſu mutare? cùm multa accidere poſſint, quæ aut cogant aut ſuadeant abire, & nullus non ſit ita animo comparatus, ut ad ejusmodi eventus cogitet aliò migrare. Præterea Vagi, ut ſuprà dictum eſt, ubique ſortiuntur domicilium, nec tamen animum habent alicubi ſtabiliter manendi: ſic enim jam deſinerent eſſe vagi. Reſpondetur, non requiri animum in loco domicilij ſtabiliter permanendi pro quocunque caſu & eventu, ſed ſolùm tamdiu, quamdiu inde non avocet cauſa aliqua rationabilis. Ita Impp. *cit. L. 7. C. de incolis* declarant his verbis: *unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet*, id eſt, ſtabiliter permanſurus, niſi neceſſitas abire cogat vel rationabilis cauſa avocet. Sic Religioſi Ordinum Mendicantium quamvis ſtabilitatem loci non profiteantur, domicilium tamen & forum ſortiuntur, ubi modò ſunt: quia habent animum hîc

permanendi, donec Superiorum imperio aliò avocentur. Nec si his invitis aufugerent, domicilium propterea mutarent: quia propriâ illud voluntate deserere nequeunt, & tenentur hîc manere: quod sufficit ad domicilium & forum retinendum. Par ratio est de Clericis Beneficiarijs: hi enim cùm in loco Beneficij personalem residentiam requirentis domicilium & forum habeant C. *postulâsti de Foro comp.* & ibi Butrio *n. 6.* Panor. *n. 4.* Felin. *in* C. *Dilectus 2. de Rescript. n. 4.* Innoc. *in* C. *Exore de privil. n. 2.* illud non mutant, quamdiu Beneficium retinent, tametsi vel suâ culpâ, vel privilegio aut statuto concedente, vel negotiorum, aliáve legitimâ causâ absint. Eadem universim ratio est de ijs, qui vel ex lege alicubi domicilium & forum habent, vel ex mandato Superioris, cujus jurisdictioni subtrahere se nequeunt, recedere non possunt, vel vi contractûs aut quasi contractûs manere alicubi tenentur, indéque aufugiunt. Vagi tametsi domicilium non habeant, habere tamen censentur, & forum ubique sortiuntur, ob rationes allatas suprà *n. 75.*

98. Secundò dubitatur, an quis plura simul domicilia habere possit. Ratio dubitandi est: quia sola domus domicilium non facit *cit. L. 17. §. 13. ff. ad municipalem*, sed requiritur habitatio cum animo perseverandi: qui autem plures ædes habet in diversis territorijs vel Parochijs sitas, modò in hac, modò in illa habitando, in neutro territorio stabiliter habitandi animum habet, & sic nec domicilium; vel si hoc animo in uno habitat, & ad alterum solùm divertit quandoque aut negotiorum aut animi divertendi causâ, non in isto, sed tantùm in illo habet domicilium. Verùm *Iurisprudentibus placuit*, inquit Ulp. *L. 6. ff. ad municipalem. §. 2. duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minùs apud alteros se collocâsse videatur.* Idem traditur *L. Labeo 5. ff. eod.* & supponitur C. *cùm quis 2. de Sepult. in 6.* Non tamen sufficit habere domum in utroque loco. *cit. L. 17. §. 13.* sed requiritur, ut utrobique æqualiter habitet. *cit. L. 5. & 6.* ac C. 2. Panor. *in* C. *Ex parte de Foro*

*ro comp. n. 8.* Franc. *in cit. C. 2. n. 1.* Gloss. & DD. *in C. dilectus 2. de Rescript.* Navarr. *consil. 2. n. 3. de cland. desponſ.* Menoch. *consil. 398. n. 23. & consil. 692. n. 21.* Hæc tamen æqualitas non eſt mathematicè dimetienda, quaſi neceſſe ſit, ut in uno loco non plus uno die vel hebdomade, quàm in alio habitet; ſed moraliter, videlicet ut magnâ temporis parte, tametſi non æquali, utrobique habitet. Ant. Cucus *L. 5. Inſt. Mor. tit. 4. n. 186.* Sanch. *L. 3. de Matr. diſp. 24. n. 3.* Gutier. *de Matr. p. 2. caſu 64.* cum Roſella, Palud. D. Anton. Silveſtr. Margarita, ac alijs. Neque obeſt, quòd dicebatur, quòd talis non habeat animum ſtabiliter in uno loco habitandi: etſi enim non habeat animum toto anni tempore habitandi, habet tamen animum ſtabiliter in ſingulis habitandi per magnam anni partem, v. g. per æſtatem in uno, hyeme in altero, ut ſolent perſonæ nobiles in calidioribus regionibus. Hoc autem ſufficit ad ſtabilem habitationem. Cæterùm ex eo, quòd quis plura domicilia habere poteſt, non ſequitur, quòd poſſit eſſe plurium Civitatum civis: cùm plus ſit eſſe civem, quàm incolam & ſubditum. Nam ſubditi quoque ſunt illi incolæ, qui jure civium non gaudent, Germanis die hinder- und beyſaſſen / bey und Inwohner: larga tamen civium appellatione veniunt *L. provinciales 190.* & *L. 2. 39. §. 2. ff. de V. S.* & cum illis univerſitatem conſtituunt *L. Mortuo 27. ff. de fidejuſſ.* multísque eorum privilegijs gaudent Bart. *tr. de Repreſſal. in 1. q. 5.* Caſtr. in *L. omnes populi 9. ff. de luſt. & Iure.* ac diſpoſitum in cive, ratione ſimilitudinis inter eos exiſtentis, locum etiam habere videtur in incola. *L. Cives 11. C. de Appell. L. Incola 29. ff. ad municip.* Chaſſan. *in Conſult. Burg. rubr. 3. §. 7. V. & ſelon. n. 8.* quam ob cauſam Statutis Civitatis, quas incolunt, obligantur. *cit. L. 29.* Gaill. *L. 2. obſ 35. à n. 2.* Schönborn *3. polit. c. 34. V. Cæterùm incola.* Hoc modo ſubditus etſi quis eſſe poſſit in pluribus locis, non tamen eſſe poſſe in pluribus civem, poſt Affict. Arniſæ. Beſold. ac alios multis argumentis ſuadere conatur Knipſchild *L. 2. de Iur. Civit. Imper. c. 29. à n. 143.*

99. Ter-

99. Tertiò dubitatur, an censeatur contraxisse domicilium, qui diu alicubi habitavit, professus tamen est, se nolle ibi domicilium figere. Standum esse hac ejus declaratione & incolam non censendum asserunt Gloss. & Jason *in §. sed istæ. Inst. de Act. n. 54.* Bald. *L. 4. cons. 313.* cum Bart. Dyn. Socin. Marsil. Angel. Tiraq. ac alijs, quos citat & sequitur Menoch. *de arbitrar. L. 2. casu 86. n. 6.* Addit Boër. *in L. Consentaneum. C. quom. & quan. Iudex. n. 107.* talem non contrahere domicilium, etiamsi per mille annos habitaret, quando clarum est, eum ibi esse animo recedendi. Et licèt, ut vult Socin. *l. c.* eò transtulisset majorem bonorum suorum partem: eò quòd in his, quæ ab animo nostro pendent, potiùs stetur declaratione expressâ, quàm facto contrario. Bart. *in L. Non solum §. morte n. 17.* Jason *n. 14.* Rubeus *n. 216. ff. de novi op. nunt.* Ripa *in C. cùm M. de Constit. n. 82.* Menoch. *l. c. n. 8.* Hinc tametsi domicilium quis habere possit in pluribus territorijs aut parochijs, ut modò dictum est: si tamen declaret, se velle domicilium tantùm in uno loco habere, ibi duntaxat illud habebit, tametsi in altero loco diutiùs & frequentiùs commoretur. Castr. *in L. 2. C. ubi senator. n. 2.* & DD. *n. præc.* allegati. In Civitatibus tamen Germaniæ passim domicilium & incolatus ex consuetudine vel statuto post annum acquiritur, cùm diutiùs peregrini non tolerentur, si lapso anno jura civium redimere nolint. Gaill. *L. 2. obs. 35. n. 8.* Gilhausen *in arb. Iudic. c. 1. p. 2. §. 2. n. 12.* Schönborn *3. polit. c. 34.* Knipschild *de Iur. Civit. Imp. L. 2. c. 29. n. 104.* nisi Studiorum vel negotij aut muneris ad tempus duntaxat suscepti causâ ibi commorentur.

100. Verùm cùm sæpe, qui aliquò se conferunt, non exprimant, utrùm accedant animo stabiliter habitandi, idcircò dubitatur quartò, unde iste animus colligatur. Varias conjecturas hîc afferunt Interpp. cùm ex legibus, tum ex ipsa natura petitas. Prima apud Romanos erat: si quis in aliqua urbe vel regione Larem foveret, id est, domum haberet cum Larario, seu Sacrario domestico, in quo Lares, & Dij penates ac peculiares colebantur.

*L. 2.*

*L. 2. C. ubi Senat.* & *Clariſſ.* Zanger *de except. p. 2. c. 1. n. 21.* Secunda, ſi quis alicubi majorem partem bonorum poſſideat. *cit. L. 2. V. aut majorem. L. hæres 19. §. 2. ff. de ludic. L. is qui 5. §. 23. ff. ut in poſſ. leg. L. 1. C. ubi pet. tutor. C. Ex parte 63. de Foro comp.* & ibi Innocent. Bald. *L. 1. conſ. 411.* & *L. 4. conſ. 58.* Tiraq. *de retr. lignag. §. 36. Gl. 3. n. 7.* ſimúlque ibi inſtructus ad habitandum ibi habitet. *L. 6. §. 2. L. 27. §. 2. ff. ad municipalem.* Non enim ſufficit, ut exiſtimat Zang. *l. c. n. 37.* ſi bona ibi per alios poſſideat: ſic enim quicunque bona alicubi ſita habet, acquireret ibi domicilium, tametſi aut nunquam aut raro duntaxat ad res ſuas curandas eò veniret. Tertia, ac priori affinis eſt, ſi rebus, quas alibi habuit, venditis huc venit cum familia, & tota aut majore bonorum ſubſtantia, atque hîc habitet: cenſetur enim hîc elegiſſe domicilium & priori renunciâſſe. *arg. L. nihil 31. ff. de Capt.* & *poſtlim. reverſ. jun. L. aſſumptio 6. §. 2. ff. ad municipalem. L. 2. C. ubi Senator. L. prædia 28. §. 1. ff. de fund. inſtr. L. 203. ff. de V. S.* Quarta, ſi aſſiduè hîc habitet. Aſſiduè habitaſſe dicitur alicubi, qui habitavit per decennium. Bald. Alexand. Panor. Hoſt. Ruin. apud Menoch. *l. c. n. 15.* Maſcard. *vol. 2. de probat. concl. 535.* Weſenbec. *in parat. ff. ad municipal. n. 7.* Ummius *de Foro comp. theſ. 1. n. 6.* Poterit tamen minori temporis lapſu argui conſtitutum eſſe domicilium, ſi aliæ circumſtantiæ concurrant: ſicut è contrario neque decennium ſemper ſufficiet. Sic ſi alibi habens domicilium per decennium Studiorum causâ hîc verſetur, nemo cenſuerit domicilium conſtituiſſe, niſi aliæ conjecturæ acceſſerint. Panorm. *in C. ult. de Paroch. n. 8.* Mar. Socin. *in c. ult. de Foro comp. col. 9.* Felin. *in C. dilectus 2. de Reſcrip.* Pariſ. *L. 3. conſ. 12. n. 17.* Quinta, ſi jus Civitatis alicubi impetravit, ibíque habitare cœpit. Alciat. *in L. pupillus. §. incola. ff. de V. S.* Decian. *conſil. 283. n. 11.* Maſcard. *l. c. n. 4.* Habitationem præter jus Civitatis eſſe neceſſariam ad conſtituendum domicilium patet ex eo, quòd civis quis eſſe poteſt, quin ſit incola & domicilium habeat. *L. cives 7. C. de incolis, L. municipem,*

& *L. ejus 27. §. 2. ff. ad municipalem.* Sextam conjecturam addit Zangerus *l. c. n. 55.* de Clerico habente Beneficium residentiam requirens, & septimam *n. 56.* de muliere nupta. Verùm hîc conjecturis opus non est, cùm certum sit, Clericum sortiri domicilium, ubi habet Beneficium residentiam exigens, & mulierem per nuptias acquirere domicilium mariti, ut mox dicetur.

101. Quintò dubitatur, an domicilium haberi quandoque possit absque habitatione. Affirmativè respondendum est de ijs, qui ratione conditionis & statûs alicubi stabiliter manere tenentur: uti est Senator *L. filij 22. §. pen. ff. ad municip.* Miles *L. municeps 23. §. 1. ff. eod.* Relegatus in perpetuum aut longum tempus. *cit. L. 22. §. 3.* secùs, si ad breve tempus relegatus sit. *L. ejus qui 27. §. 3. ff. eod.* Religiosi certo Conventui ac Monasterio addicti. Clerici habentes Beneficium, quod residentiam exigit. Quin etsi residentiam Beneficium non requirat; nihilominus ratione illius sortiuntur forum quoad Ordines suscipiendos. *C. cùm nullus de temp. ordin. in 6.* & Gloss. ac DD. ibi: nec non quoad ea, quæ ipsum Beneficium concernunt. *Can. omnes basilicæ 16. q. 7. C. cùm conquerente de Offic. Ordin. C. cùm capella de privil. & C. 1. §. in eos. eodem in. 6.* Panor. *in C. postulásti de Foro comp. n. 4.* Covarr. *pract. c. 11. n. 5.* Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 17. n. 11. & 12.* Pax Jordan. *vol. 3. L. 13. tit. 8. n. 241.* Aliud exemplum est de uxore: hæc enim domicilium & forum mariti sortitur, ubicunque ipsa habitet. Idque etiam defuncto viro retinet, quamdiu in viduitate permanserit. *L. fin. C. de Incolis. L. fin. §. 3. ff. ad munic. L. 1. §. 2. ff. de liber. agnosc. L. mulierem 5. ff. de R.V.L. 1. C. de Mulier.* Et quidem sortitur hoc forum quoad omnia. Bald. Cyn. ac alij *in cit. L. fin.* fitque civis ejus urbis, cujus est vir. Bart. *in cit. L. fin.* Gloss. Angel. Joan. de Plateis *in L. cives C. de Incolis.* Bald. *L. 5. consil. 139.* Tiraq. *L. 1. connub. à n. 29.* Addunt tamen Bart. *l. c.* Sperelli *p. 2. decis. 157. n. 6.* ac alij, quòd forum propriæ originis retineat in ijs, per quæ à viri obsequijs non retrahitur.

102. Sextum denique dubium est, quomodo domicilium amittatur. Dicendum est, domicilium, sicut regulariter non acquiritur solo vel animo habitandi vel habitatione, sed utroque, ita non amitti solo animo illud mutandi, aut solo discessu, sed opus esse animo mutandi & actuali mutatione. *L. domicilium* 20. *ff. ad municipalem, juncta* Glos. *V. domicilium. L. origine 4. C. de municip.* Bald. *in L. ult. C. eod.* Marian. Socin. *in C. licet de Foro comp. n. 54.* Quando Bart. *in L. de jure 37. ff. ad municip. n. 2.* ait, domicilium habitationis, quod nuda voluntate constituitur, posse nuda voluntate transferri, dicere censendus non est, quòd nuda voluntas sufficiat ad domicilium vel constituendum vel mutandum, sed quòd domicilium pro arbitrio constitutum pro arbitrio mutari possit: aliàs contradiceret ijs, quæ asseruerat *in L. placet. ff. eod. n. 1.* Hinc audiendus non est Petr. Barbosa *in L. hæres. §. fin. n. 70. ff. de judic.* asserens, simplici voluntate domicilium extingui, maléque præter Bart. allegans Menoch. *L. 6. præsumpt. 42.* & Gaill. *L. 2. obs. 36.* malè pariter citans *C. pen. de Foro comp. L. cùm quædam 19. ff. de jurisd.* & *L. libertus 17. §. 11. ff. ad municipalem.* Cæterùm ex eo, quòd quis è loco recessit cum rebus suis, præsumitur recessisse animo mutandi domicilium. Bart. *in L. assumptio §. ult. ff. eod.* & *in L. prædia §. 1. ff. de fundo instructo.* Bald. *in rubr. C. si à non comp. jud.* Socin. *l. c. n. 25.* & *54.* Alex. *L. 5. cons. 34. n. 4.* Paris. *L. 3. cons. 12. n. 13.* & *cons. 34. n. 20.* Menoch. *l. c. n. 14.* nisi conjectura alia obstet, v. g. quòd tantùm hostis aut pestis fugiendæ vel negotiorum causâ discesserit: præcipuè si domum hic habet, quam ante suum discessum non vendidit, aut vendere cogitavit.

## §. II.

## *An per domicilium habitationis Forum contrahatur.*

SUMMARIUM.

*103. Forum Domicilij fortius & universalius est quovis alio Foro.*
*104. Conveniri ibi subditus potest etiam absens, & propter contractum vel delictum alibi commissum.*
*105. Domicilium Servi, Liberti, Uxoris, & Hæredis non desumitur à propria ipsorum habitatione.*
*106. Habens plura domicilia utrobique conveniri potest.*
*107. Contra subditum alibi delinquentem Iudex domicilij procedere potest etiam per inquisitionem.*
*108. Potest, qui duo habet domicilia, in alterutro, quo maluerit, Sacramenta suscipere & matrimonium contrahere.*

103. Forum quemque sortiri, ubi habet domicilium, adeò certum est, ut soli illi, qui domicilium alicubi habent & incolæ sunt, propriè ac simpliciter sint subditi, ut suprà dixi. Estque Forum Domicilij generale, séque ad universam jurisdictionem contentiosam & voluntariam extendens, &, ut loquitur Bald. *in rubr. C. si à non comp. jud.* præcipua jurisdictionis causa, fortiúsque omni alio foro & potentius. Cagnol. *in L. exigere dotem ff. de judic. n.* 9. Petr. Barbosa *in L. 19. §. ult. ff. eod. n. 34.* cum communi DD. & concurrit cum alijs foris, ut supponitur *cit. L. 19. §. 1. & 4. ac L. 2. C. de jurisdict.* excepto foro Feudi, quando dominus feudi non est simul Judex domicilij; & foro rei sitæ, ut infrà dicetur *n. 216.*

104. Hinc in loco domicilij conveniri quisque potest tam civiliter, quàm criminaliter, etiam ratione contractûs alibi celebrati, & delicti alibi commissi. *cit. L. 19. §. ult. C. dilecti de Foro comp.* Panor. *in C. fin. eod. n. 38.* & Felin. *n. 23.* Butr. *n. 16.* Socin. *n. 8.* & *45.* Castr. *in L. 2. §. legatis ff. de judic.* Covarr. *pract. c. 11. n. 6.* Et quidem etiam de ijs, quæ gessit ante domicilium & forum hîc obtentum. *cit. L. 19. §. 1. & ult. L. pen. ff. de Iurisd. L. ult. C. de Incol.* Panor. *cit. n. 38. & 39.* Surd. *consil. 313. n. 66.* Poterítque etiam absens citari, & non comparens in contumacia constituitur, ut non tantùm immissio in ejus bona fieri possit (quod est commune etiam Foro rei sitæ & delicti, ut infrà dice-

dicetur) sed pœnis etiam & censuris compelli, ut se sistat, ac in causis, ubi litis contestatio non requiritur, procedi potest ad sententiam & executionem realem. *L. 4. §. prætor. ff. de damno inf. C. causam de dolo & contum.* Gloss. *ibi. V. ad domum*, Alex. ac alij *in L. cùm quædam. ff. de Iurisd.* cùm Judex domicilij retineat in subditum jurisdictionem, quocunque ille loco existat, & subditus semper maneat subditus, ubicunque est. Gaill. *L. 2. obs. 36. n. 12.* Gilhausen *arbor. judic. c. 1. p. 2. §. 2. n. 14.* Ummius *l. c.*

105. Aliquæ à regula modò tradita personæ excipiendæ sunt, in quibus conveniendis non ipsarum, sed aliorum domciilium spectatur. Primò enim servus conveniendus est coram sui domini Judice. *L. 1. C. ubi de caus. stat.* Secundò libertus ejúsque filij coram Judice domicilij patroni. *C. 22. ff. ad municip.* Decian. *tract. crim. L. 4. c. 8. n. 1.* Umm. *proces. judic. disp. 4. th. 1. n. 6.* Tertiò uxor & vidua in loco domicilij maritalis. *cit. L. 22. §. 1. L. pen. pr. ff. de Iurisd. L. ult. C. de jur. liber.* ubicunque ipsa habitet. Deciau. *l. c. à n. 2.* Gilhausen *l. c. n. 10.* Zanger. *de except. p. 2. c. 1. n. 56.* Aliud obtinet in sponsa de futuro: hæc enim non coram sponsi, sed suo Judice convenienda est. Decian. *cit. L. 4. c. 9. n. 54.* Umm. *l. c.* Quartò hæres ibi convenitur & defenditur, ubi defunctus conveniri & defendi debuit, adeò ut nullo suo privilegio, nullâque fori præscriptione illud forum declinare possit. *cit. L. 19. prin. ff. de Iudic.* ibi: *hæres ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, & conveniendus, si ibi inveniatur, nullóque suo privilegio defendatur*, id est, defenditor. Quæ verba magnam inter interpretes discordiam pepererunt, quòd posteriora prioribus contradicere videantur, nam dicitur primò *hæres & absens defendendus*, ac postea dicitur *conveniendus, si ibi inveniatur*, id est, si præsens sit. Respondent Petr. Barbosa *ibi n. 12.* & Oliva *3. p. Fori Eccl. q. 24. n. 4.* secuti Bart. *in L. fideicommissum. ff. eod.* Baldum *in L. 2. ff. de Iurejur. col. 25.* Aretin. *in C. quia de Iudic. n. 4.* Anchar. *cons. 244. n. 4.* sensum

legis alium non esse, quàm quòd hæres in loco, ubi defunctus conveniendus erat, respondere debeat, sive absens sive præsens ibi sit. Verùm huic expositioni obstare videntur verba *si ibi inveniatur*. Castr. *in cit. L. 19. §. 1. n. 2.* Angel. ac alij existimant, constitui discrimen inter defunctum & hæredem, ita ut licet ille in loco sui domicilij conveniri potuisset etiam absens, conveniri tamen ibi nequeat hæres, nisi ibi præsens. Quam tamen explicationem ægrè admittunt verba *hæres & absens*. Communior responsio est, conveniri in domicilio defuncti posse hæredem etiam absentem à loco illius domicilij, si litem defunctus jam contestatus aut saltem citatus fuit, juxta *L. si is 34. ff. eod.* secùs, conveniri tantùm posse, si ibidem præsens est. Sed non vacat hanc litem facere nostram. Illud receptum est, legem loqui de illis tantùm obligationibus, propter quas defunctus, si viveret, conveniri posset; non verò de illis, quæ ab ipso in hæredem non transierunt. Unde inferunt, non posse istum conveniri pro legatis & fideicommissis in domicilio defuncti, tametsi ibi reperiatur: posse tamen conveniri in loco, ubi major pars hæreditatis existit. *L. si fideicommissum 50. ff. de judic.* Tiraq. *L. 1. retract. §. 36. Gloss. 3. n. 6.* Molin. *L. 3. de primogen. c. 13. n. 37.* Gomez. *tom. 1. c. 12. n. ult.* Barbosa *l. c. n. 34. & 49.* Utrùm verò illa verba *nullóque suo privilegio defendatur*, intelligenda sint duntaxat de privilegio & favore privato, an verò etiam de communi, v. g. num Clericus successor Laici coram defuncti competente Judice Laico conveniri possit, commodiùs infrà, quando sermo erit de Foro competente Clericorum, decidemus. Cæterùm si ipse hæres agit, petitionem hæreditatis facere debet, ubi res hæreditariæ tempore decedentis testatoris extiterunt. *tot. tit. C. ubi de hæred. agi oport.* etiam alibi depositæ. *L. 1. §. 37. ff. depositi.* nisi eo fine depositæ & destinatæ fuerint, ut ibi perpetuò manerent. *L. ex facto §. rerum ff. de hæred. instit.* Bartol. & DD. *ibi.* Quintò illi, qui sunt de familia sive Clerici sive Laici, domicilium & forum ex persona patrisfamilias consequun-

sequuntur. Umm. *l. c. in fine* Et speciatim de familia Clericorum Decian. *cit. c. 9. à n. 47.* Farin. *q. 8. n. 26.* Tertacinq. *l. 2. resolut. tr. de Foro comp.* Sed non absolutè & sine discrimine verum est, quòd familia Clerici habeat forum Eccl. quod ipse Clericus, ut infrà de Foro compet. Clericorum dicetur. Sextam exceptionem facit Ummius *l. c.* defensorem ibi comparere debere, ubi ipse principalis se defendere necessum habet. *L. 139. ff. de V. O.* & *L. 49. ff. de judic.* Verùm hæc non est exceptio: cùm principalis, non defensor, conveniatur, & sic necessariò defensio fieri debeat, ubi stare judicio deberet principalis, si præsens esse vellet au posset.

106. Ex dictis consequens est I. quòd reus conveniri possit in loco domicilij etiam ratione contractûs alibi initi & delicti alibi patrati: dummodo alibi non fuerit præventus. *C. fin. de Foro comp. L. consensisse 2. §. 3. L. hæres 19. §. 2. & ult. ff. de judic. L. 2. & 5. pr. C. de jurisd. om. jud. L. ult. C. ubi in rem actio. L. 3. C. ubi causæ statûs.* Panorm. *in C. ult. de Foro comp. n. 41.* asserens esse communem, Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 39. n. 3.* Eadem est ratio de casu, quo quis plura habet domicilia: potest enim in singulis conveniri cum jure præventionis. Et quidem juxta arbitrium actoris vel accusatoris vel in hoc vel in illo. *C. ex parte 15. de Foro comp.* Panor. *in C. dilectus de rescrip. n. 6.* Ant. Butrio *n. 18.* Felin. *n. 10.* Ratio est, quòd Judex utriusque domicilij, & Judex æquè domicilij, ac contractûs vel delicti, est competens; quivis autem conveniri potest coram Judice suo competente.

107. Quod modò dixi, Judicem domicilij contra subditum procedere posse propter delictum etiam alibi patratum, receptum est ab omnibus Interpp. teste Covarr. *c. 11. pract. n. 6. §. his equidem* & *§. quam ob rem*, si accusator adsit. Receptum pariter eodem teste est, posse vi Juris Pontificij Judicem domicilij procedere etiam per inquisitionem. *C. ex parte, C. dilecti, C. cùm contingat de Foro comp. C. cùm nullus de tempor. ordin. in 6.*

*in 6.* An verò hoc possit etiam de Jure Civili, controversum est, multis negantibus, affirmantibus plurimis, quos congerunt Covarr. *l. c.* Farin. *de inquisit. q. 7. n. 19. & 20.* Mihi affirmativa videtur probabilior: tum quòd generalis consuetudo eam approbavit, uti testatur Clarus apud Farin. *cit. n. 20.* & Carpz. *p. 3. crim. q. 110. n. 8.* tum quòd *L. si quis 10. C. de Episc. & Cler.* seculari Judici potestas datur puniendi Laicos, qui in Ecclesijs delinquunt, tametsi istæ sint extra ipsius territorium & jurisdictionem, nullo facto discrimine inter accusationem & inquisitionem: tum denique, quòd nec lex 2. §. *5. ff. ad L. Iul. de Adult.* quæ pro negante sententia adducitur, aliquid probat, uti consideranti patebit; nec ratio, quam adducunt, nimirum, quòd nulla injuria inferatur Reipublicæ & territorio per delictum alibi patratum. nam præterquam quòd subditi etiam alibi delinquentes notam & probrum inurunt suæ Reipublicæ, coërcendi sunt, ubi & quamdiu sunt subditi, quales sunt, etiam dum alibi existunt, éstque territorium expurgandum sceleratis, ne obtentâ impunitate & ipsi prolabantur in deteriora, eadémque domi, quæ alibi, perpetrent, ac concivium animos corrumpant. Accedit, quòd dicta ratio nimium probet, quia sequeretur, nec per viam accusationis procedi contra illos posse, quod tamen fieri posse ipsi adversarij affirmant.

108. Consequens est II. eum, qui duo habet domicilia, posse in alterutro, quo maluerit, suscipere Sacramenta & matrimonium inire. Patet ex *C. omnis de pœn. & remiss. C. cùm inhibitio de cland. desponſ. Trident sess. 24. c. 1. de Reform. Matr.* vi quorum quivis Sacramenta percipere potest ac tenetur à proprio suo parocho: est autem proprius parochus ille, ubi quis habet domicilium. Patet insuper ex *C. 2. §. cùm ab eo de sepult. in 6.* ubi dicitur, si is, qui duplicem parochiam habuit, in tertio quopiam loco sepulturam elegit, inter utramque ipsius parochiam dividendam esse canonicam portionem: nec dicitur, solvendam illi soli, in qua defunctus tempore mortis habitavit. Similiter ergò Sacramenta indiffe-

differenter recipi in utraque possunt, cùm Sacramentorum receptio æquè sit inter jura parochialia, ac canonica portio. Et ita cum Franco aliisque docent Navarr. *in C. placuit de Pœnit. dist. 6. n. 78.* Henriq. *de Pœn. L. 6. c. 7. n. 2.* Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 24. n. 5.* Bonacin. *de Pœn. disp. 5. q. 7. pun. 2. prop. 2.* Suar. *eod. disp. 25. sect. 2. n. 5.* Oliva *de Foro Eccl. p. 3. q. 18. n. 45.* contra Paludan. Silvest. Tabien. Angel. Rosell. ac alios, qui tenent, ibi solùm suscipi ea posse, ubi susceperus tunc temporis habitat.

## §. III.

## *An per quasi domicilium Forum acquiratur.*

### SUMMARIUM.

*109. Status quæstionis proponitur.*
*110. Habens quasi domicilium Sacramenta, exceptis Ordinibus, suscipere potest.*
*111. Ac dispensationem in votis, & juramentis impetrare; habere sepulturam; & jungi matrimonio.*
*112. Tenetur Statutis & Consuetudinibus loci.*
*113. Tametsi animum habeat solum per aliquot menses habitandi.*
*114. Excipitur Princeps.*
*115. In loco quasi domicilij nemo conveniri potest propter delicta alibi patrata, aut initos alibi contractus.*
*116. Respondetur ad opposita.*

109. Quasi domicilium habere dicuntur, qui diu & per majorem vel magnam anni partem alicubi commorandi animum habent, non tamen stabiliter & perpetuò, uti Studiosi in Academijs, famuli, negotiorum gestores, milites præsidiarij &c. An isti in loco quasi domicilij forum sortiantur æquè ac illi, qui habent domicilium, gravis & parùm explicatè à DD. agitata, multò minùs decisa quæstio est. Secerni hîc oportet Jurisdictionem Contentiosam à Voluntaria.

110. Quoad Voluntariam sacram convenit inter Interpp.

primò, non posse Ordines Ecclesiasticos conferri ab Episcopo quasi domicilij, sed adeundum esse Episcopum Domicilij aut Beneficij, aut Originis: sic enim traditur *C. cùm nullus 3. de Temp. Ordin. in 6.* & patet ex Trident. *sess. 23. c. 9. de refor.* ubi nec Episcopo suum familiarem non subditum ordinare permittitur, *nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacunque fraude cessante, statim reipsâ illi conferat.* Cùm igitur suos duntaxat familiares, seu qui de ipsius familia sunt, & quidem sub dictis solùm conditionibus ordinare possit, consequens est, quòd non possit reliquos, qui in ipsius Diœcesi solùm habent quasi domicilium. Convenit secundò, éstque ferè ab omnibus receptum, habenti quasi domicilium posse ministrari Sacramenta necessaria, qualia sunt Pœnitentiæ & S. Evchariſtiæ: quibus communiter addunt Confirmationem & Extremam Unctionem. Et quamvis Navarr. *in C. placuit 3. de Pœnit. dist. 6. notab. 4. n. 85.* existimet, hoc tantùm fieri posse ex licentia expressa vel tacita parochi domicilij, Glossa tamen in *Clem. 1. de privil.* communiter recepta, Panorm. *in C. omnis de pœn. & remiss. n. 23.* Innoc. ac alij, negant ullâ licentiâ opus esse. Neque admittendum videtur, quod non pauci asserunt, id locum non habere, quando parochia domicilij facilè adiri potest: nam praxi universali contrarium observatur, teste Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 17. n. 45.*

111. Potissimùm igitur quæritur de Matrimonio, Dispensatione in Votis & Juramentis, ac Sepultura. Quoad ista acquiri forum per quasi domicilium negant complures, quos accumulant Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 23. n. 11.* & Oliva *l. c. n. 46.* Placet affirmativa, quam tenent Sanch. *l. c. n. 12.* ubi multis eam firmat rationibus, Lessius *lib. 4. de Iust. c. 2. n. 47.* ubi eam teneri ait à plerisque R. R. & usu confirmari, Delbene *de Immun. Eccl. c. 11. dub. 1. sect. 1. n. 13.* qui pariter de usu testatur, Laym. *lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 5.* post Glossam *in Clem. 1. de privil.* Panor. Palud. Gabr. ac alios. Hinc immeritò pro ea solum citat Sanchezium Oliva *l. c.* cujus rationes solvere debuit, antequam eam

eam diceret vix probabilem. Temerè quoque dicit, temerè dictum esse, quòd parochus proprius, quem Trident. *sess. 24. c. 1. de refor. Matr.* ad matrimonium requirit, non sit tantùm parochus domicilij, sed etiam quasi domicilij: nam pariter *C. omnis utriusque. de Pœn. & remiss.* requiritur proprius parochus ad Sacramentum Pœnit. & tamen hic juxta ipsum etiam Oliva est etiam parochus quasi domicilij. Ex quo proinde (ut alias rationes omittamus) satis probatur posterior sententia: si enim parochus quasi domicilij est proprius quoad Pœnitentiam & Evchariſtiam, non est ratio, cur non etiam sit quoad Matrimonium & reliqua: excepto Sacramento Ordinis, ad quod recipiendum, ut dixi, requiritur Diœcesis domicilij *cit. C. 3. de temp. Ordin. in 6.* ubi cùm additur *in hoc casu* requiri domicilium, satis indicatur, in alijs casibus non requiri, sed sufficere quasi domicilium. An idem dicendum sit de alijs actibus ad jurisdictionem voluntariam pertinentibus, quales sunt Adoptio, Manumissio, Emancipatio, Legitimatio, Insinuatio donationis, Testamenti factio apud acta, Approbatio contractûs, Privilegiorum concessio & confirmatio, ac similes, nimis longum foret intra harum paginarum angustias examinare.

112. Major contentio inter DD. est de Jurisdictione Contentiosa, an videlicet huic subijciat quasi domicilium. Dubitatur inprimis, an peregrini, seu ij, qui alibi domicilium habent, hujus loci, ubi per magnam anni partem habitant, Statutis ac Consuetudinibus sint subjecti. Negant Gloss. *in C. quæ contra dist. 8. V. aut peregrini*, Specul. *rubr. de Constit. n. 7.* Archidiac. *in C. illa. dist. 12. V. serva*, Joseph. Angles *in 4. q. 4. de jejunio ante dub. 1. diffic. 2.* Pasqual. *de jejun. decis. 203. n. 3.* ac alij apud Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 18. n. 8.* Fagundez *in præc. Eccl. tr. 1. lib. 1. c. 8. n. 1.* & Delbene *l. c. sect. 3. n. 10.* Verùm, ut longè communior, ita multò probabilior est sententia affirmans. Cùm enim hujusmodi peregrini, qui hîc quasi domicilium constituerunt, absolutè sortiantur forum quoad voluntariam jurisdictionem,

ut modò dixi, consequens est, quòd etiam sortiantur quoad subjectionem & obligationem servandi leges, cùm hæc obligatio non tantùm respiciat bonum privatum singulorum, uti jurisdictio voluntaria, sed etiam publicum, ne aliàs ordo, quies, & partium consonantia tollatur. Videtúrque per se absurdum dicere, quòd Studiosi & famuli in alia Diœcesi domicilium habentes hîc non teneantur jejunare aut Missam audire, quando hîc est dies festus aut jejunij, non item in sua patria: tametsi hîc per annos complures habitent & magnam populi partem faciant. Certè communi sensui ac rectæ gubernationi est contrarium, ut benè observat Suar. *L. 2. de Festis c. 14. n. 2.* qui propterea priorem opinionem negat esse practicè probabilem. Videri potest Tiraq. *de Retractu lignag. Gloss. 2. n. 26.* & Panor. *in C. quod Clericis de Foro comp. n. 5.* ubi ex Jure & DD. latè firmant, diu commorantes in aliquo loco verè esse incolas, ac forum sortiri.

113. Ex hac doctrina communiter deducunt, quòd sicut ad forum ratione domicilij sortiendum necessaria non est longi temporis habitatio, sed sufficit, ut quis locum adeat animo ibi stabiliter habitandi: ita pariter sufficiat aliquò accedere animo diu ibi permanendi, ita ut qui hoc animo accessit, loci legibus statim fiat subjectus, absque eo, ut diu ibi moretur. Dubium verò est, ad quantum tempus hoc manendi propositum se extendere debeat, ad hoc, ut quis non hospes, sed habitator & incola censeatur. Silvest. *V. domicilium n. 2.* Sanch. *l. c. n. 9.* aliíque existimant, opus esse, ut majore anni parte habitare velit. Sed conformior juribus videtur doctrina Navarri *tr. de Iubilæo. not. 32. n. 42.* Suar. *l. c. n. 6.* Laym. *L. 1. Th. mor. tr. 4. c. 14. n. 1.* ac aliorum, sufficere propositum habitandi per aliquot menses, præcipuè si domus, conclave, taberna &c. fuerunt conducta. *arg. L. 19. §. pro inde. ff. de judic.*

114. Excipiendus tamen hîc est cum Tiraq. *de utroque retr. L. 1. Gloss. 1. §. 3. n. 38.* Suar. *L. 3. de Leg. c. 35. n. 14.* ac alijs, Princeps: hic enim non obligatur Statutis municipalibus locorum, ac provinciarum, tametsi longo ibi tempore resideat. Quia hujusmodi

jusmodi Statuta ferè ab inferiore potestate condita sunt, ac idcirco vim obligandi Principem Superiorem non habent. Quâ de causâ Canonistæ asserunt, Legatum Pontificium non ligari legibus Episcoporum. Neque refert, hujusmodi leges à Principe confirmatas fuisse: censetur enim solùm approbare pro loco determinato ejúsque subditis; non pro tota Republica, cujus ipse caput est: nisi in eodem stabilem sedem habeat.

115. Alterum dubium est, an per quasi domicilium forum ita acquiratur, ut ibi conveniri quis possit etiam de contractibus alibi celebratis, & de delictis alibi commissis. Negant Hostiensis *in C. quod clericis 9. de Foro comp.* Bartol. *in L. 19. ff. de Iudic.* aliíque communiter. Distinguunt Alex. *vol. 6. consil. 216. n. 14.* & Farin. *L. 1. de Inquis. tit. 1. q. 7. n. 5. sublim. 2.* aiúntque, puniri in loco quasi domicilij posse, qui alibi deliquit tempore hujus domicilij jam contracti, e. g. si quis, dum est in famulatu aut in studijs hîc Ingolstadij, delinquat Neoburgi; secùs, si ante constitutum hîc quasi domicilium alibi deliquit. Affirmat simpliciter Panor. *in cit. c. 9. n. 5.* allegans Bart. Innoc. Joan. Andr. & Archid. sequitúrque Laymanus *in C. ult. de Foro comp. n. 19.* Mihi attento Jure scripto & seclusa consuetudine verior videtur prima sententia: cùm postrema Panormitani nullum inter domicilium & quasi domicilium discrimen constituat, & hujus forum æquè latè extendat, ac illius, contra *L. hæres 19. §. ult. ff. de judic. C. delicti 17. & C. ult. de Foro comp. C. 1. eod. in 6. L. juris 2. C. de jurisd.* ubi soli domicilio hæc fori universalitas & concurrentia cum alijs foris tribuitur. Frustrà profectò à Legibus ad constituendum domicilium & forum in illo fortiendum requireretur (uti requiri dixi suprà à n. 94.) simul cum habitatione animus stabiliter habitandi, si quasi domicilium idomne operaretur, quod operatur domicilium.

116. Non obstant Jura, quæ pro se adducit Panor. Non quidem *L. 2. C. ubi Senatores:* quia ibi sermo est de domicilio. Non *L. quisquis 16. C. si certum pet.* nec *L. sciens 3. C. ubi de crim. agi oport.* quia ibi quoque agitur de loco domicilij, aut de eo, ubi

delictum est patratum. Non denique *C. ex parte 15. de Foro comp.* quia ibi solùm asseritur, quòd actio realis intentari possit in loco rei sitæ.

## §. IV.

## *An per domicilium Originis acquiratur Forum.*

### SUMMARIUM.

117. *Originem quisque habet in domicilio patris, quandoque avi, quandoque matris.*
118. *Non ibi, ubi natus est solum in transitu.*
119. *Proponitur opinio asserentium, quemvis in loco originis conveniri posse.*
120. *Opinio negantium.*
121. *Hanc firmat Consuetudo.*
122. *Licitum regulariter est mutare domicilium.*
123. *Respondetur ad opposita.*
124. *In loco Originis suscipi Ordines Ecclesiastici possunt.*

117. Originem quivis habere dicitur non solùm ibi, ubi ipse, sed etiam, ubi legitimus ejus pater natus est: cùm filius non tantùm suam, sed & partis originem sequatur. *L. assumptio 6. ff. ad municipalem.* §. 1. *L. filios 3. C. de Municip. & origin.* Imò non tantùm patris, sed etiam avi *L. Libertus 17.* §. *9. ff. ad municip.* & *ibi* Bald. *n. 4.* Bart. *in cit. L. 3. n. 2.* dummodo vivente avo conceptus fuerit. Felin. *in C. postulâsti de Foro comp. n. 1.* Alex. *lib. 5. conf. 16. n. 9.* Cyn. *in L. 2. de jurisd.* Mascard. *de probat. concl. 1147. à. 12.* Petr. Barbosa. *in L. 19. §. proinde de judic. n. 28.* Requirit tamen Bart. *in cit. L. 6.* §. 1. ut sit in potestate avi. Sed hoc reprobat Barbosa *l. c. n. 30.* eò quòd juxta *cit. L. 17.* nepos sequatur originem avi naturalis, tametsi natus sit in adoptiva familiâ: quo casu certum est non nasci in potestate avi naturalis. §. *pen. Inst. quib. mod. jus patr. potest. sol.* Non tamen sortimur originem ulteriorum ascendentium. Gloss. *in cit. L. 6. V. non domicilium*, & in

*in cit. L. 3.* Bart. *in cit. L. 6. §. Filius n. 1.* Boër. *decis. 13. n. 7. & 8.* cum comm. ne scilicet progressus fiat in infinitum, & forum habere dicamur in agro Damasceno, ex quo communis omnium nostrûm parens eductus fuit, ac in maxima orbis parte, quam successivè nostri majores habitârunt. Neque filius legitimus sequitur originem matris. *cit. L. 3. C. de Municip.* nisi quis ex captivis parentibus natus patre in captivitate mortuo cum matre postliminiò reversus fuerit. *L. 1. C. de postlim. reverf.* aut natus fuerit ex ancilla & ingenuo: nam tunc matris conditionem sequitur. *L. hiqui 12. C. de Murilegulis. L. Nati 29. C. de Decurion. L. ex ingenuo 4. C. de agric. & mancip.* quemadmodum etiam ejus, qui justum patrem non habet, prima origo à matre, eóque die, quo ex ea editus est, numerari debet, ut inquit JC. *L. 9. ff. ad municip.* Idémque de vulgò quæsitis tradit Ulp. *L. 1. ff. eod,*

118. Quod verò dicitur, quemvis esse originarium ejus loci, ubi natus est, duntaxat procedit, si parentes ibi domicilium habuerunt, dum ipse nasceretur: secùs, si tantùm in transitu matris alicubi editus esset; nam tunc non hujus loci, sed ejus, ubi parentes domicilium habebant, originarius censebitur. Bart. *in cit. L. 3. C. de Munic. & orig.* Panor. *in C. Rudolphus 34. de rescrip. n. 9.* & Felin. *n. 13.* Boër. *decis. 13. n. 52.* Dec. *in L. 19. §. proinde. ff. de judic.* Bald. Angel. & Albert. *in L. hujusmodi 84. §. legatum. ff. de Legat. 1.* Diaz *in prax. crim. c. 54. n. 27.* Navarr. *cons. 41. n. 2. & 3. de præb.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 4. n. 18.* Mascard. *l. c. n. 5.* Sumitur ex *cit. L. 84. §. 10. de legat. 1.* Contrarium tenent, & absolutè originarium quemvis censeri ibi, ubi etiam in transitu natus est, tradunt Imol. Cuman. Alex. & Paul. Castr. ac alij apud Mascard. *l. c. n. 6.* & Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 21. n. 5.* Has opiniones conciliat Petr. Barbosa *l. c. n. 18.* dicendo, primam habere locum, quando proles nata est in itinere, quo parentes redibant ad domicilium, à quo ad tempus abfuerunt v. g. negotiationis causâ. Secundam verò tenendam, quando priore domicilio omninò deserto aliò migrabant, & proles nata est in itinere ad novum

vum domicilium. Aliam conciliationem molitur Mascard. *l. c. n. 7.* cum Ripa, Riminaldo, ac Rebuffo, asserens, primam esse veram, si proles concepta fuit in loco domicilij parentum, & nata tantùm in itinere, ac lòco, ubi parentes non statuerunt domicilium: secundam verò procedere, si proles & concepta & nata fuit in itinere; tunc enim ejus tantùm loci, ubi concepta & nata est, habendam esse rationem, non domicilij parentum. Mihi conciliatio prima verum continere videtur; secunda quoque quoad primam ejus partem; quoad alteram meritò dubitatur propter *L. 1. C. de postlim. reversis*, juxta quam proles ex duobus captivis nata, originem patris sequitur, si parentes ad domicilium postliminiò rediissent, tametsi alibi in captivitate concepta & nata fuerit, ut indicant verba: *quæ capta non est.* Addi casus alius potest, quem DD. non exprimunt, quando videlicet proles concepta fuit in uno loco, ubi parentes domicilium habebant, ac postea nata est in alio, ubi illi novum domicilium constituerunt: & tunc posterior locus non tantùm domicilij, sed etiam originis censendus videtur, cùm jura maximè considerent nativitatem. *L. 1. prin. ff. ad municip.* & *L. Cives C. de incolis.* Neque obstat, quòd conceptus pro nato habetur *L. qui in utero 7. ff. de statu hom.* hoc enim solùm verum est, *quando de commodis ipsius partús quæritur*, ut Paulus ibi dicit: originem autem sortiri odiosum æquè ac favorabile est, saltem si origo dat forum.

119. Sed quæstio jam est, utrùm origo det forum, seu, utrùm in loco originis, æquè ac in loco domicilij, conveniri quis possit, tam in criminalibus, quàm in civilibus, tametsi domicilium habitationis aliò transtulerit. Affirmant Bart. in *L. adsumptio 6. §. 1. ff. ad municip. n. 2.* Panor. in *C. fin. de paroch. n. 6.* Felin. in *C. fin. de For. comp. n. 24* Dec. *in L. cùm quædam puella. ff. de jurisd. n. 5.* Diaz *in prax. crim. c. 8.* Petr. Barbosa *in L. 19. §. proinde. ff. de ludic. n. 35.* ubi ait, hoc esse receptissimum. Receptum quoque dicit Matth. de Afflict. *decis. 384. n. 2.* Afferunt *C. pen. de Temp. Ordin. in 6. L. Incola 29. jun. Gloss. ff. ad municip. L. 1. C. de Municip.* &

*& Origin.* & *L. 4. C. eod* ubi dicitur, manifestum esse, origine propriâ neminem posse suâ voluntate eximi. Idémque traditur *L. seqq.* Ex quo inferunt, quemvis gaudere honoribus loci originis, & non tantùm ad tutelam cogi ibi posse (quod solùm concedit Gloss. in *cit. L. 6. §.* 1.) sed etiam ad omnia alia onera, licèt aliò domicilium transtulerit, juxta *L.* 1. *& ult. C. de municip. & origin.* tradúntque ibi Bart. & Bald. idémque Bart. in *cit. L. 6.* Ant. de Butrio *in C. accedens 2. ut lite non contest. n.* 21. Alex. *vol. 2. cons. 157. n* 13. Panor. *l. c. n. 6.* Ruin. *vol. 4. cons.* 120. *n. 5.* Boër. *decis. 13. n. 13.* Menoch. *consil. 1176. n. 6.* ac alij.

120. Negant conveniri quemquam posse in domicilio originis, si non ibi, sed alibi habeat domicilium habitationis, cit. Gloss. *in L. 6. ff. ad municip. V. domicilium*, & Glossa *in c. ult. de paroch. V. habitatores*, ibíque Butrio *n. 6.* Hostiens. *tit. de Foro comp. §. quib. ex caus. V. item ratione*, Gemin. *in c. cùm nullus de temp. ordin. in 6. n.* 10. & Franc. *ibid. n. 3.* Matth. de Afflict. *l. c.* Surd. *cons. 313. n. 63.* Decian. *vol. 5. cons. 49. n. 15.* Stant pro hac opinione *cit. c. ult.* vi cujus illi Christiani, qui ex varijs Palæstinæ urbibus domicilium transtulerunt Acconem seu Ptolomaidem, hîc tantùm, & non ibi, unde discesserant, conveniri potuêre. Et *c. ult. de Foro comp.* ubi inter modos sortiendi fori omittitur domicilium originis.

121. Verùm quidquid sit de Jure scripto, praxi & consuetudine universali receptum est, ut nemo in loco originis vel incivilibus vel criminalibus conveniatur, si non concurrat domicilium habitationis. Idque non tantùm in foro Ecclesiastico, sed etiam civili obtinet, uti testantur ex Lusitanis Barbosa *l. c. n.* 35. & Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 21. n. 27* ex Italis Thesaurus *decis. Pedemont. 90. ad finem*, ex Germanis Gaillius *L.* 2. *obs. 36. n. 7* & Knipschildt *L.* 2. *de jurib. Civit. Imper. c.* 20. allegans Recessum Imp. August. anno 1555. §. wo aber unsere / & Aur. Bull. *c. 16.* Igitur originarius renuncians civitati & domicilium aliò transferens, civis esse desinit, non solùm quoad jurisdictionem, verùm

etiam quoad munera, ac eo ipso, quòd mutat domicilium, perdit privilegia, & jura Civitatis. Bald. *in L. 2. C. de Infant. expos.* Jason *in L. 2. §. hujus. ff. de Iust. & Iur. n. 15.* Matth. de Affict. *decis. 384.* ubi illius, quod dicitur *L. 4. C. de Municip. & orig.* neminem sua voluntate posse eximi propriâ origine, sensum esse ait, neminem, quamdiu in loco originis est, sua voluntate facere, ut civis non sit, séque loci muneribus eximat: secùs, si locum illum omninò deserat, nunqnam rediturus. Hinc verum non est, quod aiunt Barbosa *l. c. n. 110.* Menoch. *L. 6. præsumpt. 42. n. 5.* Matth. Stephani *L. 1. de jurisd. c. 28. n. 58.* & Zanger. *de Exception. p. 2. c. 1. n. 68.* amitti quidem domicilium originis quoad forum & jurisdictionem, non tamen quoad honores & munera, ac onera personalia. Tametsi enim Jure Civili id olim fuerit constitutum, consuetudine tamen abrogatum est. Nec apparet, quomodo ad onera personalia cogi possit, si desiit ibi habere forum & jurisdictioni esse subjectus: item quomodo maneat civis quoad honores & munera, si deserendo domicilium originis perdit ejus commoda & privilegia, uti perdere fatetur cum communi DD. ipse Menoch. *n. 6. & 7.* Pariter non placet, quod tradit Zanger. *n. 74.* & Gaill. *l. c. n. 11.* in loco originis quemvis etiam post translatum inde domicilium, conveniri, si ibi inveniatur: nam DD. quos adducunt, loquuntur de Jure scripto, non consuetudinario. Hinc meritò de eorum assertione dubitant Stephani *l. c. n. 77.* Coler. *de Proceſſ. execut. p. 2. c. 1. n. 17.* & *in c. Olim. de Except.* Vult. *in L. 2. C. de jurisd. n. 23.* negátque benè Ummius *ad Proceſſ. judic. disp. 4. th. 1. n. 6.*

122. Ex eo porrò, quòd de consuetudine Germaniæ cuivis licitum est, solum vertere, & civitatem mutare civitate, etiam dissentiente ac invito Magistratu, factum est, ut in multis locis aliò migraturi teneantur solvere gabellas detractionis, einen Abzug/Nachsteuer/Ab- oder Nachschoß/de qua fusè Knipschildt *l. c.* Wehner *pract. observ. V.* Nachsteuer / Speidel. in Lex. jurid. V. Abzug / Ernest. Cothoman. *resp. 19.* Arumæus *ad Aur. Bull. disc. 6. concl. 13.* & Ru-

Rumelin. *ibid. p. 2. disert. 5. concl. 5.* An verò valeat Statutum, quo cives & originarij vetantur civitatem & domicilium mutare, controversum est inter DD. Affirmant Bart. *in L. ult. ff. de decret. ab ord. faciend.* Roman. *singul. 522.* & *consil. 59. col. 1.* Menoch. *consil. 1196. n. 1.* & *seqq.* Rumelin. *l. c. concl. 5.* Klock. *de Contribut. c. 7. n. 242.* Bodin. *de Republ. L. 1. c. 6.* Græven. *2. concl. 36. consid. 2. n. 6.* Negat Knipschildt *l. c. n. 4.* cum Besold. ac alijs, quos refert. Horum opinio & libertati naturali, quæ per hujusmodi Statutum nimis constringeretur, conformior videtur, & *legi 71. §. 2. ff. Condit & demonst.* ubi Papin. ait, *dici posse, si Titio centum relicta sunt, ita uti in illa civitate domicilium habeat, non esse locum cautioni, perquam jus libertatis infringitur.* Quæ ratio de non tollendo jure libertatis multò fortiùs pugnat contra statutum, quàm contra legatum sub illo modo relictum: Statutum enim omnes, legatum paucos afficit, & per posterius non imponitur absoluta necessitas certo in loco figendi domicilium, sed tantùm sub condione, si velis habere legatum; absoluta verò per Statutum imponitur manendi in loco nativitatis, ac instar eorum, qui ad remigium damnati aut in insulam deportati sunt, inde pedem non efferendi. Libertas certè deserendi diœcesin competit Clericis (nisi Beneficio saltem curato adstricti sint) nec migrare volentibus negare Episcopus potest testimoniales literas, ut non semel Romæ decisum referunt Campanil. & Riccius apud Barbos. *de potest. Episc. alleg. 21. n. 6.*

123. Contrariam sententiam non satis evincunt leges, quas Menoch. *l. c.* addensat. Non quidem *L. ult. ff. de decretis ab ordin. fac.* quia ibi solùm dicitur, non posse quemquam experiri extra collegium, in quo tractanda causa est. Non *L. 2. C. de Offic. Præf. urb.* ibi enim statuitur, non posse Præfectum urbis quasdam personas de provincia avocare in urbem, *nisi tantummodo suos officiales, & populares almæ urbis seditioni obnoxios*, seu agitatores urbis (de quibus Cuiac. *ad cit L. 2. & lib. 8. obser. 28.*) specialiter ratione muneris urbi adhuc obstrictos. Igitur revocare

non potest quoscunque alios urbis originarios. Non *L. 4. C. de municip. & origin.* ut patet ex dictis *n.* 121. & videri potest Brunemann. *in h. l.* Christin. *vol. 5. decis. 31. n.* Gail. *L. 2. obs. 36. n. 5.* Sur. *decis. 330. n. 5.* Non *L. ult. C. eod:* quia plus inde non probatur, quàm quòd is, qui decurionatum aliúdve munus in loco originis vel domicilij iam suscepit, non possit ad illud evitandum pro arbitrio inde discedere. Et hoc ipso dum ibidem dicitur, eum, qui migraverit, duarum civitatum decurionatûs onera sustinere, in una voluntatis (ubi sponte sibi domicilium elegit) in alia originis, supponi videtur, posse aliò discedere, modò onera utriusque civitatis sustinere velit: aliàs si translatio domicilij non valeret, in nova, quam elegit, civitate, permittendus non esset munus gerere Non *L 8. C. de Incolis.* quia ibi solùm dicitur, manifestum esse, *originis ratione ac domicilij voluntate ad munia civilia quemque vocari;* non verò, quòd discedere & mutare domicilium nequeat. Non denique *L. un. C. si curialis rel. civit.* ibi enim solùm prohibetur Curialibus, *ne civitates fugiant aut deserant rus habitandi causâ:* quia ratione officij certo collegio sunt adstricti. *cit. L un. & L. 1. ff. de Decurion. ac L. 26. C. eod.* unde à sensu contrario colligitur, reliquis, qui civitati ratione officij, quod gerunt, speciali nexu adstricti non sunt, licitum esse migrare; *quia nihil est impedimento,* ut ait JC. *L. 31. ff. ad municip. quò minùs quis, ubi velit, habeat domicilium, quod ei interdictum non sit;* quod quandoque interdici posse non negamus, videlicet si quis publicis muneribus destinatus nondum perfecto munere renunciare incolatui velit. *L. Incola 34. ff. eod.* aliísve peculiaribus de causis, quas refert Glossa *in cit. L. 31.*

124. In domicilio Originis non acquiri forum, saltem de consuetudine, nisi sit simul domicilium habitationis, hactenus dixi. Casus unicus excipiendus est quoad Ordines Ecclesiasticos: hos enim conferri posse ab Episcopo originis constat ex *C. cùm nullus 3. de temp. ord. in 6.* ibi: *superior in hoc casu intelligitur Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat,*

*rat, oriundus &c.* Ubi dum dicitur *in hoc casu*, videtur significari, hunc casum esse specialem & exceptum, & quoad alia forum non acquiri in loco originis. Glossa, Gemin. *n. 10.* Franc. *n. 3.* ac Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 21. n. 15.* Sed neque Ordines conferri ibi possunt, ubi quis natus fuit tantùm in itinere aut ubi parentes alibi domicilium habentes per breve duntaxat tempus commorati sunt. Colligitur ex *L. Cives C. de Incolis*, & docent Panor. *in L. Rodulphus de Rescr. n. 9.* Laym. *L. 5. tr. 9. c. 9. n. 10.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 4. n. 18.* Henriq. *L. 10. c. 22. §. 1.* Oliva *l. c. n. 10.* & sequitur ex dictis *n. 118.* Neque conferri possunt in loco originis tantùm paternæ, sed solùm propriæ, ut contra Barbosa *l. c. n. 4.* malè quosdam pro se allegantem docent Joan. Andr. Gemin. Franc. Henriq. *ll. cc.* Graff. *tit. de probat. decis. 15.* Valasc. *alleg. 5. n. 25.* Quaranta *in Bullar. V. Ordo*, Oliva *l. c. n. 25.* patétque ex citatis verbis *de cujus Diœcesi is est oriundus*, non pater.

## §. V.

## *An in Domicilio Communi acquiratur Forum.*

SUMMARIUM.

125. *Roma olim commune erat domicilium Romano Imperio subditorum.*
126. *Non item hodie.*
127. *Nisi quoad causas Ecclesiasticas.*
128. *Commune domicilium est, ubi est Imperator.*
129. *Curia est, ubi Pontifex & Imperator, aut ejus Ministri & tribunal.*
130. *In loco domicilij communis solùm convenitur, qui ibi est præsens.*
131. *Nisi causæ sint graviores, aut eas ad se avocet Princeps.*
132. *In certis casibus datur jus revocandi causam à Foro communi ad particulare.*
133. *Explicatur, quinam hujusmodi casus sint.*
134. *Quandonam Legati jus habeant causam revocandi domum.*

135. *Revocanti statuitur terminus causam introducendi in Foro particulari, nec auditur post litem contestatam.*

125. Roma, dicebat Tullius Cicero 2. *de Lege Agr. contra Rullum, communis patria omnium nostrûm,* & Modestin. *L. 33. ff. ad municip. Roma,* inquit, *communis nostra patria est.* Idémque repetitur *L. si duas 6. §. 11. ff. de Excus. tut. L. ult. ff. de Interdict. & Relegat.* Hinc subjecti Romano Imperio conveniri Romæ poterant, propter originem & plenitudinem potestatis, licèt ibi nec domicilium habuissent, nec contraxissent, nec deliquissent. *L. Nec cùm 28. §. 4. ff. Ex quib. caus. major.* Bart. *in cit. L. 33.* Castr. *in L. eum qui. §. 1. n. 3. de Constit. pecun.* Alex. *in L. si legatus. prin. ff. ad Trebell.* Jason *in L. 6. ff. de legib. n. 6.* eò quòd *in Orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imp. Antonini cives Romani effecti sunt,* ut ait JC. *L. 17. ff. de statu hom.* & Justin. *Novell. 78. c. 5.*

126. Verùm hoc non ampliùs obtinet, cùm Roma modò non sit sedes Imperatoris, nec ejusdem jurisdictioni subjecta, sed SS. Pontificis, ut cum Catholicis DD. tenent Matth. Stephani *L. 1. c. 28. de jurisd. n.* 21. aliique Heterodoxi. Nam quidquid sit de donatione urbis Romæ à Constantino factâ, quam hodie multi reijciunt, excepto Palatio Lateranensi, certum est, quòd Pipinus Rex Franciæ, cùm anno 755. in Italiam cum exercitu transgressus omnes Civitates Exarchatûs Romani occupâsset, eas donârit S. Petro & Ecclesiæ Romanæ, clavibus per Fulrardum Abbatem S. Dionysij suum Sacellanum aræ Divorum Petri & Pauli impositis unà cum Donationis, quam sanctis hisce Apostolis fecerat, instrumento, suâ & filiorum, ac Optimatum manu subscripto. Eámque postea anno 774. ejus filius Carolus M. victo Desiderio Rege Longobardorum, sanctæ Sedi confirmavit juramento ac instrumento solemni à se & à Proceribus ac Episcopis subscripto, auxítque adjectâ terrâ Sabinorum, Ducatu Spoletano & Beneventano, pluribúsque alijs ditionibus. Eandem Pontifici Paschali Ludovicus Pius adjectis alijs possessionibus confirmavit

firmavit anno 817. cujus donationis literas ab ipso & tribus filijs, decem Episcopis, & quindecim Comitibus subscriptas recitat Baronius *ad eundem annum 817. n. 10.* Demum ratam eam habuit Carolus Calvus, addito Ducatu Capuæ, ac pluribus alijs Civitatibus, cedens Pontifici Joanni VIII. anno 876. absolutam & supremam potestatem in terris, quas Patrimonium S. Petri dicimus. Quin jam ante Pipinum Roma multæque aliæ urbes sub dominio sacræ Sedis erant. Thomasin. *p. 3. Vet. & Novæ Eccl. Discip. L. 1. c. 29. à n. 6.* Baronius *l. c.* & *ad ann. 755. n. 27. ann. 774. n. 5.* Morerus *in Diction. Histor. V. Constantin le Grand. §. lorsque l'Empereur, & §. seq.* Asserunt quidem Gloss. 2. *in L. Cives C. de Incolis,* Bart. *in cit. L. Roma & L. Hostes. ff. de Captiv. n. 6.* Imola *in c. fin. de Foro comp. n.* 2. & Dec. *in c. Meminimus de Appell. n. 5.* etiam hodie Romam dici patriam communem, & omnes Romano Imperio subditos dici Cives Romanos; tum quòd Jus antiquum quoad hoc non inveniatur correctum; tum quòd jurisdictio in SS. Pontifices cum omnibus suis prjvilegijs translata fuerit : ex quo consequens esse videtur, quod tradit Andr. Sicul. *in cit. c. ult. n.* 2. Romam adhuc commune forum esse etiam quoad laicos. Meritò tamen id alij cum Anton. *in cit. C. fin. n.* 23. & Felin. *n.* 25. reijciunt, tenéntque, laicos Romæ in temporalibus & profanis causis conveniri non posse, nisi SS. Pontificis temporali jurisdictioni sint subjecti, uti sunt, qui in Patrimonio D. Petri degunt.

127. Illud certum est ex *C. fin. de Foro comp.* Romam Ecclesiasticarum personarum communem etiam hodie patriam esse, cúmque etiam laici in causis Ecclesiasticis forum Ecclesiæ sortiantur, etiam isti in dictis causis conveniri poterunt, ut observant Petr. Barbosa in *L. 2. §. Legatis ff. de judicijs n. 33.* Covarr. *pract. qq. c. 5. prin.* Oliva *p. 3. Fori Eccl. q. 25. n.* 1. & hoc teste omnes Interp. *in cit. C. ult.* Cæterùm Roma hîc non est materialiter accipienda & pro determinata urbe, quæ eo nomine appellatur, sed pro illo loco, ubi Pontifex residet, sive Roma is sit, sive

ſive alius: ubicunque enim is reſederit, ibi ſedes & Curia Pontificia erit. *L. 1. §. ſed etſi C. de Vet. jure enucl.* Covarr. *pract. qq. c. 4. n. 10. & ſeqq.* cum Innoc. Panor. Felin. Butr. Dec. Bald. Curt. Jun. Hinc cùm Clem. V. Joan. XXII. Benedict. XII. Clem. VI. & Innocent. VI. per annos ampliùs 70. reſiderent in Gallijs (in Captivitate, ut loquuntur Itali, Babylonica, quòd totidem annis filij Iſraël Babylone captivi fuiſſent) convęniri ibi in cauſis Eccleſiaſticis poterant fideles, æquè ac Romæ priùs convenire potuêre.

128. Ex qvo ob paritatem rationis inferunt Bald. *in rubr. C. qui accuſ. non poſſ. n. 1.* Dec. *in C. Meminimus de prob. n. 12.* Imola & Butrio *in cit. C. ult.* Barboſa *l. c. n. 41.* cum Gloſſ. communiter recepta *in cit. L. Roma* & *in L. Nec non §. ſin autem. ff. ex quib. cauſ. major.* quemvis Romani Imperij ſubditum poſſe hodie conveniri ibi, ubi Imperator eſt: eò quòd commune domicilium eſt domicilium Imperij, cùm omnes, qui ſub Imperio domicilium habent, ſubditi Imperij dicantur, & legibus ac conſtitutionibus Imperialibus ſubijciantur. Gaill. *L. 2. obſ. 36. n. 3.* Matth. Stephani *l. c. n. 22.* Neque dum Populus Romanus omnem poteſtatem tranſtulit in Imperatorem *L. 1. ff. de Conſtit. Princip.* eam urbi Romanæ prærogativam reſervavit, ut ibi ſuprema Curia maneret.

129. Sed controverſum adhuc eſt, ubinam Curia SS. Pontificis vel Imperatoris eſſe cenſeatur. In tres opiniones ſuper hac quæſtione abierunt DD. Primò Gloſſ. *in Extrav. Execrabilis de præb. V. Romanæ Curiæ* cum Innoc. Panor. Butr. & Franco tenet, ibi Curiam eſſe, ubi eſt Pontifex aut Imperator, tametſi ibi ejusdem Cancellaria & Conſiliarij non ſint. Secundò alij affirmant, ibi tantùm Curiam eſſe, ubi ſupremum Principis tribunal ordinarium eſt, ſive ibidem Princeps ſit ſive non. Ita Covarr. *l. c.* Garcias *p. 5. de Benef. c. 1. n. 388.* Aug. Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 57. n. 128.* Tertiò Petr. Barboſa *l. c. 39.* Felin. & Affict. tradunt, utrobique curiam dici, & conveniri reum poſſe, ub-

ubi videlicet tribunalia, ut aiunt, & audientiæ fuerint, & ubi Pontifex vel Imperator fuerit sine tribunalibus ac ministris. Hæc opinio præplacet. Prima ejus pars sumitur ex *Clem. Ne Romani 2. §. 2. de Elect.* altera ex Clementis VIII. *constitut. 45.* Ratio est, quia ubi Rex est, ibi Curia Regia esse dicitur. Afflict. *decis. 265.* Rebuff. *in Concord. V. Extra Curiam,* Butr. *in cit. c. ult. de Foro comp. n. 23.* Tiraq. *de Nobilit. c. 30. n. 4.* nec Princeps adstringitur ad jus dicendum in certo aliquo sui territorij loco; dummodò non dicat extra illud. Posse verò etiam ibi conventionem fieri, ubi tribunal & ministri regij sunt, tametsi Rex ibi non sit, dubium non est: cùm ideo illi constituti sint, ut nomine Regis jus dicant.

130. Jam verò, quod dictum hactenus est, in communi domicilio quemvis conveniri posse, intelligendum duntaxat est, si ibi inveniatur, qui convenitur. Colligitur ex *L. Nemo C. de jurisd. omn. jud.* & *L. 2. §. 4. & 5. ff. de Iudic.* & resolvunt Covarr. *pract. c. 6. prin.* Oliva *l. cit. q. 25. n. 3.* ac alij. Ratio patet: quia quia nimiùm gravarentur subditi, si quantumvis longè absentes ad Curiam Principis promiscuè & passim ac in prima etiam instantia evocari possent: paritérque nimiùm oneraretur Curia Principis, si conventio indiscriminatim ibi fieri posset. Qua de causa erecta sunt plura tribunalia, diversíque Judices dati sunt, ad quos subditi pro consequenda Justitia facilè accedere possent. *L. 1. §. Capta ff. de Orig. Iur.* & *L. 1. C. de Off. Præt. Prov. Afr.* & ex eadem ratione in Republica Eccles. divisæ sunt Provinciæ ac Diœceses, quarum jurisdictio turbaretur, magnáque induceretur confusio, si licitum semper foret summum tribunal adire.

131. Hinc juxta Trident. *sess. 24. c. 20. de Refor.* causæ omnes in prima instantia coram Ordinarijs locorum agitandæ sunt. Neque virtute literarum Apostol. quisquam ultra duas dietas extra suam Diœcesin trahi potest. *C. Nonnulli 28. de Rescript.* quin nec ultra unam dietam. *C. Statutum 11. §. 1. & 2. eod. in 6.* Hábent tamen tam SS. Pontifex quàm Princeps secularis potesta-

tem avocandi ad se causas & ex justis ac rationabilibus causis compellendi etiam absentes, ut coram ipsis compareant. Neque hæc potestas ab ipsis alienari potest, ut cum Luca de Penna, Guil. Benedicto, ac alijs existimat Covarr. *c. 4. pract. n. 1.* Quin in causis majoribus, quarum cognitio Sedi Apost. semper reservata fuit, etiam in prima instantia adeundus est SS. Pontifex. *C. Majores. de Baptis. C. 1. de Iurament. calum. C. 1. de Translat. Episc. Trident. l. c. & c. 5. cit. sess. 24.* Quales sunt, quæ spectant ad intelligendos articulos Fidei, discernendos libros Canonicos, ad declarandum sensum SS. Literarum, eáque, quæ ad materiam, formam, & ministros Sacramentorum pertinent; item illæ, quæ pertinent ad jura, obligationes, & immunitates Ordinis Clericalis, ac criminales causas Episcoporum, quæ privationem aut depositionem merentur, ac illorum electionem, confirmationem, Beneficia Sedi Apost. reservata &c.

132. Sed etiam illi, qui in Curia reperiuntur, conveniri ibi non semper queunt, quando videlicet habent jus revocandi domum, seu petendi, ut causa ad forum ipsorum particulare, v. g. ad locum domicilij, ubi habitant, aut contractûs, remittatur, quòd in curia ad respondendum non sint instructi. Differt hoc jus revocandi domum à jure declinandi forum. Ille enim propriè declinat fornm, qui non est subjectus jurisdictioni: is verò, qui domum revocat, subjectus quidem est jurisdictioni, ex aliqua tamen legitima causa respondere non tenetur. Socin. *in C. fin. de Foro comp. n. 61.* Jus autem revocandi domum habent non solùm Legati, & qui in aulis Principum sunt; sed etiam missi à patria, & qui dicendi testimonij causâ ad Curiam evocantur. *L. 2. §. 3. ff. de Iudic. L. sed etsi 28. §. fin. ff. ex quib. caus. major.*

133. Causæ, ex quibus jus revocandi competit, vel necessariæ sunt, vel probabiles. *cit. C. ult. de Foro comp.* Prima necessaria est legationis. *cit. L. 2. §. 3.* Ratio est, ne Legatus ab officio legationis avocetur. *L. non alia L. de eo autem L. quid cum ff. de Iudic.* Idque procedit, non solùm de Legato missò à Principe, sed

sed quolibet alio, qui à domino vel communitate mittitur ad Principem, & de Prælato in causa suæ Ecclesiæ ad Curiam veniente. Secunda: si quis evocatus sit à Principe, ut alijs respondeat. Si enim in alia causa conveniatur, quàm ob eam, ad quam evocatus est, jus revocandi habet. Gloss. & Joan. Andr. *in cit. C. ult.* Gilhausen *arb. judic. c. 1. p. 2. §. 5. n. 4.* Tertia: si evocatus est testimonij ferendi causâ. *cit. L. 2. §. 3.* Qvarta: si vocetur causâ judicandi. *cit. L. 2. §. 2.* quia in his casibus parere evocanti tenetur. Sunt præter has causas necessarias aliæ justæ & probabiles, quas dicunt *quasi necessarias.* Qualis est causa appellationis: nam *ei quoque, qui ipse provocavit, non imponitur necessitas intra tempora provocationis exercendæ, Romæ vel alio loco, ubi provocatio exercetur, alijs pulsantibus respondere,* ut ait JC. *cit. L. 2. §. 3.* ubi similis causa additur, *eum* videlicet, *qui tutelæ reddendæ causâ Romam erat evocatus, alterius tutelæ causâ, cujus causâ non erat evocatus, non debere compelli judicium suscipere.* Qvod Innocent *in cit. C. ult.* ad quamcunque causam rationis ob administrationem reddendæ extendit per *L. 1. & 2. C. ubi de Crim. agi oport.* Addunt Gloss. *in cit. L. 2. §. 3. V. causâ venerat,* Butr. Panor. & Felin. *in cit. C. ult.* & hoc teste communis DD. sufficere ad petendam revocationem quamcunque aliam causam justam & probabilem, ex qua aliquis ad Curiam venerit, ut si quis voti implendi causâ Romam eat aut peregrinationis; aut, uti cit. Glossa ait, si quis ad locum Curiæ accedat causâ visendi sui filij ibidem Studijs vacantem. Ut adeò juxta citt. DD. soli illi jus revocandi domum non habeant, qui Romam, vel Viennam veniunt ex causa omninò voluntaria. Gilhausen *l. c. n. 5.* Requiritur tamen *cit. C. ult. de Foro comp.* causa necessaria, ut adeò juxta SS. Canones quæcunque alia probabilis & justa non sufficiat. Peregrin. *de Fideicommiss. art. 53. n. 7.* Petr. Barbosa *in cit. L. 2. §. 3. n. 326.*

134. Quamquam autem Legati in Curia Principis vel ejus Provincia conveniri nequeant ratione contractûs vel delicti, etiam

ibidem, at ante legationem, initi aut commissi, ut cum communi tradunt Covarr. *c. 5. pract. n. 2. §. Et tamen,* & Barbosa *l. c. n. 104.* alij tamen jus revocandi domum non habent, sed conveniri possunt ratione contractûs ibidem quocunque tempore celebrati, vel delicti commissi; nisi interim actioni præscripserint *cit. L. 2. §. 4.* & DD. *ibi,* Panor. & Felin. *l. c.* Covarr. *l. c. §. sedet.* Barbosa *l. c. n.* 111. Quin ij, qui Legati non sunt, jus revocandi non habent, si conveniantur in curia de contractibus aut delictis non in sua provincia ac loco domicilij, sed alibi commissis: ut adeò jus illud revocandi solùm habeant, si in sua civitate aut intra suam provinciam contraxerunt, ut textum *cit. l. 2. §. 5.* explicat Glossa communiter recepta, & Glossa *in cit. c. ult. V. Compello.* Sed neque Legati, multóque minùs alij, jus revocandi domum habent, quando tempore actio esset peritura ob eorum absentiam à domicilio vel provincia: cogi enim tunc possunt ad litem contestandam, ne adversario sua actio pereat. *L. 28. §. 4. ff. de Iudic.* & *ibi* Glossa ac DD. At ubi primùm lis fuerit contestata, causam remittendam esse ad Judicem competentem domicilij, tradunt Bart. & Angel *in cit. §. 4.* Barbosa *l. c. n. 213.* Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 12. n. 16.* Si tamen actio foret talis, quæ per litis contestationem non perpetuatur, uti est actio de Dolo *L. fin. C. de Dolo.* non sufficeret litis contestatio, sed causa in curia terminanda foret. Bart. *l. c. n. 210.* Oliva *l. c. n. 17.* Quod semper procedit, quotiescunque periculum in mora est. cit. *L. 28. §* 1. Angel *ibi.* Barbosa *l. c. n. 212.*

135. Duo hîc ex plurimis, quæ de hoc jure revocandi domum tradunt Barbosa & Oliva *ll. cc.* Donell. *L. 17. Comment. c. 14.* Em. Gonzal. *in C. ult. de Foro comp.* addi expedit. Primum est, quòd Judex, coram quo excipitur ex privilegio revocandi, potest ac debet, saltem parte petente, statuere terminum excipienti, intra quem compareat coram Judice domicilij, eúmque cogere ad cavendum de judicio sisti, juxta *cit. L. 2. §. 6* & ibi Glossa, Bart. ac DD. Panor. *l. c. n. 49.* Quod universim de omni Judice etiam incom-

incompetente, qui remittit partes ad instantiam excipientis, tradit post Bart. Alex. Castr. Dec. Felin. ac alios Barbosa *l. c. n. 365.* Non tamen opus est cautione pœnali, vel juratoriâ, aut fidejussoriâ; sed sufficit promissio simplex. *cit. L. 2. §. 6.* Alterum est, cùm privilegium revocandi domum sit exceptio instar declinatoriæ fori, opponendam esse ante litis contestationem. Marian. *l. c. n. 6.* Felin. *l. c. col. ult.* & *in C. cùm ordinem de Rescript. n. 15.* Em. Gonzal. *l. c.* Hæc porrò inutiliter disputata forent quoad Curiam Romanam, si verum esset, quod Felin. *cit. col. ult. v. ult.* tradit, juxta praxin illius Curiæ non permitti revocationem. Quæ tamen praxis quia dura est, nec à recentioribus DD. refertur, idcirco vel nunquam extitit vel sublata rursum fuit.

# CAPUT II.

## De Foro Delicti.

### §. I.

### *An per Delictum Forum acquiratur.*

SUMMARIUM.

136. *Delinquens forum sortitur in loco delicti.*
137. *Etiam privilegiatus.*
138. *Tametsi habeat privilegium personale.*
139. *Nisi sit Regularis, aut aliud privilegium in Corpore Iuris clausum habeat.*
140. *Mandans puniri potest, ubi delictum mandatum est patratum.*
141. *Forum Pœnitentiale non acquiritur in loco delicti.*

136. Forum Domicilij universale esse, & cum alijs foris (excepto foro Feudi & rei sitæ, de quo infrà *n. 216.*) concurrere, dixi *n. 103.* Unde subditus in loco sui domicilij propter crimen

ubicunque patratum puniri poteſt. *L. 1. C. ubi de crim. agi oport.* & *ibi* Gloſſ. Bart. ac communis omnium, teſte Covarr. *c. 11. pract. n. 6. §. his equidem,* & Claro *L. 5. ſent. §. fin. q. 38. n. 3.* Habent tamen delinquentes aliud inſuper Forum, ubi convenìri & plecti poſſunt; illud nimirum territorium, quod ſuo crimine violârunt: neque enim excipere poſſunt, ſe eſſe advenas, nec hujus territorij ſubditos. *cit. L. 1. & auth. qua in provinc. C. ubi de crim. L. ſolent 7. ff. de Cuſtod. & exhib. reor. L. 1. C. ubi ſenat. & clariſſ. L. 9. 10. & ult. C. ubi cauſ. fiſc. L. 3. ff. de Offic. præſid. L. 7. & fin. ff. de accuſat. L. 3. ff. de re milit. C. fin. de Foro comp. C. 1. de Raptor. C. 1. de privil. in 6.* Delictum namque jurisdictionem tribuit ei, qui aliàs Judex rei competens non eſt. *cit. C. fin.* & *L. 1. C. ubi de crim. L. 3. ff. de Offic. præſ.* adeò ut Judex loci delicti in delinquentem conſtitutum in ſuo territorio ad omnes juris effectus jurisdictionem habeat, non ſolùm quoad ipſam delinquentis perſonam, ſed etiam quoad bona ejusdem alibi exiſtentia, ita ut privari ijsdem per ſententiam poſſit; executio tamen fieri ab ipſo nequeat, ſed à Judice domicilij & bonorum facienda ſit. *C. 14. de Foro comp.* & *L. 15. §. 1. ff. de re jud.* Nec refert, unde delinquens ſit oriundus. *cit. L. 3. L. Non dubio 7. ff. de Capt. & poſtlim. Novell. 8. c. 12.* Pariter non refert, cujus Dignitatis aut Ordinis ſit, qui delinquit. *L. Raptores 24. C. de Epiſc. & Cler. L. quædam 14. ff. de pœn.* & *L. qui cùm 4. §. 7. ff. de re milit.* ita ut etiam Clariſſimi in provincia, in qua deliquerunt, accuſari poſſint. *cit. L. 1. C. ubi ſenat.* & Comites quoque & Nobiles immediatè Imperio ſubjecti, ſi in alicujus Civitatis Imperialis vel alterius Statûs territorio delinquant, à Magiſtratu illius loci criminalem jurisdictionem habente, capi, judicari, & puniri valeant, juxta Bart. Bald. & DD. *ad L. 3. ff. de Offic. præſid.* Vult *ad cit. L. 1. C. ubi ſenat. n. 48.* Colleg. Argentor. *L. 48. tit. 2. n. 12.* Beſold. *Colleg. polit. claſſ. 1. diſp. 11. concl. 28.* Knipſchildt *L. 2. de Iure Imper. Civit. c. 5. à n. 90.* ubi *à n. 102.* ad oppoſita reſpondet: dubitante Ummio *diſp. 4. ad proceſſ. jud. th. 2. n. 9.* nec facilè

ſe

sehuic opinioni subscripturum aiente. Quin hoc procedere de personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, adeò ut etiam Episcopus, si in aliena Diœcesi delinquat, puniri ibidem à loci Episcopo possit, affirmat Gloss. *in Can. 1. 4. q. 6.* ac idem de Archiepiscopo in Diœcesi sui Suffraganei delinquente dicendum existimant Panor. *in C. ult. de Foro comp.* ac alij, refragante Anania, Butrio, ac Innocentio. Ubi tamen advertendum est, Archiepiscopos & Episcopos, similésque Superiores Ecclesiasticos in criminalibus, saltem gravioribus, solùm subjacere judicio SS. Pontificis. Trident. *sess. 13. c. 8. de Refor.*

137. Possunt igitur, excepto casu modò allato, in loco delicti puniri etiam privilegiati & exempti. *C. 1. de privil. in 6.* & DD. *ibi* cum Panor. *in C. fin. de Foro comp. n.* 11. Covar. *c.* 11. *pract. n. 5.* Matth. Stephani *L. 1. de jurisd. c. 30. n. 26. Auth. quá in provinc. C. ubi de crim. Novell. 69. c. 1.* Idque certum est & ab omnibus tenetur, si quis privilegio tantùm locali munitus sit: nam si delinquat extra locum exemptum, puniri poterit, ubi deliquit. Si verò privilegium personale habeat, vi cujus coram certo tantùm Judice respondere cogatur, juxta Butr. *in cit. C. ult. n. 7.* Panor. *in C. tuarum de privil.* & Covarr. *l. c.* non poterit ratione delicti conveniri coram Judice territorij, ubi deliquit, sed coram suo duntaxat Judice. Verùm rectiùs tenent Innoc. *in C. Exore de privil.* Panor. *in cit. C. ult. n. 11.* Felin. *ibid. n. 5.* & Gemin. *n. 3.* idemque Gemin. Dominic. & Franc. *in cit. C. 1.* Gloss. Bart. & Bald. *in cit. auth. quâ in provinc.* etiam personali privilegio gaudentem posse conveniri in loco delicti, contractûs, & rei sitæ: quia Pontifex *cit. c. 1.* indistinctè sic loquitur: *definimus, quòd quantumcunque sic exempti* (privilegio exemptionis à Sede Apost. concesso) *gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possunt coram locorum Ordmarijs conveniri &c.* Ex quo patet, quòd privilegium exemptionis quantumcunque latum non includit casum delicti, contractûs, & rei sitæ, nisi etiam isti specialiter exprimantur.

138. Ne-

138. Neque verum est, quod ait Covarr. *l. c.* privilegium hac ratione fore frustratorium: nam etsi privilegium non habeat effectum quoad extraneos Judices, in quorum territorio ille delinquit, contractum init, aut rem sitam habet, operatur tamen, ut coram Judice sui domicilij respondere non cogatur, ut observat Oliva *cit. q. 22. n. 8.* Pariter non obest, quòd *cit. C. 1. §. in eos* dicitur, privilegium simpliciter concessum, ut quis excommunicari non possit, extendi ad delictum in quacunque Diœcesi commissum: aliud enim est, non posse excommunicari; aliud non posse alijs pœnis subijci. Igitur tametsi etiam in alijs Diœcesibus excommunicari nequeat, alijs tamen delicto commensuratis pœnis, in loco delicti subijci poterit, ut notant Gloss. *in cit. §. in eos V. quantum*, Gemin. *n. 9.* Franc. *n. 3.*

139. Habent tamen Regulares Ordines privilegia exemptionis cum clausula derogatoria. *cit. C. 1. de privil. in 6.* Dominic. *ibi n. 3.* Oliva *l. c. n. 11.* Exceptis quibusdam casibus, in quibus contra ipsos procedere possunt locorum Ordinarij tanquam Sedis Apost. delegati. Casus illos post Emman. Rodriq. ac alios recenset Alviset *de Privileg. Ord. Reg. sect. 4. dub. 21.* eorúmque ferè præcipuus est, de quo Trident. *sess. 6. c. 3. de Refor.* & *sess. 7. c. 14. de Refor.* Eos infrà adducam *n. 309.* Universim si qui habeant privilegium in corpore Juris clausum, vi cujus respondere non teneantur nisi coram certo Judice, non possunt conveniri coram alio Judice, etiam ratione delicti, contractûs, vel rei sitæ. Bart. Bald. Panor. Felin. *ll. cc.* ac communis Legist. & Canonistarum: exceptis forsan militibus & clarissimis viris, de quibus *cit. L. 1. C. ubi senator.* & *L. 3. pr. ff. de re milit.* Neque obstat *cit. C. ult.* & *L. 1.* ac *auth. qua in provinc. C. ubi de crim. agi oport.* nam licet ibidem dicatur, conveniri quemvis posse in loco delicti *omni privilegio cessante*, per similes tamen clausulas derogatorias non derogatur privilegijs in corpore Juris clausis, ut notant ijdem DD. Ex quo deducit Umm. *l. c.* Principes, Comites &c. propter delictum perpetratum alibi forum non consequi, quàm coram Austregis, aut certè

certè coram Imperatore. Quid de Studiosis tenendum sit, infrè dicetur *n.* 342.

140. Quod modò dictum est de committentibus delictum, dicendum pariter est de mandantibus: puniri enim ibi possunt, ubi mandatum executioni datum est. Panor. *l. c. n. 27.* Marian. *in C. postulásti de Foro comp. n. 5.* Bart. *in L. sicut proponitur ff. de fidejuss.* Clar. *L. 5. sent. § fin. q. 38. n. 6.* ac communis omnium. Idem dicendum est de eo, qui hîc tractavit de delicto & alibi perpetravit aut perpetrari fecit. Idem de eo, qui hîc ratum habuit delictum alibi suo nomine patrandum: puniri enim possunt in loco perpetrati delicti. Videantur ea, quæ habentur infrà *à n. 160.*

141. Regula hucusque tradita de reis in loco delicti puniendis exceptionem patitur quoad Forum Pœnitentiale. Hoc enim forum delinquens non sortitur ibi, ubi deliquit, nec ibi à peccato absolvi potest, sed solùm à Parocho sui domicilij, vel ab ijs Regularibus privilegiatis, qui undecunque ad se accedentes absolvere queunt. Gloss. *in Can. 1. 16. q. 1.* Panor. *in C. 1. de Raptor. n. 4.* & *ibid.* Butr. *n.* 10. Anan. *n. 13.* Covarr. *c. 11. pract. n. 4.* Navarr. *in C. placuit. dist. 6. de Pœnit. n. 83.* Clar. *l. c. q. 38. n. 5.* & communis aliorum contra Palud. & Host. Ratio est: quia ideo leges voluerunt, ut ratione delicti acquireretur forum, & reus, ubi deliquit, puniri posset, licèt ibi domicilium non habeat, ut Reipublicæ offensæ & violato territorio satisfiat. Quæ ratio cessat in foro pœnitentiæ, cùm in hoc non Reipublicæ, sed Deo offenso satisfiat. Potest tamen delinquens ibi excommunicari, ubi delictum commísit. *C. 1. de Raptor.* Inter crimina excipitur Crimen Læsæ Majestatis; postquam enim lege Regia omne imperium totáque populi Romani potestas in unum translata fuit & in Imperatores Augustos transijt, solus Princeps, vel is, cui hic in specie id demandâsset, cognoscere & judicare cœpit. *tit. 56. L. 2. feud.* Boër. *tr. de sedit. præsup. 6. n. 20.* Gigas *de Crim. Læs. Majest. L. 1. tit. quis de crim. n. 1.* Decian. *tr. crim. L. 7. c. 38. n. 5.* Inter personas excipiuntur. 1. Illustres, seu illustrem dignitatem

tem obtinentes : nam ex præcedente administratione in causis criminalibus arduis, in quibus non admittitur procurator, accusantur coram Principe, vel eo, cui Princeps commisit, nec coguntur in loco commissi delicti se defendere. *L. fin. C ubi senator.* 2. Excipiunt aliqui Clericos, sed malè: nam possunt puniri ab Episcopo loci, ubi deliquerunt; laico Judici nec in loco domicilij vel originis subjecti sunt. 3. Excipiunt Legatum in legatione peccantem: hunc enim retinere fori privilegium asserunt Gloss. *in auth. qua in provinc. C. ubi de crim.* ac alij. 4. Milites juxta *L. Magisteriæ 6. C. de Jurisd. om. Judic.* Verùm hæc lex solùm loquitur de causis civilibus & desertione aliisque delictis merè militaribus, de quibus solùm coram Magistro militiæ conveniri queunt: nam super reliquis conveniri posse in loco delicti constat ex *L. 3. §. 1. ff. de re milit.* 5. denique excipiunt Studiosos. Sed de his infrà agetur *à n. 329.*

## §. II.

### *An contra delinquentem procedi in loco delicti possit, si ibi non reperiatur.*

SUMMARIUM.

142. *Adversùs delinquentem etiam absentem procedi in loco delicti potest, si ante abitum fuit citatus: non tamen ante litem contestatam recipi testes, nisi in quibusdam casibus.*

143. *Si abijt ante factam citationem, & constat, ubi sit, requirendus est Judex loci, ubi est.*

144. *Secùs publico edicto citatur. Aliud tamen in praxi observatur.*

142. Si delinquens citatus legitimè fuit, dum adhuc præsens in loco delicti esset, dubium non est, procedi postea adversùs absentem tanquam citatione præventum posse. *text. in L. & auth. qua in provinc. C. ubi de crim. agi oport.* & DD. *ibi,* Butr. Pa-

nor-

nor. Felin. *in C. ult. de Foro comp.* Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 38.* Non tamen, si lis contestata non fuit, recipi testes, aut sententia definitiva ferri potest. *C. 2. & tot. tit. Ut lite non contest. L. 1. ff. de requir. vel absent. damn. pr.* & *L. 1. C. de requir. reis.* Et licèt, si periculum sit in mora ex parte testium, ut si sint senes aut valetudinarij, ituri ad bellum, facturi longam aut periculosam navigationem, diúque abfuturi, vel facilè oblituri eorum, quæ pro testimonio modò dicere possent, recipi ijdem possint ante litem contestatam & in absentia rei, ut depositiones asserventur, donec reus convenjri possit. *C. ult. eod.* Farin. *in praxi crim. q. 76. à n. 82.* cum communi: hoc tamen solùm procedit, si civiliter agatur; nam si agitur de crimine criminaliter, testes reo absente & ante litem contestatam recipi neutiquam possunt, tametsi eorum mors vel diuturna absentia timeatur. Communis DD. *in L. absente. C. de accusat.* Gail. *L. 1. obs. 92. n. 13.* Igitur in tali casu bona ejus annotanda sunt, & si intra annum post annotationem non comparuerit, & de stando juri se non obtulerit, bona annotata ad fiscum pertinent. *cit. L. 1. C. de requir. reis.* In Germanico tamen Imperio bona quidem annotantur, sed non eo fine, ut confiscentur, sed ne quid ex illis ad fugitivum transferatur. *Constit. crim. Car. V. art. 206.* nec bona fisco ampliùs acquiruntur, nisi in crimine Læsæ Majestatis. *Auth. Bona damnatorum. C. de Bonis proscriptor.* Imò teste Claro *cit. §. fin. q. 44. V. sed hodie,* & Bossio *tit. de Citat. n. 6.* annotatio ista in desuetudinem abijt, & in ejus locum pœna banni est subrogata. Posse enim banno subjici contumacem notum est ex allegatis à Gaillio *L. 2. de Pace publ. c. 5. & seqq.* Procedi item potest contra eum per inhibitionem factam colonis, debitoribus &c. ne debita tali suo domino solvant, sed apud se se retineant, vel in arrestum ad Judicem deferant. Qui modus procedendi contra contumaces est valde usitatus teste Hiltropio *p. 2. tit. 7. n. 51.* In foro Canonico contra Clericos contumaces procedi potest per suspensionem ab Officio & Beneficio, *C. 8. de Dolo & Contum.* Con-

tra laicos per excommunicationem. *cit. C. 8. C. 2. & 3. Ut lite non conteſt.* Quòd ſi Judex ex Officio & per viam Inquiſitionis procedat, & citatus reus neget delictum, opus non eſt litis conteſtatione, ſed ſtatim ad receptionem teſtium procedi poteſt, tum quòd per ipſam negationem lis quaſi conteſtata cenſetur, tum quòd in tali caſu nemo eſt, cum quo litis conteſtatio fiat. Quin procedi etiam ad ſententiam definitivam poteſt. *C. Veritatis 8. de Dolo & contum.* Gloſſa, Hoſt. Butr. Panor. *ibi*, & *in C. ult. Ut lite non conteſt. §. ſunt & alii.* Quod procedit etiam tunc, quando reus ſe contumaciter abſentat. *C. qualiter 4. de Accuſat.* Quod tamen limitant Baldus *in L. abſentem C. de Accuſ. n. 9.* Salicet *ibid. n. 14.* Clar. *L. 5. ſentent. §. fin. q. 44. n. 2.* ac alij, afferentes, id non procedere in criminibus, quæ pœnâ corporali aut morte civili puniuntur.

143. Dubium ſupereſt, quomodo procedendum ſit, ſi delinquens ante citationem abijt ex territorio, ubi deliquit. Citari realiter ſeu capi in alieno territorio non poſſe, liquet ex dictis *n. 54.* Sed neque verbaliter citari poſſe, conſtat à fortiori ex dictis *n. 55.* & *L. ult. ff. de Jurisd. C. ult. de Conſtit. in 6. Clem. Paſtoralis 2. §. deſiperet de Sentent. & re iud.* Neceſſe igitur eſt, ut Judex delicti literas requiſitorias det ad Judicem territorij, ad quod delinquens abijt, húncque per illum citari curet citatione, aut reali *cit. L. 1. ff. de requir. vel abſent. damn. §. 2. cit. Clem. Paſtoralis, Novell. 134. c. 5.* aut verbali, ſi fugæ periculum non ſit, ei videlicet præcipiendo, ut veniat ad ſe defendendum in termino ijsdem literis præfixo. Cardin. Anchar. ac alij *in cit. Clem. Paſtoralis.*

144. Si verò non conſtat, quò profugerit delinquens, factâ ſummariâ informatione de delicto, poterit per edictum publicum citari. *cit. L. 1. ff. de requir. §. 2.* ibi *edictis adeſſe jubeat, & cit. Novell. 134. c. 5.* ibi: *ſi verò quis comprehenſorum criminum latuerit, aut reliquerit provinciam illam, in qua crimina deliquit, jubemus legitimis edictis à Judice evocari eum, & ſi non obediat,*

*illa*

*illa in eum procedere, quæ nostris legibus definita.* De qua citatione edictali fusè Boss. *tit. de Foro comp. n. 46. & tit. de Citation. n. 20.* Socin. *in C. Postuláfti de Foro comp. à n. 4.* Gail. *L. 1. obs. 56 & 57.* Hæc de Jure scripto procedunt. De consuetudine contrarium observari testatur Carpz. *p. 3. pract. crim. c. 110. n. 47.* & in loco delicti commissi causam criminalem adversùs reum etiam absentem agitari, etiamsi citatio præsenti non sit insinuata, cùm Judex delicti per subsidium hujus jurisdictionis ex delicto quæsitæ absentem, ubi deprehenditur, vel si latitat, edicto publico in tribus diversis trium dominorum territorijs affixo, citare, & adversùs non comparentem ad bannum procedere soleat.

## §. III.

## *Utrùm reus ad locum delicti remittendus sit.*

### SUMMARIUM.

145. *De Jure Communi remittendus est reus ad locum delicti.*
146. *Non item de Consuetudine: nisi pacta inter Dominos territoriales aliud exigant.*
147. *Mittere Reum tenetur Judex loci delicti ad Superiorem, si non habet potestatem infligendi pœnam commensuratam delicto.*
148. *De Jure scripto Judex, qui nullam in Reum jurisdictionem vel ratione domicilii vel delicti continuati habet, non potest Reum remittere ad locum delicti.*
149. *Potest tamen de consuetudine. Imò vi hujus proceditur per viam Inquisitionis adversùs facinorosos eo loco, ubi reperiuntur. Cui Consuetudini favent etiam leges.*
150. *Dummodo in loco, ubi Reus reperitur, crimen sit notorium aut facilè probari possit.*
151. *Ut remissio fieri posit, Judex remittens indicia de crimine ab hac persona commisso habere debet.*
152. *Remissio locum non habet in criminibus levioribus, & gravibus, de quibus agitur solùm civiliter.*

153. *Facienda est expensis Judicis eam petentis, si nec Reus nec Accusator est solvendo.*

154. *Reus captus & remissus à non habentibus potestatem in pristinum statum restituendus est.*

155. *Declaratur, quomodo procedendum sit, si Reus commisit plura in diversis territoriis delicta, & ab uno Judice detinetur.*

156. *Judex domicilii contra Reum procedere potest, si Judex delicti, ad quem fuit remissus, sit negligens in puniendo.*

145. Remitti delinquentem debere ad locum delicti, si Judex requirat, communis est DD. sententia, ut testatur Marian. *in C. postulásti de Foro comp. n. 15.* Felin. *in C. ult. eod. n. 9.* Covarr. *c. 11. pract. n. 6.* Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 38. n. 19.* Patet ex *auth. qua in provincia V. insuper & is. C. ubi de crim. agi oport. Novell. 60. c. 1.* & *Novell. 134. c. 5. L. 3. ff. de re milit. L. 28. §. 15. ff. de pœn. L. 7. §. 4. & L. fin. ff. de accusat. C. 1. de Raptor.* quibus à Carpz. *in pract. crim. p. 3. q. 110. n. 49.* malè additur *C. ult. de For. comp.* & *Can. 19. 2. q. 1.* Ratio statuendi hanc remissionem erat, tum quòd certiores probationes in loco delicti habentur *Novell. 69. c. 1. § 1.* tum quòd nihil durius est, ut *ibid.* dicit Imperator, quàm læsum circa sublationem bovis aut equi cogi non in qua aufertur provincia litigare, sed aliò currere, ubi videlicet fur domicilium habet: tum denique, quòd meliùs satisfit territorio læso, aliíque ab eo lædendo magis absterrentur, si ibi plectatur reus.

146. Verùm hæc remittendi necessitas consuetudine sublata est, uti post Cyn. Bart. Bald. Panor. ac alios testantur Clarus *l. c. n. 20.* Farin. *prax. crim. L. 1. tit. 1. q. 7. n. 28.* Rumel. *ad aur. Bull. 2. dissert. 1. concl. 10.* Gaill. *L. 1. de pac. publ. c. 16. n. 30.* Matth. Stephani *L. 1. de Jurisd. c. 30. n. 13.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 91. lit. B.* Carpz. *l. c. n. 53.* Hinc necesse non est varias, quæ circa obligationem remittendi à DD. agitantur, quæstiones hîc proponi. Remitti tamen delinquentes ferè solent ex urbanitate & remissione precaria sub antigrapho seu literis reversalibus auff einen revers und Gegenbekandtnüß / quòd remissio non

debeat

debeat præjudicare remittenti, & quòd Judex loci delicti in casu simili, si requiratur, idem sit facturus. Gaill. *l. c. n. 31.* Mattht Steph. *l. c. n. 17.* Besold. *V.* Lifferung der *Maleficanten*, Knipschildt *L. 2. de Jure Civit. Imper. c. 5. n. 46.* Idem quandoque fit ex pacto inter vicinorum territoriorum Judices inito. Illud hîc notandum est, dum ajunt DD. de consuetudine non dari obligationem remittendi, eos solùm ferè loqui de Judicibus, qui non sunt sub eodem Principe. Unde Clarus *l. c. n. 21.* ait, remissionem etiam hodie faciendam esse, si uterque Judex, videlicet tam is, qui postulat, quàm qui postulatur remissionem, sit sub eodem Principe. Bart. tamen aliique, quos allegat Covarr. *cit. c. 11. n. 10.* asserunt, remissionem non fieri etiam in locis, quæ Imperatori subsunt, id est, inter eos, qui sub eodem sunt Principe.

147. Etsi verò, ut modò dictum est, remittendi necessitas consuetudine abrogata sit, excipiendus tamen est casus, quo Judex, qui aliàs vel de jure vel de consuetudine delinquentem puniendi jus haberet, est inferioris potestatis, ac cognoscit, delictum mereri pœnam, quam ipse non possit infligere: remittere enim tunc reum debet ad Superiorem, etiam non requisitus, uti patet cùm ex *L. 1. & 7. C. de Defens. civit.* tum ex eo, quia aliàs crimina manerent impunita.

148. Circa illos quoque casus, quibus non datur obligatio remittendi, adhuc controversum est, an à quovis Judice remissio fieri possit; item quomodo facienda sit. Itaque dubitatur I. An tantùm ille Judex possit remittere, cui delinquens, qui ex loco delicti abijt, est subjectus ratione domicilij, aut delicti continuati, v.g. quando fur cum re furtiva huc venit, aut raptor cum fœmina rapta: an verò Judex quicunque, cui delinquens subjectus non est. Hoc posterius affirmant Panorm. *in C. ult. de Foro comp. n. 6.* Covarr. *l. c. n. 6.* Clar. *cit. q. 38. n. 22.* Perez *ad tit. C. de exhib. reis.* Fachin. *L. 9. contr. c. 22.* ubi tamen requirit, ut Judices sint sub eodem Principe. Illud prius tenent Butr. & Felin. *in cit. C. ult.* Bossius *in pract. crim. tit. de For. comp. à n. 25.* ubi testatur

testatur de communi, & consuetudine firmatam asserit Farin. *l. c. n. 28.* Decian. *tr. crim. L. 4. c. 19. n. 2.* ac alij. Hæc opinio Juri conformior videtur: nam *C. 1. de privil. in 6.* dicitur, exemptum, qui alioqui de jure remittendus esset ad Judicem, qui delinquentem remitti petit, non posse remitti à Judice ordinario, qui ratione exemptionis nullam in ipsum jurisdictionem habet. Quæ ratio est generalis, & procedit de omni eo, in quem jurisdictionem non habet Judex, qui remissionem postulatur. Accedit, quòd qui vult remittere, debet detinere personam delinquentis & remittere actu ipso, vel citare & jubere, ut compareat coram Judice remissionem petente. Sed isti actus sunt jurisdictionales, qui exerceri nequeunt, nisi in subditos. Nec valet, quod dicit Perez, Judicem delicti videri alteri dare jurisdictionem ad custodiendum & remittendum reum: non enim apparet, quodo possit dare jurisdictionem pro territorio, pro quo ipsemet non habet.

149. Verùm quidquid sit de Jure scripto, consuetudo favet priori opinioni, ut testatur Clar. *l. c.* & passim à quovis Judice remittuntur. Imò hodie ex officio per modum Inquisitionis adversùs facinorosos proceditur eo loco, ubi reperiuntur, teste Carpz. *l. c. n. 71.* Harprecht. *ad §. 5. Inst. de oblig. quæ ex delict. n. 85.* & Berlich. *p. 5. concl. 45. n. 46.* Umm. *cit. disp. 4. th. 2. n. 11.* post Paul. Castr. *in L. 10. §. tamdiu ff. de condict. furt. n. 13.* Cui praxi favet textus *L. 1. C. ubi de crim. Quæstiones* (inquiunt Impp.) *eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coërcentur, ubi commissa vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est.* Sunt quidem non pauci, qui cum Accurs. & Bart. per locum, *ubi reperiuntur*, intelligunt duntaxat locum domicilij: alij cum Barbosa *in L. 19. §. proinde de Judic. rubr. de foro delicti n. 11.* legem solùm intelligunt de Vagabundis; hi enim cùm ubique forum sortiantur, ibi, ubi reperiuntur, puniri possunt. Verùm hoc benè refellunt Donell. *L. 17. c. 16. lit. f.* aliique, quos ibid. allegat Hillig. & Berlich. *l. c.* cùm textus sit universalis, nec distinguat inter per-

so-

sonas delinquentes, neque mentionem domicilij faciat. Favet insuper text. *L. 3. ff. de offic. præsid.* ibi: *nec distinguitur, unde sint.* Quin fatetur ipse Decian*c. l. c. n.* 1. cum alijs, quos allegat, si non petatur remissio, posse reum ibi, ubi reperitur & capitur, puniri. Si puniri potest, à fortiori poterit remitti. Idémque *n. 4.* cum Bart. admittit, remissionem faciendam esse etiam à Judice nullam in reum jurisdictionem habente, si tam ipse, quàm Judex delicti, qui remissionem petit, sint sub eodem Principe, cùm uterque curare debeat, ut Principis sui territorium facinorosis hominibus purgetur. Illud absque controversia verum est, quod idem Decianus addit, inferiores Judices Principi, cui subjecti sunt, jus citandi habenti & remissionem petenti, hanc facere debere, esto nullam ipsi ordinariam in reum jurisdictionem habeant.

150. Ex eo porrò, quòd remissio fieri non solet, ac, ut cum multis sentit Barbosa *l. c. n. 7.* & Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 20. n. 19.* nec fieri potest, nisi petatur, confirmatur praxis reum puniendi ibi, ubi repertus fuerit: aliàs enim crimina cum magno Reipublicæ & privatorum damno manerent impunita, & sceleratis ansa daretur liberè in bona ac vitam innocentum grassandi, & sic dicendum foret, quod absolutè & audacter asserit Fachin. *L. 9. c. 23.* consuetudinem non remittendi esse irrationabilem & nullius momenti. Benè tamen observat Brunnem. *in cit. L. 1. n. 20.* tunc solùm in loco, ubi reperitur, puniendum esse facinorosum, si crimen sit notorium aut facilè probari possit; secùs remittendum esse ad locum delicti. Cæterùm hanc facultatem procedendi contra reum, ubi repertus fuerit, multi cum Deciano *cit. L. 4. c.* 16. *n.* 2. solùm tunc concedunt, quando accusator adest; negántque ex officio & per inquisitionem procedi posse. Imò idem de Judice domicilij, non posse videlicet ab ipso per viam inquisitionis procedi contra subditum ob delictum alibi perpetratum, asserunt cum compluribus Roland. *L. 2. consil.* 19. *n.* 20. Menoch. *L. 1. consil. 2. n. 130.* Barbosa *ad L. hæres §. proinde rubr. de foro delict. n. 27.* qui tamen *n.* 118. fatetur, quòd ex generali

nerali consuetudine Judex possit procedere per inquisitionem, eò quòd consuetudo remedium inquisitionis fecerit tam generale ac ordinarium, quàm est remedium accusationis, ut Clarus ait *l. c. q. 3. n. 6.* Videantur, quæ dixi suprà *n.* 107.

151. Dubitatur II. An Judex requisitus debeat aliquam causæ cognitionem priùs facere, antequam remittat. Affirmant Card. Panor. Marian. ac alij apud Decian. *l. c. n.* 15. & Covarr. *cit. c.* 11. *n. 8.* Negant Gomez. *c.* 1. *de delict. n. 87.* citans Bart. Albert. & Angel. Covarr. *l. c.* ubi priori opinioni praxin adversari ait, & Clar. *l. c. n.* 19. ubi hanc dicit communiter receptam. Distinguendum esse videtur cum Deciano: nam facienda non est cognitio, si requisito Judici constat ex fama de delicto per hunc, qui petitur, reum commisso; aut si scit, illum contumacem fuisse coram Judice remissionem petente, quia talis contumacia facit præsumptionem delicti contra reum, ut notat Bart. *in cit. L.* 1. aut denique, si Judex requirens testetur, se informationem de crimine & de reo jam habere. Si nullam hujusmodi notitiam Judex requisitus habeat, cognoscere priùs de causa debet, ne fortè innocens in vinculis remissus ex hoc infamiam injustè patiatur. Necesse tamen non est, ut aliquem processum & inquisitionem instituat, si absque ea habeat probabilem notitiam tum delicti à tali persona commissi, tum commissi in territorio requirentis. Et quamvis hujus assertioni non teneatur credere, nisi Superior ipsius sit, ac propterea informationem de crimine & delinquente facere priùs possit, ut notat Decian. *l. c.* non tamen videtur ad hoc teneri, sed niti posse fide Judicis, qui requirit, asserítque, se de crimine & criminoso informationem pro captura sufficientem habere: nisi contra asserentem fortè staret præsumptio.

152. Dubitatur III. An in omnibus criminibus locum habeat remissio. Negat communis DD. apud Panor. *l. c. n.* 15. Covarr. *l. c. n. 7.* Clar. *l. c. n.* 23. remissionem permitti in levioribus, etiamsi criminaliter agatur; nec etiam in gravioribus, si agatur solùm civiliter. Ratio prioris est, quia finis remissionis

ad

ad locum delicti est, ut ibi sumatur vindicta, ubi datum est scandalum & damnum, ut alij absterreantur, & læsæ Reipublicæ satisfiat: quæ ratio non ita urget in levioribus delictis. *arg. L. 3. pr. ff. de re militari.* Ratio posterioris est, quia in causis civilibus non permittitur remissio: ergò nec in illis, quæ civilibus comparantur. Cujus ratio ulterior est, quia non fit remissio nisi ad puniendum, ut patet ex juribus *n. 145.* adductis: at cùm civiliter agitur, non intenditur punitio. Accedit, quòd quando de crimine civilis instituitur actio, crimen contractûs nomine continetur, ac propterea forum cum contractu commune habet. Donell. *L. 17. c. 16.* Umm. *disp. 4. ad proceſſ. jud. th. 2. n. 8.* Videtur quidem dicendum, quòd remissio locum habeat etiam in levioribus criminibus, tum quòd leges, quæ remissionem statuunt, generaliter loquuntur; tum quòd etiam per leviora forum acquiritur. Sed obstat praxis, ut notat Oliva *p. 3. for. Eccl. q. 20. n. 49.* & leges remissionem præscribentes loquuntur de criminibus: at *criminis* verbum propriè gravius delictum denotat, ut ex *L. 17. §. 18. ff. de ædil. edict.* colligit Wesenbec. *in parat. C. ubi de crim.* Quanquam ex *L. 131. ff. de V. S.* constat, *crimen* & *delictum* quandoque confundi. Locum demum non habet remissio in delictis privatis, ut volunt Zanger. *p. 2. de except. c. 1. n. 201.* & Carpz. *L. 2. Jur. Elect. resp. 26. n. 19.* ubi malè allegat *Novell. 134. c. 8.* & *L. 1. pr. ff. de re milit.* malè item Clarum & Farin. cùm isti loquantur de criminibus levioribus: potest autem etiam delictum privatum, v. g. rapina aut furtum, esse grave.

152. Dubit. IV. Cujus expensis facienda sit remissio. Faciendam esse judicat Joan. Faber *in L. un. C. de off. proconſ.* expensis ipsius remittentis, sicut etiam suo periculo debet remittere juxta *Novell. 134. c. 5.* Communis tamen opinio apud Farin. *cit. q. 7. n. 39.* tenet, periculum quidem pertinere ad transmittentem, si aliquam culpam committit non adhibendo debitam custodiam; expensas verò faciendas esse à petente. Quod tamen aliqui benè limitant, dicendo, tum demum expensis petentis

tentis esse faciendam, quando nec delinquens nec accusator est solvendo: ex istis enim ille primo loco tenetur, hic secundo & in defectum prioris, nisi reus sit innocens.

154. Dubit. V. An si delinquens ex territorio, ubi deliquit, fugit ad aliud, & ibi captus est non à Judice competente, sed à privatis, & remissus vel reductus est ad locum delicti, ibi judicari ac puniri possit. Negandum est cum Bald. Salic. Capoll. ac aliorum communi, quam referunt Clar. *l. c. q. 96. n. 6.* Farin. *cit. q. 7. n. 40.* Gomez. *tom. 3. var. tit. de capt. reor. n. 5.* ubi id fusè probat. Debet igitur talis reus relaxari & poni in pristinum statum ac libertatem, *arg. L. fin. ff. de jurisd. L. quis fugitivus §. item Celsus. ff. de Ædil. edict. L. à divo Pio §. sententiam. ff. de re jud.* quia illi, qui comprehenderunt, non habuerunt jus auferendi libertatem: ergò tanquam injustè spoliatus ante omnia est restituendus. Accedit, quòd juxta *cit. Novell. 143. c. 5.* ad jus remissionis requiritur, ut reus petatur à Judice, & ab hoc remittatur: ergò non potest peti à privatis, nec à privatis remitti. Idem dicendum est, quando ministri Justitiæ, qui in loco delicti vel domicilij reum capere quidem jure possent, in eo tamen non capiunt, sed in alieno territorio: censentur enim tunc esse privati, & relaxari reus debet: exceptis casibus, quos retulimus suprà *n. 54.*

155. Dubit. VI. Quid agendum sit, si quis commisit plura delicta in diversis territorijs, & ab uno Judice detinetur propter unum delictum, ac ab altero petitur propter aliud delictum. Ubi viget consuetudo puniendi reos, ubi fuerint reperti, etiam propter delicta alibi patrata, de qua suprà *n. 149.* res ista difficultatem non habet; non enim concedetur remissio, sed punietur reus eodem loco propter utrumque delictum. Seclusâ verò istâ consuetudine distinguendum est inter varios casus. Nam si pœnæ utrique delicto correspondentes sunt compatibiles, ita videlicet, ut unâ jam inflictâ infligi adhuc possit altera, & una pœna est mitior alterâ, priùs ille judicabit & puniet, in cujus territorio

ritorio minùs delictum commissum est, & idcirco ad eum faciendaest remissio,ac postea reus ad alterum Judicem pro majore delicto puniendus mitti debet, cùm à mitiore pœna incipiendum sit. Si utrumque delictum & pœna æqualia sunt, ille priùs cognoscit & punit, apud quem detinetur reus. Si denique pœnæ sunt incompatibiles, v.g. si utraque est capitalis, pariter procedit ille Judex, à quo reus detinetur. Ita communis apud Haunoldum *tom. 6. de Just. tr. 1. n. 92.* Quin in tali casu infligi debebit pœna utrique delicto correspondens, si is, qui punit, vindicare potest delicta alibi commissa, uti potest Judex domicilij, & de consuetudine etiam alij, in quorum territorio deprehenduntur rei. Ratio est, quia delicta non debent manere impunita; quod fieret, si pœna infligeretur uni solùm delicto respondens.

156. Dubit. VII. An Judex domicilij contra reum possit procedere, si alter, ad quem fuit remissus, sit morosus & negligens in puniendo. Affirmant post Bart. & Alex. Decian. *l. c. n. 27.* Farin. *l. c. n. 23.* eò quòd delicta non debeant manere impunita. Hinc negant, posse à Judice delicti opponi remissionem & litis pendentiam. Ob paritatem rationis idem dicendum videtur de Judice delicti respectu Judicis domicilij. Addit Alex. *in L. de die. §. fin. ff. qui satisd. cog. n. 8.* posse ab eo, qui remittit, Judici remissionem petenti præfigi terminum, intra quem expediatur causa; secùs se processurum contra delinquentem.

## §. IV.

## *Quis sit Judex competens, si delictum in uno loco inchoatum, in altero consummatum fuit.*

### SUMMARIUM.

157. *Multiplex status quæstionis proponitur.*

158. *Utriusque territorij Judex est competens, si delictum in uno inchoatum, in altero consummatum fuit respectu tam agentis, quàm patientis.*

159. *Aut etiam solùm agentis aut patientis.*

160. *Imò etiamsi delictum in uno territorio solum mandatum, in altero consummatum fuit.*
161. *Respondetur ad opposita.*
162. *Declaratur, quid tenendum sit de cooperantibus.*
163. *Et quid, si delictum est perpetratum in confinio territoriorum.*
164. *Quid item, si perpetratum est in via publica.*

157. Tres hîc casus distinguunt Felin. *in c. ult. de for. comp. n. 13.* & Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 1. q. 7. n. 44.* Primus est de delictis inchoatis in uno loco, & perfectis in alio tam respectu agentis quàm patientis, v. g. si quis aliquem aggrediatur vel capiat in uno loco & insequatur vel ligatum trahat in alium, ibique spoliet aut occidat: aut si feminam rapiat hîc & alibi violet. Secundus est de delictis inchoatis in uno, & consummatis in alio, non respectu utriusque, sed agentis tantùm vel patientis. Ut si quis stans in territorio Bavarico & bombardam explodens trajiciat stantem in Neoburgico: aut existens in illo delictum fieri mandet in isto. Tertius est, quando in delictis in uno loco inchoatis, & in alio consummatis, nec agentis nec patientis persona concurrit. Ut si delicta tractentur & præparentur in uno loco, perpetrentur in alio: aut si quis delictum suo nomine alibi patrandum hîc approbet & ratificet. Verùm non apparet, quomodo hic casus à prioribus, aut certè à secundo differat.

158. De primo casu dicendum est, utrumque Judicem esse competentem, ita ut alteruter, qui prævenerit, possit procedere absque altero, neque teneatur remittere reum. Bald. *in L. si quis non dicam C. de Episc. & Cler. col. 3.* Marsil. *in L. un. C. de rapt. virg. n. 150.* Felin. *l. c. n. 3.* Farin. *l. c. n. 45.* quia utriusque territorium violatum fuit, si tam initium quàm consummatio actûs fuerunt illicita. Si verò licitum fuisset initium, v. g. si in uno territorio dominus servum aut pater filium moderatè cœpisset castigare, & persequendo in aliud ibidem modum excederet & vulneraret, aut occideret, ad Judicem posterioris tantùm territorij punitio pertineret, ut notat Felin. *l. c.* Hinc patet responsio

ad

ad celebrem quæstionem, quâ quæritur, utrùm fur puniri possit in illo territorio, ad quod cum re furtiva profugit: dicendum enim est cum Bart. *in L. si dominum ff. de furtis*, ac plurimis alijs contra Clar. *cit.* §. *fin. q. 38. V. tu scis.* Covarr. *cit. c. 11. n. 9.* Farin. *l.c. à n.7.* Fachin. *L. 9. c. 19.* posse puniri non tantùm, ubi furtum fecit; sed etiam ibi, quò cum re furtiva se recepit: quia continuata contrectatio est continuatum furtum, & quò longiùs rem furtivam aufert, eò graviùs lædit, eóque loco puniri potest delinquens, ubi scandalum præbetur ac perniciosum exemplum; hoc autem fit per furti continuationem. Neque obstat, quòd delictum sit moraliter unum, & ideò non multiplicetur actio furti respectu ejusdem domini: quia continuatio retentionis sufficit, ut censeatur utrobique deliquisse & utrumque locum violâsse.

159. Alter casus de jaculante in hoc territorio & occidente existentem in alio, controversus magis est. Asserunt Bart. *in L. libellorum ff. de accus.* Felin. *l. c. n. 14.* Zanger *de except. p. 2. c. 1. n. 233.* Carpz. *p. 3. pract. crim. q. 110. n. 18.* puniri reum posse tantùm ibi, ubi consummatum delictum fuit. Utrobique vindictam in solidum sumi & pœnâ ordinariâ delictum consummatum puniri posse tradit communis aliorum apud Farin. *l. c. n. 46.* & Palao *tr. disp. 1. pun. 24.* §. *5. n. 28.* ubi ait, ita receptum esse consuetudine jure gentium introductâ. Quæ sententia apertè tradi videtur *L. 1. C. ubi de crim. agi oport.* ubi dicitur, perfici debere quæstiones criminum, *ubi commissa vel inchoata sunt.* Neque satisfaciunt, qui dicunt, textum intelligi debere de quæstione inchoata, videlicet perfici eam debere, ubi inchoata fuit, id est à Judice vel delicti consummati vel domicilij: nam verbum *inchoata* cùm sit generis neutrius, non potest aptè referri ad subst antivum *quæstiones;* éstque sub hoc verbo *inchoata* intelligendum id, quod sub verbo *commissa;* atqui sub hoc intelligi nequeunt *quæstiones*, cùm crimina, non quæstiones committantur. Et ita hanc legem intelligunt Wesenbec. & Brunnem. *ibi*, Hillig. *in Don. L. 17. c. 16. lit. B.* Rittershus.

hus. *in Novell. p. 9. c. 10. n. 56.* Rationem communiter dant, quia, ne delicta maneant impunita, expediebat, ut utrique territorio jurisdictio tribueretur; præsertim quia utrumque in tali casu læditur, & aliquando delictum faciliùs probari potest in uno, quandoque faciliùs in altero. Neque obstat, quod asserit Carpz. *l. c. n. 19. & 20.* in delictis qualitatem potiùs patientis, quàm agentis considerari: hoc ipsum enim hîc controversum est, & *cit. L. 1.* contrarium statuitur: neque refragatur text. *L. 43. ff. de ritu nupt.* quem adducit, ut consideranti patebit. Pariter non obest, quod ait, delictum in loco, ubi perficitur, suam accipere formam, per quam dicitur delictum: nam benè dicitur, etiam ibi accipere suam formam, ubi actio efficax ponitur, ex qua sequitur vulnus aut mors. Illud omnino concedendum est, quod cum Bart. & communi tradit idem Carpz. *L. 2. Jur. Elect. resp. 28. arg. l. D. Adr. ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. 15. pr. & L. 52. ff. ad Leg. Aquil.* si quis vulneratus lethaliter hîc fuit, & postea alibi mortuus, non ibi vindicandum crimen, ubi mors secuta est, sed ubi actio mortifera posita vel vulnus inflictum: quia in delictis non tam exitus, quàm factum, voluntas, & animus delinquentis consideratur. Qua de causa sacrilegium non committit nec asylo privatur, qui extra locum sacrum vulnerat, tametsi vulneratus se recipiat in locum sacrum, ibíque moriatur.

160. Major adhuc controversia est de mandante, utrùm videlicet hîc, ubi mandatum dedit, puniri possit ob delictum ex suo mandato alibi perpetratum. Negat communis DD. apud Farin. *l. c. n. 4.* Certum in primis est, posse mandatum in loco mandati puniri pœnâ extraordinariâ & mitiori, quæ mandantibus imponi in delictis atrocibus solet etiam effectu non secuto. Certum pariter est, puniri pœnâ ordinariâ posse in casu, quo solum mandatum & affectus, quamvis effectu non secuto, punitur pœnâ ordinariâ, qualis casus de assassinatu mandato habetur *C. 1. §. 2. de homicid. in 6.* ac alius *L. quisquis 5. C. ad L. Jul. majest.* Sed & absolutè puniri pœnâ ordinariâ mandantem in loco mandati

dati posse, si effectus secutus est, censeo cum Bald. Alex. aliisque, quos allegat & sequitur Farin. *l. c. n. 28. §. verùm, & §. & in hoc*, ac Haunold. *l. c. à n. 97.* quia hîc puniri potest lapidem aut glandem mortiferam hîc emittens, & occidens existentem in alio territorio, ut modò dixi *num. præced.* at inter mandantem & jaculantem videtur esse omnimoda paritas, quia uterque est causa efficax mortis secutæ, & æquè homicida est, qui est moralis causa homicidij, quàm qui physica, teste ipso Deo Davidem ob Uriæ cædem mandatam arguente & puniente, & æquali pœnâ plectitur mandans homicidium ac illud committens, ut fusè Menoch. *de arbitrar. L. 2. cas. 353. n. 2.*

161. Neque obest, quod pro contraria opinione affertur ex *L. si quis uxori §. neque verbo* & *L. qui servo §. 1. ff. de furt.* obligationem, quâ mandans tenetur, non ex mandato, sed ex delicto oriri: tametsi enim ex delicto teneatur, non tamen sequitur, quòd ibi tantùm puniri possit, ubi delictum physicè patratum est; sicut non sequitur, quòd ibi puniri debeat, ubi effectus seu mors secuta est, tametsi propter hunc effectum puniatur. Pariter non obest, quod ajunt, mandantem & mandatarium teneri ex delicto, quod est idem ac unicum respectu utriusque, ac propterea utrumque in loco delicti puniri debere ob continentiam causarum. *L. nulli C. de judic.* nam etsi idem sit factum & delictum, diversæ tamen ex illo oriuntur obligationes, quarum una non accedit alteri, ut post Boss. declarat Farin. *l. c. §. tertiò facit*, ac propterea cessat ratio de continentia causarum. Verùm de hoc uberiùs infrà, quando de hac continentia agetur.

162. Circa tertium casum *n. 157. in fine* propositum varias distinctiones adhibet Farin. *n. 49.* Mihi breviter dicendum videdetur quoad primum exemplum de præparante delictum in uno loco & exequente in alio, si ipse, qui hîc illud præparavit, exequatur in alio, puniendum esse in loco delicti, nisi locus, ubi instructum fuit delictum, sit locus domicilij. Farin. *l. c. §. quòd si* cum Bart. Angel. & Beroio. Si ille, qui hîc tractavit de delicto, non sit is, qui alibi est executus, idem dicendum est, quod de

mandante. Et quidem puniri hîc poterit pœnâ ordinariâ, si auxilium & opem, imò & consilium præstitit actu, & per hæc causa efficax fuit committendi delicti, aliàs non patrandi, ut tradit communis apud Menoch. *L. 2. de arbitrar. cas. 349. n. 2.* & *cas. 351. n. 17.* secùs, si aliunde parato occidere arma præbuit, modum occidendi ostendit, vel consilium dedit: quia tunc minori & extraordinariâ pœnâ afficiendus esset. Menoch. *cit. cas. 349. n. 5.* & *cas. 351. n. 22.* Idem dicendum de ratificante delictum suo nomine patrandum: poterit enim sicut mandans, in loco ratificationis puniri, & quidem pœnâ ordinariâ, si sine ratihabitione patrandum non fuisset delictum; quia tunc est instar mandantis, ut observat Menoch. *cit. cas. 351. n. 27.*

163. Sed dubium restat, quid tenendum sit, quando delictum patratum fuit in confinio duorum territoriorum, auff den Gränitz und Anwandung/ & ignoratur, in utro eorum patratum sit. In varias hîc opiniones abierunt DD. Nam primò non pauci, ut Innoc. *in C. super eo n. 2. de Paroch.* Schneidevvin. *ad §. ult. n. 8. Inst. de Jur. N. G.* & *C.* Petr. Theodor. *colleg. crim. disp. 4. th. 3. lit. B.* Zanger. *de except. p. 2. c. 1. n. 137.* ac alij ajunt, considerandum esse locum, in quo caput tanquam principalior pars reperitur, & loci hujus Judicem censeri debere competentem excluso alterius territorij Judice. *arg. L. 44. ff. de relig.* & *sumpt. fun. ac L. 17. C. de pœn.* Hâncque opinionem communiorem & praxi receptam asserit Zang. cum Theod. ubi tamen addunt cum Bald. *in L. 2. n. 1. C. ubi de crim.* & Nic. Everhard. *in top. loc. ab extremis n. 1.* utrumque esse competentem, si occisus ita prostratus jaceat, ut caput ejus utrumque territorium contingat. E contrario Niellus apud Carpz. *cit. q. 110. n. 31.* aliíque apud Bocer. *tr. de Jurisd. c. 9. n. 12.* eum tantùm Judicem hoc casu competentem pronunciant, in cujus territorio pedes occisi reperiuntur, cùm verisimile sit, ibi occisum fuisse, ubi stetit, qui interfectus fuit. Tertiò alij apud Carpz. *l. c. n. 28.* Judicem præferunt illius territorij, in quo cadaveris pectus & cor reperiuntur.

Quartò

Quartò Bald. *in L. arbor. 19. ff. comm. divid.* Zaſ. *ibid. v. nota maleficium*, Caſp. Leipoldi *de concurr. jurisd. q. 13.* Treutl. & Bachov. *vol. 1. diſp. 19. th. 4.* aliíque non pauci, utrique Judici jurisdictionem concedunt, ita ut ille præferendus ſit, qui alterum prævenerit tollendo particulam vel corporis vel veſtis ſanguinolentam ein freiß Pfand / oder Stich- und Wundenmaß. Mihi poſtrema hæc opinio præplacet: cùm enim dubium omnino ſit, quo in territorio vulnus lethale inflictum ſit, eò quòd ſigna illa pedum vel capitis in alterutro territorio jacentium incerta ſint, ut benè oſtendunt Carpz. Bocer. & Bachov. *ll. cc.* rectè mediâ viâ inceditur, & utríque Judici jurisdictio conceditur, quia ratio vel conjectura, ut ponitur, non magis ſtat pro uno, quàm pro altero. Et ita in ſimili caſu de Parochijs & Decimis in confinio ſitis & dubijs diſcurrunt DD. cum Panor. *in C. fin. de Sent. n. 5.* & *in C. ſanè §. additio de For. com. n. 7.* ac Felin. *in C. omnes de major. & obed.* Si tamen conſtaret, quo in territorio ſteterit occiſor, quando vulnus lethale inflixit, illud præferendum cenſeo: quia Judici illius competit jurisdictio juxta dicta *n. 159.* & dubium eſt, an competat etiam alteri: jurisdictionem autem certam aut multùm probabilem unius excludere nequit dubia alterius. Niſi fortè ante prævention em factam reus veriſimiliter aſſereret, vulnus inflictum fuiſſe in altero territorio: tunc enim utrique competeret jurisdictio juxta dicta *cit. n. 159.* Idem dicendum exiſtimo in caſu, quo ſanguis effuſus apparet in uno territorio: tunc enim hujus Judici privativè competere jurisdictionem non dubito, ſaltem ſi unum tantùm vulnus inflictum fuerit: ſignum enim eſt, quòd occiſus hîc receperit vulnus lethale, & ulteriùs ad confinia progreſſus ibíque mortuus fuerit, tametſi ſanguis ibi etiam reperiatur, ubi cadaver. Idem dicendum cum Treutl. *l. c.* ac alijs, & utrique Judici cum jure prævention is competere jurisdictionem exiſtimo, quando cadaver reperitur in flumine publico utrumque territorium terminante.

164. Similis & priori connexa quæſtio eſt, ad quem perti-

neat cognitio criminis in via publica patrati. Hîc rursus colliduntur opiniones. Cognitionem & coërcitionem competere ei, cujus est jus regale in via publica, existimant Zanger. *de Except. p. 2. c. 1. n. 241.* Borcholt. *ad c. un. L. 2. feud. n. 24.* Schneidevvin. *in §. ult. Inst. de Jure G. N. & C. n. 8.* Beuster. *in L. admonendi, 31. ff. de Jurejur. v. 1.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 50.* Sixtin. *L. 2. de regal. c. 2.* Carpz. *l. c. n. 41.* eò quòd juxta non paucos via publica inter regalia connumeretur, & Imperatorum ac Principum sit curare ea, quæ ad ejusdem securitatem spectant. E contrario cognitionem illi, qui habet merum imperium in territorio, ubi via publica est, tribuunt cum Alciato & Aurel. Guido Papæ *decis. 573.* Rol. à Valle *vol. 2. cons. 42. n. 35.* Cæpoll. *de Servit. c. 3. n. 30.* Rosenthal. *de Feud. c. 5. concl. 21.* Bocer. *de Regal. c. 2. n. 145.* & *de Jurisd. c. 9. n. 14.* Hæc posterior præplacet, quia juri est conformior. Nam 1. Via publica, ut cujusque provinciæ, sic cujusque territorij pars est. Cùm ergò, qui merum imperium in provincia aut territorio habet, jurisdictionem criminalem ibi exerceat, consequens est, quòd hæc etiam ad viam publicam, & quæ in ea committuntur, se extendat. 2. Via publica dicitur pars fundi vicini *L. Attius. 38. ff. de acquir. rer. dom.* unde cùm via impetu fluminis aut terræ motu amissa est, confinis de suo proximo fundo eam præstare tenetur. *L. si locus 14. §. ult. ff. quemad. serv. am.* Cùm ergò magistratus suam jurisdictionem extendat in omnem sui territorij fundum *L. ult. ff. de Jurisd.* & *L. pupillus §. territorium ff. de V. S.* pariter eam extendit in viam publicam. 3. Prætoris jurisdictio civilis ad viam publicam extenditur *L. 2. §. 20. 35. & ult: ff. ne quid in loco publico*, & *L. 1. ff. de via publ.* Unde non est ratio, cur non etiam criminalis jurisdictio eorum, qui merum in territorio imperium habent, ad eam extendatur. 4. Qui jurisdictionem habet in terra mari proxima, potest eam porrigere etiam ad ea, quæ committuntur in mari adsito, ut docent Hier. de Monte. *tr. de fin. reg. c. 7. ac alij.*

§. V.

## V.

## *Quâ pœnâ afficiendus sit subditus unius territorij propter delictum alibi patratum.*

### SUMMARIUM.

165. *Delinquens, etiam peregrinus, puniendus est pœnâ in loco delicti consuetâ.*
166. *Nisi ibi lata sit solùm sententiâ generali.*
166. *Subditus in loco domicilij puniendus est pœnâ in loco delicti receptâ.*

165. Cùm delinquens puniri possit, ut hactenus dixi, tam in loco domicilij, quàm in loco delicti, fieri verò possit, ut alia delicto statuta sit pœna in uno loco, quàm in altero, dubium restat, an si punitur reus in loco domicilij propter delictum alibi patratum, ubi diversa pœna in usu est, puniendus sit pœnâ in loco delicti usitatâ, an eâ, quæ recepta est in loco domicilij: item an puniendus sit pœnâ domicilij, si punitur in loco delicti. Videri potest, puniendum semper esse eâ pœnâ, quæ in loco domicilij statuta est: nam peregrinus, ut dixi suprà *à n. 66.* non tenetur statutis locorum, ubi peregrinatur; puniri ergò nequit pœnâ hujusmodi statutis latâ. Verùm dicendum est, in loco delicti puniri reum peregrinum posse ac debere pœnâ ibi consuetâ. Ita communis DD. nemine, quem sciam, refragante: nam ratione delicti forum sortitur delinquens juxta dicta *n. 136.* Unde bene deducit Covarr. *in C. Alma. de Sent. excomm. in 6. p.* 1. §. 10. *n.* 2. ligari censurâ pro futuris culpis in aliquo territorio latâ, non tantùm illos, qui tempore statuti conditi sunt subditi, & eos, qui post statutum factum fiunt subditi; sed exteros quoque non subditos, si in illo territorio delinquant.

166. Aliud de Sententia generali, de qua suprà *n.* 42. statuunt idem Covarr. *l. c.* Butr. *col.* 3. & Panor. *n.* 3. *in C.* 21. *de Sent.*

*excomm.* Suar. *de Cenſur. diſp. 5. ſect. 5. n. 10.* aliíque communiter, eáque ajunt non ligari extraneos ibi delinquentes, ubi lata eſt, ac propterea pœnâ per eandem latâ puniri nequire. Patet ex *cit. C. 21.* ubi dicitur, hujusmodi ſententiâ tantùm ſubditos obligari. Imò neque illos ligari, qui ſubditi quidem ſunt tempore delicti, non tamen erant tempore prolatæ ſententiæ, tenent Innoc. Panor. ac alij *in cit. C. 21.* eò quòd ſententia referatur ad tempus, quo pronunciatur.

167. An verò viciſſim Judex domicilij, quando punit ſubditum propter delictum alibi commiſſum, infligere debeat pœnam in ſuo territorio vel ſtatuto vel conſuetudine receptam, controverſum eſt. Affirmant aliqui apud Pariſium *L. 4. conſil. 159. n. 5.* Negant cum Bart. Aretin. Pariſ. Angel. Panor. Felin. Boſſ. ac communi Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 3. q. 24. n. 167.* Clar. *L. 5. ſent. §. fin. q. 85. v. tertius*, & puniendum eſſe reum aſſerunt pœnâ ſtatutâ in loco delicti: eò quòd ſtatutum ſpeciale domicilij non liget ſubditos ab illo abſentes juxta dicta ſuprà *à n. 43.* & locum habeat duntaxat quoad delicta in territorio commiſſa. Pariſ. *l. c. n. 6.* cum Bart. Bald. Alex. ac alijs. Quòd ſi in loco delicti nullum ſit ſtatutum ſpecialem pœnam imponens, puniendus tam ibi, quàm in loco domicilij, erit reus juxta Jus commune. Alex. *vol. 2. conſil. 111. n. 4.* Boſſ. *tit. de pœn. n. 19.* Bart. *in L. 1. C. de SS. Trin.* Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 3. n. 3.* Quin juxta Jus commune puniri in loco domicilij poſſe, tametſi in loco delicti ex ſpeciali ſtatuto ſpecialis pœna in uſu ſit, affirmant non pauci cum Pariſ. *l. c. n. 7.* dum abſolutè tradunt, poſſe in loco domicilij puniri non quidem juxta jus municipale, benè tamen juxta commune.

CAP.

# CAPUT III.

## De Foro Contractûs.

### §. I.

### *An Forum acquiratur in loco Contractûs.*

SUMMARIUM.

168. *In loco Contractûs quivis convenitur ratione contractûs: etiam Clericus; sed solum coram Judice Ecclesiastico.*
169. *Etiam privilegiatus alius, nisi habeat privilegium in Corpore Juris clausum.*
170. *Idem procedit de quasi contractu & quavis conventione.*
171. *Idem de distractu, seu negotio dissoluto.*
172. *Licet domicilium mutárit, qui in loco domicilij contraxit.*
173. *Juxta Statuta Bavariæ contrahens solum convenitur in loco domicilij.*
174. *Exceptis quibusdam casibus.*
175. *Quandoque etiam de Jure communi conveniri nequit in loco contractûs.*

168. Sortiri quemvis forum quoad contractum ibi, ubi contractum inijt, aperti juris est *C. ult. de For. comp. C. 1. §. 3. eod. in 6. L. hæres absens 19. §. proinde. ff. de Judic.* ita tamen, ut Clerici conveniendi sint coram Judice Ecclesiastico, coram laico laici. *cit. C. 1. §. 3.* & *C. 1. de privil. in 6.* Neque obstat, quòd Clericus absque licentia sui Ordinarij, cui videlicet ratione Beneficij vel domicilij subjectus est, in alienum Episcopum consentire nequeat juxta *C. significásti 18. de For. comp.* quia ibi agitur de prorogatione, eóque Episcopo, cui Clericus nullo modo subjectus est; secùs si subjectus fiat ratione vel delicti, vel contractûs, vel rei sitæ. Cur autem quivis in loco contractûs conveniri possit, & si judicium suscipere ibi nolit, captis pignoribus ac manûs injectione ad id compelli,

pelli, ratio est, ne creditores sumptibus & difficultatibus graventur in adeundo contra debitorem Judice domicilij. *C. 1. §. contrahentes de For. comp. in 6. & ibi DD.* nam locus domicilij sæpe valde dissitus est, & ibi facilè judicium fraudibus eludi posset; præterquam quòd in loco contractûs faciliùs constare potest cùm de ipso contractu, tum de solemnitatibus requisitis, quàm ibi, ubi domicilium habet debitor advena.

169. Procedit assertio I. etiam de privilegiatis, ijs videlicet, qui privilegium habent, ut non nisi coram certo Judice respondere teneantur: nam nihilominus conveniri possunt coram Judice loci, in quo contraxerunt. *C. dilecti. 17. de For. comp. &cit. C. 1. de privil. in 6.* nisi habeant privilegium in corpore Juris clausum, ut post Bart. Castr. Felin. ac alij aiunt apud Petr. Barbosa *in L. 2. §. 3. ff. de Judic. n. 115.* Quæ tamen exceptio an jure subsistat, meritò dubitari potest: nam si vera esset, sequeretur, quòd pupillus, vidua, ac miserabiles personæ, cùm habeant privilegium in corpore Juris clausum *L. un. C. quando Imperator.* conveniri in loco contractûs non possent; quod tamen est contra mentem omnium, ut ait Barbosa *l. c. n. 118.* Milites quoque privilegium habent in corpore Juris clausum *L. tam collatores 18. pr. C. de re mil.* & *L. magisteriæ 6. C. de jurisd. om. judic.* & tamen in loco contractûs conveniri possunt. *L. penult. C. de pact.* Et quòd non obstante privilegio in corpore Juris clauso quivis in loco contractûs conveniri possit, probat *L. 36. §. fin. ff. de Judic.* Verùm sustineri adhuc posse videtur hæc exceptio communi DD. calculo approbata. Nam *L. un. C. quando Imp.* solùm dicitur, quòd pupilli & miserabiles personæ ad Imperatoris tribunal trahi nequeant, alios verò ipsi trahere eò queant: non verò absolutum fori privilegium ipsis conceditur. De militibus non omnibus, sed solùm in Oriente constitutis sermo est *cit. L. 18. C. de re milit.* Magistris militum de causis militum cognoscendi potestas tribuitur *cit. L. 6. C. de Jurisd.* non tamen cum exclusione aliorum Judicum. Demum *L. 36. ff. de Judic.* non est sermo de personis privilegium

gium in corpore Juris clausum habentibus, vi cujus non nisi coram certo Judice conveniri possint.

170. Procedit Assertio II. Non solùm de contractu, sed etiam de quasi contractu, & omni conventione, ex qua oritur obligatio. Accurs. Jas. Gotof. in *L. 27. de cond. indeb.* Panor. *in C. fin. de For. comp. n. 29.* Felin. *n. 27.* Kling. *n. 11.* Cuiac. *in L. 7. ff. de pact.* Zanger. *de Except. p. 2. c. 1. n. 109.* Umm. *ad proces. jud. disp. 4. th. 1. n. 4.* ac communis apud Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 22. n. 20.* contra Cuman. Albert. de Ros. ac alios. Patet ex *L. 19. §. 1.* & *L. 20. & 36. ff. de Judic.* Neque solùm de obligatione, quæ principaliter ex contractu oritur, sed etiam de secundaria, ad damna videlicet & interesse. *C. dilecti 17. de For. comp.* & *ibi* Pan. *n. 6.* Butr. *n. 17.* Felin. *l. c. n. 19.* Jas. *in L. 1. ff. de eo, quod certo loco n. 6.* Dec. *in L. si convenerit ff. de Jurisd. n. 31.*

171. Procedit III. etiam de distractu, ita videlicet, ut ratione hujus conventio locum habeat ibi, ubi distractum negotium fuit. Ita tenent post Castr. Alex. Butr. ac alios Tiraq. *in Leg. connub. gloss. 5. §. 8.* & Barbosa *in L. 19. §. proinde de Judic. n. 12.* ubi tamen hanc legem malè adducit, quia verbum *distrahere* ibi non accipitur pro *dissolvere*, sed pro *vendere* juxta *tit. ff.* & *C. de distract. pignor. tit. C. de patrib. qui fil. suos distrax.* ac *L. 2. §. fin. ff. de transact.* Pariter non apparet, quàm benè adducatur *L. exigere dotem. ff. de Judic.* & *L. qui loco certo ff. de condict. indeb.* Ratio verò est, quia contractus & distractus à pari procedunt. *L. Pomponius §. præterea ff. de acquir. poss.* ipséque distractus mutuo consensu factus conventionem includit, & obligationem: ubi autem conventio fit, & obligatio contrahitur, ibi conveniri quis potest, ut modò dictum est.

172. Procedit IV. ut licèt in loco domicilij contraxerim, & domicilium mutârim, nihilominus ibi conveniri adhuc possim ratione contractûs vel quasi. *L. 2. C. de Jurisd. om. Jud.* & *ibi* Bart. *n. 1.* Bald. ac alij, Pan. *in C. proposuisti de For. com. n. 8.* Felin. *n. 2.* Dec. *in L. cùm quædam. ff. de Jurisd. n. 4.* Barbosa *in L. 19. §. proin-*

*de de Judic. rubr. de For. contr. n.* 11. quia licèt forum domicilij mutari possit, non tamen mutari potest forum contractûs. Marian. *in C. ult. de For. com. n. 56.* & cit. DD.

173. Hæc juxta Jus commune asserta sunt. Aliter loquendum est juxta Jus Bavaricum: ex eo enim, quòd *tit.* 19. *art.* 10. der Landrecht statuitur, ut nullus subditus provincialis alterum arresto gravari faciat in publicis nundinis, aut urbibus & oppidis, ubi neuter eorum civis est, sed ut ad Judicem suum ordinarium remittantur, benè deducunt Ill. & Excell. D. Schmid & Prænob. D. de Bassis *Semicent.* 1. *Contr.* 29. *à n.* 2. nullum subditum provincialem habere facultatem, alium subditum extra locum domicilij conveniendi. Cùm enim Judex loci contractûs jurisdictionem in personam & res advenæ exercere nequeat, nisi per arrestum, detentionem, manûs injectionem, & captionem pignorum, consequens est, etiam actionem & conventionem prohibitam esse, utpote quæ cum effectu in loco contractûs intentari non possit. Neque ratio suprà allata *n.* 168. in Bavaria locum habet: tum quòd locus contractûs & domicilij sæpe parùm distant; tum quòd tribunalia, præsertim superiora, ita constituta sunt, ut nemo justè allegare possit difficultatem litigandi, ac contra inferiorem Judicem, si justitiam non administrat, facilè adiri superior possit.

174. At etiam in Bavaria extra locum domicilij subditus provincialis conveniri potest I. Si ibi, ubi intentatur actio, bona possidet, quæ actori expressè vel tacitè hypothecata sunt. Ita statuitur *tit.* 11. *art.* 1. der Landrecht & *tit.* 3. *art.* 1. deß Land Proceß consequenter *ad L. fin. C. ubi in rem actio. L. si prædium C. de præd. & alijs reb. min.* & *C. fin. de For. comp.* juxta quæ actio realis instituitur coram Judice loci, ubi res sita est. II. Si quis certo loco promisit se soluturum: tunc enim in loco, in quem condixit solutionem, conveniri potest, & per detentionem ac arrestum ad solutionem compelli. Quæ exceptio expressè habetur *cit. tit.* 19. *art.* 10. III. Si quæpiam civitas aut oppidum detinendi vel arre-

standi

standi facultatem ex antiqua consuetudine habeat. *cit. tit. art. 7.* Qualis consuetudo vigere dicitur in Metropoli Bavariæ Monachij & Landishuti. Idem dicendum est de privilegio. Videatur Illust. ac Excell. D. Schmid *ad cit. art. 7. 9. & 10.* qui cum Prænob. D. de Bassis *cit. Contr. 29. n. 10.* benè ait, valere pactum, quo subditi Bavariæ promittunt, se responsuros in loco contractûs, vel coram alio Judice non suo: nam si juxta *cit. art. 10. tit. 19.* conveniri possunt in loco, in quem condixerunt solutionem, ut modò dictum est, non est ratio, cur non absolutè valeat pactum de respondendo in loco contractûs. Accedit, quòd Jure Bavarico licita est prorogatio jurisdictionis, saltem tacita, uti apertè sumitur ex *tit. 5. art. 3.* deß Summarischen Proceß / & *tit. 5. art. 13.* der Gerichts Ordnung.

175. Sed & de Jure communi non semper conveniri in loco contractûs potest debitor, videlicet si advena sit, & dum v. g. emit, statim ex loco recessurus est, ídque nôrit venditor: censetur enim tunc, si pretium non statim exspectat aut petit, fidem emptoris sequi, nec solutionem hîc petere, ac idcirco hîc convenire non potest. *L. 19. §. proinde 2. ff. de Judic.* & *ibi* Gloss. Bart. Castr. Fulgos. Dixi I. si nôrit venditor, advenam emptorem statim discessurum: nam si hoc ignorat, convenire eum potest in loco contractûs. *cit. §. proinde.* Neque hæc sententia contradictorem habet, ut ait Fulgos. *ibi. n. 5.* Scientia verò aut ignorantia ex conjecturis probatur: v. g. si emptor peregrinus in loco contractûs pergulam, tabernam, vel horreum conduxit, censetur animum habuisse aliquamdiu ibi permanendi, nec recedendi, donec satisfecerit obligationibus contractis. Ita omnes teste Barbos. *in cit. §. 2. n. 96. & 105.* Dixi II. si pretium non statim petit aut exspectat: nam etsi sciat venditor, emptorem statim recessurum è loco, si tamen credit, solutionem ante discessum faciendam, convenire eum hîc poterit, quia fidem de pretio non habet, & moram in loco domicilij vel alio tempore hîc solvendi non concedit, ut observant cit. DD. Ex dictis inferunt Bart. *l. c. n. 1.* Bald. *col. 1. v.*

*sed pone*, Castr. *n. 6.* ac alij contra Fulgos. quòd venditor, si dicto modo secutus est fidem emptoris advenæ, eum in loco contractûs convenire non possit, tametsi is postea ad eundem locum, nondum factâ alibi solutione, revertatur: nisi, ut addit Castr. *in cit. L. 19. §. 1.* discedens emptor pergulam in loco contractûs servâsset. Idem porrò tradunt de venditore respectu emptoris quoad obligationem tradendi & evictionem præstandi. Similiter maritus de dote conveniri non potest, ubi de ea convenit, vel dotale instrumentum confectum est; sed solùm in loco sui domicilij. *L. exigere dotem 65. ff. de Judic.* & fusè ibi Petr. Barbosa. Denique Legatus conveniri in loco contractûs tempore legationis nequit super eo, quod ante legationem contractum est, sed jus habet revocandi domum. *L. 2. §. 3. & 4.* ac *L. 8. ff. de Judic.* Quæ leges quomodo conciliandæ sint cum *L. eum qui 5. §. 1. ff. de constit. pecun.* videatur Cujac. *L. 13. obs. 17.* & Petr. Barbos. *in cit. L. 2. §. 3. à n. 141.*

## §. II.

## *Utrùm in loco Contractûs ad ejus dissolutionem agi possit.*

### SUMMARIUM.

176. *Variæ opiniones DD. proponuntur.*

177. *In loco contractûs quivis conqueri potest, sibi non esse numeratam pecuniam. Et agere ad rescissionem contractûs ex L. 2. C. de Rescind. vendit. Nec non de nullitate contractus. Et Redhibitoriâ vel Æstimatoriâ actione ex ædilitio Edicto. Imò etiam ad restitutionem in integrum.*

178. *Respondetur ad opposita.*

179. *Episcopus loci contractûs relaxare juramentum potest, ut impugnari contractus valeat. Nec tamen rescindere contractum.*

176. Ingens hîc dissidium inter DD. est. Communis cum Bald.

Bald. Dec. ac Jaſone, teſte Oliva *p. 3. de For. Eccl. q. 22. n. 8.* & Brunnem. *in L. 2. C. ubi & apud quem* affirmat, in loco ſolùm domicilij, & non etiam in loco contractûs, ad hujus nullitatem, vel reſciſſionem agi poſſe. Forum competens agnoſcunt etiam in loco contractûs Covarr. *L. 1. var. c. 4. n. 1.* Molin. *de Juſt. tr. 2. diſp. 523. n. 23.* Gratiani *diſcept. for. c. 14. n. 22.* Coler. *de proceſſ. execut. p. 2. c. 1. n. 24. & 44.* Prænob. D. de Baſſis *in 50. deciſ. Juſtin. deciſ. 4. n. 6.* poſt Bart. Butr. Felin. ac alios, quos allegat Oliva *l. c.* Diſtinguunt Petr. Barboſ. *ad L. 19. §. proinde. ff. de Judic. àn. 24.* & Oliva *l. c. àn. 9.* & in loco ſolùm domicilij reſciſſionem petendam affirmant, ſi contractus ex utraque parte fuit perfectus, v. g. ſi pupillus læſus in contractu cum auctoritate tutoris inito, aut Eccleſia in venditione bonorum cum ſolemnitatibus factâ, reſtitutionem in integrum petant: agi verò etiam in loco contractûs poſſe, ſi contractus ex utraque parte perfectus non fuit, v. g. ſi pecunia numerata non fuit, aut contractus ex aliquo capite fuit nullus, & de nullitate agitur. Sed & leges hîc antinomiam continere videri poſſunt: nam *cit. L. 2. C. ubi & apud quem* dicitur, pro reſtitutione in integrum adeundum eſſe *provinciæ præſidem, in qua domicilium habent, quos convenis:* quo textu nituntur primæ opinionis DD. E contrario *L. in contractibus 14. §. ult. C. de non num. pecun.* ſtatuitur, poſſe quemvis in loco contractûs apud ejus Judicem conqueri intra biennium, ſibi non fuiſſe numeratam pecuniam: quâ deciſione ſe munit ſecunda opinio.

177. Ut iſta ritè decidantur, inter varios caſus diſtinguendum eſt. Et in primis ex *cit. L. 14.* certum eſt, in loco contractûs conqueri quemvis poſſe ob non numeratam pecuniam. Ratio eſt: quia ibi, ubi convenit, pecuniam eſſe ſolvendam, quaſi contrahitur ad reddendam ſyngraphan pecuniâ non numeratâ, & hac ratione eodem loco, ubi obligatio ad implendum nata eſt, peculiaris quoque & propria ad reſolutionem ejusdem negotij obligatio naſcitur. Certum eſt 2. ex recepta doctrina Bart. *in L. 1. de SS. Trin. n. 20.* agi in loco contractûs poſſe ex *L. 2. C. de reſcind. vend.*

*vend.* si quis in venditione læsus sit ultra dimidium justi pretij: eò quòd ex hac lege non absolutè agitur ad rescissionem contractûs, sed disjunctivè ad rescissionem vel supplendum pretium: & quoad forum respicitur contractus, eáque, quæ in ipso interveniunt: at læsio intervenit in ipso contractu. Certum esse videtur 3. posse in loco contractûs de nullitate contractûs agi, v. g. si usuraria pravitas intervenit, ut ait Brunnem. ad *cit. L. 14. n.* 18. aut si invalidus fuit ob defectum solemnitatis, dolum quoad substantiam &c. tum quòd eadem est natura distractûs & contractûs. *arg. L. Pomponius* 13. *§. 2. ff. de adquir. vel am. poss. L. Exempto* 11. *§. 5. & 6. ff. de act. empt.* tum quòd ad Judicem loci contractûs pertinet cognoscere de valore contractûs, cùm non possit compellere ad ejusdem implementum, nisi priùs constet de ejus valore. Consequens ex modò dictis & certum est 4. ex Ædilitio edicto agi posse *redhibitoria actione* ad rescissionem contractûs in loco contractûs: quia Judicis, in cujus territorio contractus est initus, est cognoscere, utrùm ob vitium rei in contractum deductæ *redhibitoria*, vel *æstimatoria* seu *quantò minoris* competat. Igitur duntaxat dubium est de remedio extraordinario restitutionis in integrum. Et hoc quoque nobili officio Judicis loci contractûs expediri posse ex dictis consequens esse mihi videtur. Nam si coram hoc Judice agi potest ex *L. 2. C. de rescind. vend.* non apparet ratio, cur non etiam ejusdem officium ad restitutionem in integrum implorari possit: tum quòd læsio, ob quam petitur restitutio, in contractu æquè intervenit, ac læsio ultra dimidium, ob quam ex *cit. L. 2.* agitur, & nullum inter unum ac alterum casum differentia est, quàm quòd major læsio necessaria est ad agendum ex *cit. L. 2.* quàm quando petitur restitutio in integrum, & nonnunquam etiam per restitutionem in integrum non petitur rescissio contractûs, sed solùm supplementum pretij: tum quòd in contractu tacita semper obligatio & quasi promissio interveniisse censenda est ad ea præstanda & resarcienda, quæ alterum alteri debere & præstanda esse æquus Prætor arbi-

tratus

tratus fuerit; ac idcirco dum agitur ad restitutionem, ex ipso contractu agitur: tum denique, quòd in loco contractûs melior notitia ordinariè habetur de læsione facta & causâ restituendi, quàm alibi. Quam ob causam constitutum est *L. 2. C. ubi ratiocin.* ut qui administrationem gessit, in loco, ubi negotium & administrationem gessit, conveniri possit.

178. Neque obstat, quâ adversarij nituntur, *cit. Lex 2. C. ubi & apud quem cognit.* sic enim illa inquit: *consequens est, si de his* (quæ ex transactione tradidisti) *repetendis per in integrum restitutionem vel quamcunque aliam causam putaveris agendum, ejus adire te provinciæ præsidem, in qua domicilium habent, quos convenis.* ubi sub tò *adire* non necessariò intelligendum est *debere*, sed intelligi potest *posse*, non excluso videlicet Judice contractûs. Deinde tametsi lex diceret, domicilij Judicem adiri debere, hoc tamen solùm de eo casu intelligendum foret, quo reus in loco contractûs non invenitur, uti præter alios explicat Covarr. *l. c.* Nec valet, quod illi hîc dicunt, hac ratione nihil speciale illâ lege statui, cùm aliunde manifestum sit, debitorem in loco contractûs conveniri non posse, nisi ibi inveniatur: nam negatur suppositum, quòd Impp. ibi speciale quid statuere debuerint vel voluerint, notúmque est sæpe unâ lege repeti, quod aliis jam decisum, vel ipso etiam naturæ lumine clarum est. Demum cùm dicatur ibidem *vel quamcunque aliam causam*, sequeretur juxta adversarios, non tantùm propter restitutionem in integrum, sed etiam ob pecuniam non numeratam, rescissionem ex *L. 2. C. de rescin. vend.* nullitatem contractûs &c. adiri necessariò debere Judicem domicilij: quod falsum esse ex dictis constat.

179. Ex dictis consequens est I. quod cum Felin. Dec. Rom. Lap. ac alijs tradit Covarr. *l. c.* posse Episcopum loci, in quo contractus initus est, etiam cum extraneo, in juramento, quod contractui adjectum est, dispensare eum in finem, ut contractus impugnari & rescissio peti possit. Unde non apparet, quo jure Caldas *L. si curatorem 3. C. de in integr. rest. n.* 31. dicat, cavendum

dum esse ab hac Romani & Lapi doctrina, cùm tamen ipse *l. c. n. 30.* tradat, in loco contractûs restitutionem in integrum peti posse: nec enim ratio reddi potest, cur Judex loci contractûs hanc restitutionem facere valeat, & non etiam Episcopus ejusdem loci juramentum ad eum finem relaxare: ideo enim Judex contractûs restituere in integrum potest, quia potest ad contractum observandum compellere; atqui hoc ipsum potest Episcopus per censuras, si opus fuerit. Quin tradunt Felin. Alex. Jas. Bald. & Castr. apud Oliva *cit. q. 22. n. 12.* posse coram Episcopo, qui absolutionem à juramento dedit, agi ad ipsam rescissionem contractûs jurati etiam inter laicos initi: eò quòd Judex præparatorij sit etiam Judex causæ præparatæ. *L. Ordinarij 13. C. de rei vind.* Verùm hanc doctrinam non immeritò rejicit Covarr. *l. c. n. 8.* & ipsa praxis: nam absolutio à juramento, quæ purè dependet à potestate spirituali, absolventi non tribuit jurisdictionem ad cognoscendum de re purè temporali inter laicos. Neque simpliciter & absolutè verum est, Judicem causæ præparantis esse Judicem etiam causæ præparatæ: ut probat *Lex 1. C. adexhibend.* Neque contrarium asseritur *cit. L. 13. C. de R. V.* nam in casu hujus legis Judex causæ præparatoriæ erat simul Judex competens ad causam præparatam, ut notat Covarr. *l. c.* Consequens est 2. quòd quis repetere possit indebitum, ubi illud solvit, tametsi non sit forum rei. *L. qui loco 27. ff. de condict. indeb.* & ibi Gloss. Costald. *in L. 19. §. si quis. ff. de Judic.* Matth. Steph. *L. 1. de Jurisd. c. 29. n. 29.*

## §. III.

## *An debitor in loco Contractûs conveniri possit, si ibi non reperiatur.*

SUMMARIUM.

*180. Nemo in loco contractûs conveniri potest, nisi ibi reperiatur.*
*181. Nisi sit simul locus domicilij.*

182.

182. *Aut ibi se responsurum promiserit debitor & foro domicilij renuntiárit.*

183. *Aut, ut quidam volunt, ibi bona sita non habeat.*

184. *Aut agatur de ratiocinijs publicis, vel etiam privatis.*

185. *Conveniri in loco contractûs debitor non potest, tametsi alibi contumaciter latitet. Poterit tamen immissio in ejus bona fieri.*

186. *Hæres etiam absens prosequi tenetur litem à defuncto in loco contractûs cœptam.*

187. *Studiosi absentes ad locum Academiæ citari possunt ob debita ibi contracta.*

180. Neminem in loco contractûs conveniri posse, nisi ibi reperiatur, certum est ex *C. Romana 1. §. 3. de For. com. v. nisi inveniatur ibidem*, & *L. hæres 19. ff. de Judic. prin. v. si ibi inveniatur:* ubi licèt solùm agatur de hærede, mox tamen §. *1.* loquitur JC. universim de contractibus & quasi contractibus, de quibus eandem clausulam intelligendam esse, quæ est de hærede, tradit ibi Gloss. communiter recepta *ad §. si quis v. debebit.* At non est necesse ad hoc, ut conveniri in loco contractûs possim, me in eodem loco aliquamdiu manere: nam conveniri possum, si post contractum initum recessi, ac postea eódem redij, quamvis denuo discessurus, ut post Castr. tradit Barbos. *in cit. L. 19. §. proinde n. 22.* ac verissimum esse dicit Oliva *l. c. n. 22.* quia Jura absolutè statuunt, contrahentem in loco contractûs conveniri posse, si ibi inveniatur; nec distinguunt inter permanentem & ex intervallo redeuntem. Favori solùm nundinarum datum est *L. 1. C. de Nundin.* ut ad eas venientes de debitis alio tempore contractis conveniri nequeant: quamvis conveniri queant de ijs, quæ ijs ipsis nundinis contraxerunt.

181. Varias tamen limitationes hæc assertio patitur. Nam I. conveniri absens ratione contractûs potest, si locus contractûs sit simul domicilij: quia tunc Judex loci procedere contra absentem

tem potest tanquam contra subditum ratione domicilij; contra subditum enim etiam absentem procedi posse notum est.

182. II. Conveniri contrahens in loco contractûs etiam absens potest, si ibi se responsurum promisit, simúlque foro domicilij expressè renuntiavit. Gloss. *1.* & *2. in L. 1. ff. si quis in jus voc. non jer.* quam celebratissimam esse & omnes eam secutos ait Covarr. *c. 10. pract. qq. n. 5.* & usu judiciorum servari ex Alber. testatur Guttier. *p. 3. de Juram. confirm. c. 16. n. 4.* Ex quo cum eadem Gloss. *1.* communiter inferunt (absque causa refragante Barbosa *in L. 19. §. 1. ff. de Judic. n. 46.*) quòd licèt in contractibus regulariter locum non habeat remissio, contrarium tamen sit in hoc speciali casu renunciationis. Quin cum Baldo *in L. cùm Artemidoram 4. C. ut in poss. legat. n. 5.* contendit Barbosa *l. c. n. 49.* ad hunc effectum non esse necesse, ut quis expressè promittat, se responsurum in loco contractûs, sed sufficere, si renuntiet proprio foro domicilij. Hæc porrò renunciatio omnino necessaria est, neque absque ea sufficiet promissio de respondendo in loco contractûs: quia hæc promissio solùm procedit sub clausula Jure communi expressa *si ibi inveniatur.* Covarr. *l. c. n. 6.* Barbos. *cit. n. 45.* Oliva *l. c. n. 25.* Nisi juramento firmata fuerit: tunc enim absque speciali renuntiatione fori proprij poterit promittens conveniri. Covarr. *cit. n. 6.* Guttier. *l. c. n. 5.* Matth. Steph. *L. 1. de Jurisd. c. 29. n. 39.* post Socin. Felin. Roman. Bern. Diaz. ac alios, *arg. auth. & qui C. de bon. auct. Jud. poss. C. 28. & C. Ex rescripto 9. de Jurejur.* Similiter si debitor in casum, quo in mora erit, se ad obstagia sive se sistendum personaliter aliquo in loco obligavit, poterit ad eum locum citari, licèt ibi non inveniatur. *cit. C. 9. de Jurejur.* & *ibi* Gloss. Guido Papæ *decis. 61. n. 2.* Coler. *de process. execut. p. 2. c. 1. n. 88.* Steph. *l. c. n. 41.* Zanger. *de Excep. c. 1. p. 2. n. 187.* Gaill. *L. 2. obs. 45. n. 2.* & *L. 2. de Pace publ. c. 2. n. 5. & 6.* An hanc renuntiationem facere possit etiam Clericus, controversum est. Negandum censeo cum Oliva *l. c. n. 27.* contra Mar. Socin. Barbos. *l. c. n. 224.*

ac

ac alios : quòd enim in loco contractûs conveniri coram Judice Ecclesiastico possit, si ibi inveniatur, habetur ex lege *cit. C. 1. §. 3. de For. com.* ut autem etiam absens conveniri posset, deberet id fieri ex renuntiatione sui fori & prorogatione jurisdictionis alieno Episcopo factâ: at hanc facere absque consensu proprij sui Episcopi non potest. *C. significásti. 18. de For. comp.* Quam prohibitionem renunciationis impudenter stultitiæ damnat Cuiacius *ad Afric. tr. 7. in L. trajectitiæ 23. ff. de O. & A.*

183. III. Limitant Bart. *in cit. L. 19. §. 1. in fine* & Bern. Diaz *reg. 397. v. septimò fallit*, dicendo, remittendum esse debitorem ad locum contractûs, si ibi non habeat bona, in quæ immissio fieri possit. Verùm hoc non immeritò reprobant Covarr. *l. c. n. 4. v. tertiò subinfertur*, & Barbos. *l. c. n. 33.* cum Angel. Castr. Fulgos. ac communi aliorum: quia contrarium desumitur ex *cit. C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.*

184. IV. Limitat Covarr. *l. c. v. quartò illud* cum Felin. Franc. Marian. ac communi DD. asserendo, si agatur de reddenda ratione administrationis, administratorem cogi posse ad respondendum in loco administrationis, tametsi ibi non inveniatur, juxta *L. 1. & 2. C. ubi de ratioc. agi oport.* Quod quidem omnes admittunt, si agatur de publicis ratiocinijs, per text. expressum *cit. L. 2. & L. fin. C. ubi quis de Curiali.* Sed, si agatur de ratiocinijs privatis, id cum Angel. Imol. Domin. ac alijs negant Barbos. *in cit. L. 19. §. 1. n. 75.* Zanger. *p. 2. de Except. c. 1. n. 77.* & Matth. Stephani *p. 1. de Jurisd. c. 29. n. 37.* Moventur *cit. L. 1. C. ubi de ratioc.* Verùm hæc potius contraria est: nam absolutè dicit; *eum, qui aliena negotia sive ex tutelæ sive ex quocunque alio titulo administravit, ubi hæc gessit, rationem oportet reddere*, ubi agit de rationibus privatis, nec distinguit inter casum, quo administrator invenitur in loco gesti negotij, & quo non invenitur. Afferunt quoque *L. cùm propònas 9. C. de bonis auct. Judic.* sed nihil patrocinatur: solùm enim ibi dicitur, eum, quem ex administratione negotiorum obligatum habes, conveniri à te

posse adito rectore provinciæ, videlicet si ille in provincia administrationem gessit. Neque hanc restrictionem ad rationes publicas patitur titulus generaliter conceptus *ubi de ratiocinijs tam privatis quàm publicis agi oportet*, nec verba *cit. L. 1. sive ex quocunque alio titulo*, nec text. *L. 36. in fin.* & *L. 45. pr. ff. de Judic.* ut observant Hillig. *ad Don. L. 17. c. 14. lit.* K. & Brunnem. *in cit. L. 1. n. 4.*

185. V. Limitant Felin. *in cit. C. 1. n. 22.* Diaz *reg. 397. v. 11.* ac alij, tenentes, posse debitorem in loco contractûs convenirì etiam absentem, si contumaciter latitat. Verùm hanc limitationem bene reijciunt post Franc. & Ripa, Covarr. *cit. n. 4. v. tertiò subinfertur*, & Barbos. *l. c. àn. 6.* quia *cit. C. 1. §. 3.* Judici contractûs tantùm permittitur, ut decernere possit immissionem in bona, quæ latitans habet extra locum contractûs, & ut immissionem facere possit in bona, quæ habet in loco contractûs. Nec favet adversarijs, quam allegant, *L. consentaneum 8. C. quom. & quand. Jud.* Quia loquitur solùm de eo absente, qui citatus fuit, dum adhuc præsens esset. Et hoc solùm dicit Baldus *in cit. L. 8. not. 8.* quem proinde malè pro se allegant. Poterit tamen immissio in ejus bona fieri, ut infrà dicetur *n. 200.*

186. VI. Limitatur quoad hæredem debitoris; nam si defunctus judicium in loco contractûs accepit, seu litem cum creditore ibi contestatus fuit, tenebitur ejus hæres ibidem processum reassumere & continuare, tametsi ibi non reperiatur. *L. si is. 34 ff. de Judic.* quia per litis contestationem perpetuatur jurisdictio Judicis aditi. *cit. L. 34.* & *L. 30. ff. eod. L.* & *quia 5. ff. de Jurisd.* nec hæredis causa potior aut melior esse debet, quàm defuncti. *L. hæredem 59. ff. de R. J. L. an vitium 5. ff. de div.* & *temp. præscript.* Zanger. *l. c. n. 120.* Carpz. *L. 2. resp. jur. Sax. resp. 30. n. 10.*

187. VII. Denique limitant quoad Studiosos, qui relictis in loco Academiæ debitis discedunt insalutato hospite, nec cautionem, nec supellectilem relinquendo, unde creditoribus satisfiat. Hos citari à Rectore Magnifico posse, ubicunque locorum sint, tra-

tradunt Zas. *in L. ult. ff. de Jurisd.* Matth. Stephani *l. c. n. 33.* & 34. Haunold. *tom. 5. de Just. tr. 1. n. 358.* eò quòd, dum immatriculantur, promittunt, quòd se sistere velint, quando citantur à creditoribus vel Rectore.

## §. IV.

## *An conveniri in loco Contractûs possit, qui in alium locum solutionem condixit.*

### SUMMARIUM.

188. *Contrahens non in loco contractûs, sed in illo, in quem solutionem condixit, conveniendus est.*
189. *Dummodo pactum de solutione alibi facienda contractui immediatè fuerit adjectum.*
190. *Procedit assertio etiam de Clericis.*
191. *Quando debitor promisit respondere, ubicunque fuerit inventus, regulariter ubique conveniri potest.*
192. *Promittens solvere, ubi creditor voluerit, conveniri solum potest in loco domicilij vel contractûs, nisi aliunde desumatur, quòd voluerit se obligare ad quodcunque forum.*
193. *Promittens solvere in certo loco vel ubicunque creditori placuerit, conveniri solùm potest in loco nominato, & locis non multùm distantibus.*
194. *Qui promisit solvere Monachij & Ingolstadij, conveniri utrobique potest, sed non ad totam utroque in loco summam.*
195. *Ad totam verò summam utrobique, si promisit solvere Monachij vel Ingolstadij. Estque tunc electio fori penes creditorem. Sicuti est inter Forum Contractûs & Domicilij.*
196. *Qui non solvit in loco, in quo solvere promisit, conveniri potest in loco Contractûs vel Domicilij.*
197. *Quoad formam contractûs, interpretationem, ac vim obligandi, attenditur locus, in quo is initus fuit, non in quem destinata est solutio.*

188. Contrahentes non in loco contractûs conveniri posse, sed in illo, in quem destinata est solutio, apertum est ex *C. dilecti 17. de For. comp.* ibi: *quia etsi fuisset privilegium tale* (ut extra patriam conveniri non possent) *concessum, non tamen prodesset illis, qui se certo loco respondere, vel solvere adversarijs promiserunt, cùm ibi, & ubi domicilium habent, valeant conveniri.* Ratio est: *quia contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret, se obligavit. L. 21. ff. de O. & A.* & *contractum non utique eo loco intelligitur, quo negotium gestum sit, sed quo solvenda est pecunia. L. 3. ff. de reb. auct. Jud. poss.* Et quidem conveniri in loco solutioni faciendæ destinato etiam advena potest, quamvis statim inde discessurus. Gloss. *in C. 1. §. nec etiam de For. comp. in 6. v. respondere,* & *ibid.* Dominic. & Franc. Barbos. *in cit. §. proinde n. 131.* Oliva *cit. q. 22. n. 35.* cum Bart. Perusin. Aretin.

189. Ut tamen debitor non in loco contractûs, sed destinatæ solutionis conveniri possit, juxta Felin. *in C. ult. de For. comp. n. 17.* & Butr. *ibid. n. 12.* Dec. *in L. si convenerit ff. de Jurisd. col. 22. v. tertiò prædicta,* ac alios, necesse est, pactum de solutione alibi facienda contractui in continenti adjectum fuisse: si enim fieret hoc pactum solùm ex intervallo, vi illius conveniri quidem is posset etiam in loco destinatæ solutionis, non tamen excluderetur locus contractûs, sed conveniri in utroque posset. Necesse insuper est, ut reus ibi inveniatur, ubi solvere promisit. Dec. *l. c. n. 23.* ubi id dicit esse receptum, Covarr. *cit. c. 10. pract. n. 6. v. undecimò,* Barbos. *in L. 19. §. 1. de Judic. n. 51.* Cùm enim censeatur quisque contraxisse ibi, ubi solvere promisit, ut modò diximus ex *L. 21. ff. de O. & A.* in loco autem contractûs juxta dicta *n. 180.* nemo conveniri possit, nisi ibi reperiatur, consequens est, nec in loco solutioni destinato conveniri posse, nisi ibi reperiatur. Si tamen non tantùm hîc solvere, sed etiam hîc se sistere judicio promisit, causa huc remittenda erit, & respondere hîc tenebitur promissor, tametsi hîc non reperiatur. Covarr. *l. c. v. duo.*

*duodecimò* cum Bald. Jaſ. Dec. Rip. Felin. Curt. Jun. *arg. L. 7. §. 1. ff. qui ſatisd. cog.* Idem dicendum eſt, ſi certo loco ſolvere promiſit, ſimúlque foro proprio renunciavit. Covarr. *l. c. n. 5. v. ſextò*, Barboſ. *l. c. n. 56.* cum communi, & patet ex dictis *n. 182.* Idem denique dicendum exiſtimat Covarr. *l. c. n. 6. v. decimò tertiò* cum Innoc. Bald. Dec. Jaſ. Alciat. ac alijs, de caſu, quo quis ſolvere promiſit certam pecuniæ quantitatem certo loco & tempore, v. g. Ingolſtadij in nundinis S. Mauritij, poſſéque in his nundinis hîc conveniri, etſi hîc non reperiatur, & remiſſionem huc faciendam eſſe: eò quòd per dolum cenſeatur abeſſe, ſi conſtituto tempore ac loco non adfuerit, ac propter dolum judicetur adeſſe, ſicut quoad effectum conventionis cenſetur poſſidere, qui dolo deſiit poſſidere. *L. is qui dolo,* & *L. ſin autem §. 1. ff. de rei vind.* Verùm contra hanc doctrinam meritò inſurgunt Barboſ. *in cit. §. 1. n. 40.* & Oliva *l. c. n. 38.* nam *cit. C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.* contra abſentes, *ſi fortè malitiosè ſeipſos occultent* (ut ait Pontifex) *ne citatio perveniat ad eosdem,* ſolùm permittitur Judici contractûs decernere faciendam immiſſionem in poſſeſſionem bonorum, quæ alibi habent.

190. Quod modò dixi, poſſe, qui ſolutionem condixit in certum locum, ibidem conveniri, etiam de Clericis procedit: etſi enim juxta dicta *n. 182.* non poſſint absque licentia proprij Epiſcopi prorogare jurisdictionem alieno; hoc tamen ſolùm verum eſt de prorogatione directâ, non item de indirectâ, quæ fit, dum in aliena Diœceſi delinquunt, contrahunt, vel ſolvere promittunt: horum enim ſi quid fiat, jurisdictionem in ipſos alieno Epiſcopo Canones concedunt *C. 17.* & *ult.* ac *C. 1. §. 3. in 6. de For. comp.* ut dixi ſuprà *n. 168.*

191. Quid autem tenendum ſit, quando ſolutio condicitur in locum incertum, aut certum quidem, ſed multiplicem & varium, anceps quæſtio eſt, ad quam ritè decidendam multiplicem caſum ſtatui oportet. Primus eſt, quando debitor promiſit reſpondere & ſolvere, ubicunque fuerit inventus. Aſſerunt hîc

hîc Bart. Fulgos. Jaſ. Dec. *in L. ſi convenerit. 18. ff. de Jurisd.* Panor. Butr. Felin. *in C. 1. de Judic.* ac paſſim alij, poſſe creditorem, in quocunque loco debitorem invenerit, ſolutionem exigere: dummodo, ut aiunt, locus ſit tutus. Addendum eſt: dummodo notabile damnum ex ſolutione v. g. hîc facienda debitori non naſcatur, prout fieret, ſi hîc pecuniam ſub uſuris mutuam ſumere, aut cum impenſis è loco domicilij eam petere, aut ſua vendere deberet &c. ac interim creditoris parum interſit hîc vel alibi ſolutionem fieri. Variant quidem circa hunc caſum opiniones DD. uti videre eſt apud Mar. Socin. *in C. dilecti de For. comp. n. 31.* & Ripa *in C. 1. de Judic. n. 71.* ſed ſtandum videtur communi ſub dictis limitationibus.

192. Alter caſus eſt, quando debitor promiſit reſpondere aut ſolvere, ubicunque creditor voluerit. Hîc Bart. *in L. Titium §. tutores. ff. de adm. tutor. n. 1.* Panor. Butr. Jaſ. Dec. ac communis aliorum tenent, poſſe ubivis locorum, ubi inventus fuerit, conveniri. Poſſe verò vi hujus pacti *reſpondebo aut ſolvam, ubicunque voluerit creditor*, conveniri ibi, ubi repertus non fuerit, neminem, qui aſſerat, inveni. Foret profectò hoc nimis oneroſum debitori, ac idcirco cenſendum non eſt, quòd ſe ſic obligare voluerit; ſed ſolùm quòd ſecundùm leges, quæ eum conveniri non permittunt in loco contractûs vel deſtinatæ ſolutionis, niſi ibi fuerit inventus. Niſi fortè expreſsè promiſerit, ſe ubivis, ubi voluerit creditor, compariturum; ut poſt Bald. notat Jaſ. *in cit. L. 18. n. 41.* E contrario cum eod. Bart. *in cit. L. 18. n. 4.* Duar. Coſtald. Donell. ac alijs, ſuſtinent Matth. Stephani *L. 1. de Jurisd. c. 29. n. 12.* Treutler. *vol. 1. diſp. 23. th. 3. lit. G.* & Bachov. *ibid.* Brunnem. *in L. un. C. ubi conven. qui cert. loc. à n. 7.* generalitatem pacti, quo debitor reſpondere promittit, ubicunque conventus fuerit, reſtringi ad locum habilem & idoneum, videlicet domicilij & contractûs: eò quòd cenſendum ſit, hanc tantùm mentem promittentis fuiſſe, ſicut alia non eſt, quàm hæc, ſi indefinitè promittit, ſe reſponſurum & ſatisfacturum: cum-

cúmque id solùm spectetur, ne facultas agendi intercidat, satis esse debere creditori, si possit experiri illis locis, quibus aliàs jus est. Et sic explicandos esse autumant textus *L.* 43. *ff. de Judic.* & *L* 43. *ff. de constit. pecun.* ubi dicitur, ubique peti posse, & quocunque loco: quocunque videlicet agi potuisset, si locus adjectus non fuisset. Hæc sententia valde probabilis est: nisi quis expressè renuntiârit foro domicilij & contractûs, aut alijs ex signis constet, quòd debitor per illam verborum generalitatem voluerit se obligare ad respondendum etiam extra duplex illud forum.

193. Tertius casus est, quando debitor dicit creditori Ingolstadij: *solvam Monachij vel ubicunque tibi placuerit.* Asserunt hîc Butr. *in C.* 1. *de Judic. col.* 12. Panor. *n.* 22. Ripa *n.* 71. ac communis teste Mar. Socin. *l. c. n.* 30. posse conveniri solùm Monachij & locis æquè distantibus, non verò remotioribus. *arg. C.* 15. *de Rescript.* & *Clem.* 2. *de procurat.* Conveniri posse quocunque loco etiam remotiore cum Imola & Dec. affirmant Zanger. *de Except. c.* 1. *p.* 2. *n.* 154. ac alij nonnulli. Conciliat Barbosa *l. c. n.* 153. dicens, conveniri posse etiam in remotioribus, dummodo sint in eadem provincia. Quod etsi probabile sit, videtur tamen standum esse primâ sententiâ, cùm ob auctoritatem DD. tum quòd mens debitoris non videatur esse ad quemcunque locum remotissimum, etiam in eadem provincia, ad quem accedere non solet, se obligare.

194. Quartus est, quando promittit debitor solvere Monachij & Ingolstadij. In utroque loco solutionem posse exigi, dubium non est. Non tamen utrobique integra summa, v. g. centum, peti poterit, sed 50. Monachij, & 50. Ingolstadij: nam, ut ait JC. *L.* 2. §. 4. *ff. de eo, quod cert. loc.* si quis stipulatur, *Ephesi & Capuæ, hoc ait, ut Ephesi partem & Capuæ partem petat*; cùm natura copulæ sit æqualiter distribuere copulata. *L. reos* 11. §. 1. *ff. de duob. reis.* Socin. *l. c. n.* 29. Ripa *l. c. n.* 69. Hinc si tota summa alterutro in loco peteretur, obstaret exceptio *plus loco petitionis. L.* 4. *ff. de eo, quod cert. loc.* nisi adjunctum fuerit *in solidum*; tunc enim exceptione summæ uti debitor non poterit.

195. Quintus est, quando dicit debitor, se soluturum Monachij, vel Ingolstadij. Utrobique seu alterutro in loco tunc agi poterit, & quidem ad integram summam, cùm utrobique contraxisse censendus sit. *L. 21. ff. de O. & A.* Socin. *l. c. n. 28.* Zanger. *l. c. n.* 134. Cujus verò sit electio, creditoris, ubi convenire velit; an debitoris, ubi conveniri, dubitatur. Respondetur: etsi in alternativis electio sit penes debitorem quoad res alternativè debitas *reg. 70. Jur. in 6.* & *L. plerumque ff. de jure dotium:* quoad locum tamen exigendi arbitrium est penes creditorem. *cit. L. 2. §. 3. ff. de eo, quod cert. loc. dari oport. C. dilecti 17. de For. comp.* ita tamen, ut antequam creditor exigat, debitor alterutro, quo maluerit, loco solvere possit. *cit. §. 3. v. & generaliter.* Pariter in arbitrio actoris est, debitorem convenire in loco contractûs vel domicilij, alióve, ubi respondere vel solvere promisit. *Arg. L. 19. §. ult. & L. 52. §. 3. ff. de Judic. L. 25. pr. C. de Ep. & Cler.* & *ibi* Bald. Afflict. *decis. 257.* Zanger. *l. c. n. 205.* cùm forum ex contractu vel quasi acquisitum non tollat forum domicilij, sed forum foro accumulet. *C. 8. & 20. de For. comp.* & *ibi* Canonistæ. Ibi tamen finem accipere debet actio, ubi fuit intentata, cùm sit locus præventioni, quæ fit per solam citationem. *L. pen. ff. de petit. hæred. & L. siquis 7. ff. de Judic.*

196. Quæstio supereſt, ubi conveniendus sit debitor, qui non solvit certo loco, quo solvere promisit. *Arbitrariá actione & in alio loco potest conveniri,* respondet Imp. *L. un. C. ubi conven. qui cert. loc.* Sed dubitatur etiamnum, an ubivis, ubi reperitur, conveniri possit. Negandum est cum communi DD. quia adjectus locus facere non potest, ut ibi conveniatur, ubi aliàs nullo adjecto loco non conveniretur. Igitur conveniendus est in loco domicilij vel contractûs: erítque tunc Judicis æstimare, quanti interſit actoris vel rei, destinato loco factam non esse solutionem. *L. 3. ff. de eo, quod cert. loco.*

197. Cæterùm quæ hactenus dicta sunt de conveniendo reo non in loco contractûs, sed in loco destinatæ solutionis, so-

lùm

lùm procedunt de ipsa conventione : nam quoad reliqua consideratur locus ipsius contractûs, videlicet quoad ejusdem solemnitates, vim obligandi, interpretationem &c. ita ut quoad ista observanda sint statuta loci, in quo contractus est initus. Bart. *in L. cunctos populos de SS. Trin. n. 16.* Bald. *in L. 1. C. ne fil. pro patr. n. 5.* Alex. *L. 5. cons. 41. n. 4. & in C. ult. de For. comp.* Panor. *n. 3.* Butr. *col. 5.* Felin. *n. 18.* Patet ex *L. si fundus 6. ff. de eviction.* Nec obstat, quòd dicitur *L. 21. ff. de O. & A.* contraxisse unumquemque intelligi in loco, in quo ut solveret, se obligavit: hæc enim est solùm fictio juris quoad facultatem conveniendi, re ipsa autem contractus celebratur, ubi verba proferuntur, vel scriptura fit, quibus contrahitur. Panor. & Felin. *l. c.* Dec. Jas. ac alij apud Barbos. *in cit. §. proinde n. 64.* Ex quo contra Bald. & Tiraq. communiter inferunt, gabellam, sicubi ex contractu solvitur, solvendam esse in loco contractûs, non destinatæ solutionis.

## §. V.

## *Quomodo contra debitorem in loco Contractûs procedendum sit.*

### SUMMARIUM.

198. *Contra contrahentem citatum in locò contractûs procedi potest, tametsi absens sit.*

199. *Si non comparet intra terminum præfixum, contumax habetur.*

200. *Si ante citationem abijt, compelli non potest ad se sistendum judicio, nisi in loco contractûs domicilium habeat.*

101. *Immissio ex secundo decreto contra absentem priùs non citatum facienda non est.*

198. De peregrino hîc sermo est, seu illo, qui extra locum sui domicilij contrahit : si quis enim in loco domicilij contrahat, vel ibi ratione contractûs alibi celebrati conveniatur, agi adver-

sùs eum potest tanquam contra inquilinum & subditum, tametsi absens sit, ut dictum est suprà *n.* 104. De peregrinis igitur agendo dicendum est, posse ipsos citari, si in loco contractûs reperiantur. Quòd si comparuerint, & litem contestati fuerint, procedi contra eosdem potest etiam ad sententiam definitivam, haud secùs, quàm si domicilium ibi haberent & subditi essent. *L. consentaneum 8. C. quom. & quan. jud. L. si is 34. jun.* Gloss. *fin. ff. de Judic.* Quin procedi contra eosdem ad sententiam definitivam potest in ijs causis, in quibus opus non est litis contestatione, dummodo, cùm præsentes essent, legitimè citati fuerint. Barbos. *in L. 19. §. 1. ff. de Judic. n. 31.* Oliva *p. 3. Fori Eccl. q. 22. n. 66.* cum Innoc. Ant. Panor. Aret. ac alijs. Non tamen executio in bonis alibi sitis fieri potest per Judicem contractûs, sed per literas ad Judicem loci, ubi bona sita sunt, petenda est executio. *L. 15. §. 1. ff. de re judic.* & *C. postulásti. 14. de For. comp.*

199. Quòd si advena in loco contractûs post citationem ibi factam in termino non comparuerit, & litem non fuerit contestatus, etsi ad sententiam definitivam procedi nequeat in causis, in quibus litis contestatione opus est, contumax nihilominus habendus est tam quoad personam quàm quoad causam, & idcirco per mulctas vel incarcerationem, ac in foro Ecclesiastico per censuras, compelli poterit ad litem contestandam. *C. 2. & 3. Ut lite non contest.*

200. Si verò ante citationem è loco contractûs abijt, cogi non poterit ad ibi comparendum vel per se vel per procuratorem, ut dixi *n. 180.* cum varijs tamen limitationibus *à n. 181.* Idque etiam locum habet in casibus, quibus sine litis contestatione procedi ad sententiam definitivam potest, ut contra Ant. de Butr. tradit recepta DD. apud Covarr. *c. 10. pract. n. 3.* Ratio patet: quia ad sententiam definitivam contra absentem procedi non potest, nisi ob contumaciam; qui autem non comparet in loco contractûs, non est contumax, nisi ante abitum fuerit citatus *C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.* ac idcirco ad sententiam censuræ, banni, similésque

lésque pœnas personam concernentes procedi non potest. Poterit tamen in absentis bona, quæ in loco contractûs habet, immissio ex primo decreto fieri, si post literas requisitorias ad Judicem domicilij datas non comparuerit. *cit. C.* 1. §. 3. Aliud de subtilitate Juris civilis dicendum existimat Castr. apud Barb. *l. c. n. 12.* eò quòd axioma sit, neminem conveniri in loco contractûs, nisi ibi inveniatur. Verùm sensus hujus axiomatis duntaxat est, non posse procedi contra debitoris personam, nec contra ejus bona extra locum contractûs sita, nec invitum trahi ad locum contractûs debere; non verò locum habet de bonis in loco contractûs sitis, ut explicat Covarr. *l. c. n.* 4. Quòd si bona non habet in loco contractûs, decerni immissio poterit in ea, quæ habet alibi, ac propterea alterius Judicis, sub quo bona sita sunt, brachium implorari debet, ut dictum est suprà *n. 185.* & fusè probat Barbos. *l. c. àn. 15.*

201. Sed an in dicto casu, si videlicet debitor à loco contractûs absens est, & ante abitum citatus non fuit, immissio ex secundo decreto in ejus bona fieri possit, controversum est. Negandum videtur cum Castr. *in cit. L. 19. ff. de Judic.* §. 1. Covarr. *cit. c. 10. n.* 4. ac alijs: quia ad hanc immissionem requiritur vera contumacia, quam non committit is, qui apud hunc Judicem se non tenetur defendere, forétque aliàs nullum discrimen inter eos, qui tantùm ratione contractûs sortiuntur forum, ac illos, qui simpliciter subditi sunt ratione domicilij: cùm tamen juxta *cit. C. 1. §. 3.* & communem DD. discrimen faciendum sit. Quæ porrò differentia sit inter primum & secundum decretum, traditur *C. ult. §. in alijs Ut lite non contest.* & *C. 1. ac 2. de eo qui mitt. in possess.*

CAP.

# CAPUT IV.

## De Foro Rei sitæ.

### §. I.

### *An Forum acquiratur in loco rei sitæ.*

SUMMARIUM.

202. *Ratione rei sitæ quivis conveniri ibi potest, ubi sita res est.*
203. *Tametsi res sit mobilis.*
204. *Aut incorporea.*
205. *Non tamen actione personali, sed solum reali.*
206. *Hâc conveniri potest debitor, quamvis absens.*

202. Ratione rei, super qua contenditur, quemque sortiri forum, seu obnoxium fieri jurisdictioni Judicis loci, in quo res litigiosa constituta est, regulæ instar receptum est ex *L. 1. & ult. C. ubi in rem actio. L. quod 38. ff. de Judic. C. ult. de For. comp. & C. 1. de privil. in 6.* Et quidem regulariter procedit de omnibus personis, ita ut conveniri actione reali in loco rei sitæ possit etiam privilegiatus, seu habens privilegium, vi cujus nisi coram suo Judice aliàs competente conveniri non potest. *cit. C. 1. de privil.* Videantur ea, quæ dixi suprà *à n. 137.* Ex dictis consequens est, etiam Clericum, etsi cæteroqui coram suo tantùm Episcopo conveniri, nec sine ejus consensu alteri prorogare in se jurisdictionem valeat, conveniri posse in loco rei sitæ æquè ac in loco contractûs. Coram Ecclesiastico verò tantùm Judice, an etiam coram laico conveniri queat, infrà discutietur, quando de foro Clericorum agemus.

203. Procedit insuper regula non tantùm de re immobili, sed etiam mobili, saltem si ista ad aliquod tempus in illo loco permansura est. Gloss. *in cit. L. ult.* Bald. *ibid. n. 1.* Castr. *n. 3.* Panor. *in cit. C. ult. n. 43.* Butr. *n. 20.* Barbos. *in L. 19. §. proinde rubr. de*

*Foro*

*Foro rei sitæ ff de Judic. n. 4.* Quæ sententia, teste Sichardo *in cit. L. ult. in fine*, communi Germaniæ consuetudine recepta est, & meritò: quia Impp. *cit. L.* absolutè & sine discrimine immobilium aiunt, *sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversùs possidentem moveri.* res autem non tantùm fixæ, quæque solo cohærent, sed etiam mobiles, constitutæ in loco propriè dicuntur. Dixi *saltem si res ad aliquod tempus permansura est:* existimant enim Panor. Butr. *ll. cc.* cum Cyn. Bart. ac aliorum communi, si quis hàc transeat duntaxat cum equo meo vel mihi oppignerato, mox discessurus, hîc conveniri non posse, eò quòd res, quæ huc affertur tantùm in transitu, & non ut diu hîc maneat, non censeatur adesse. *arg. L. debitor. ff. de pignorib.* Cautelam tamen addunt: si advena, qui cum re mea huc venit mox abiturus, suspectus sit de fuga, quia in loco domicilij non habet bona immobilia, cogetur cautionem præstare de judicio sisti coram Judice competente, & quidem non juratoriam tantùm, sed satisdationem; aut si personæ qualitas postulat, res sequestrabitur. Imò etiamsi de fuga suspectus non sit, ut quia possidet immobilia in patria, cautionem cogetur præstare de re exhibenda. Verùm alij sequuntur Azonem sine discrimine asserentem, posse hîc agi in rem, si hîc invenitur; quod esse tutissimum putat Sichard. *l. c.*

204. Neque hîc nomine rei venit tantùm res corporea, profana vel Ecclesiastica; sed etiam incorporalis: cùm & rerum incorporearum causâ actiones in rem proditæ sint *§. æquè 2. Inst. de action. tot. tit. ff. si servit. vindic. L. pen. §. 1. ff. si usufr. pet.* eæque res quasi possideri dicuntur *L. ult. ff. uti possidet. L. ult. ff. de itin. actuque priv. L. 9. & 19. ff. de pet. hæred.*

205. Cùm verò Impp. *cit. L. ult.* dicant, in rem actionem moveri debere in locis, ubi res est, idcirco in loco rei sitæ locum non habent actiones, quæ in personam propositæ sunt, quamvis ad rem agatur, puta si actione empti petatur, ut res tradatur; actione personali ex stipulatu, ex testamento, aliáve; ut servitus realis

urba-

urbanorum vel rusticorum prædiorum, vel personalis, nimirum ususfructus, usus, & habitatio, constituatur. Gloss. *in L. forma. §. si verò ff. de censib. v. levari.* Bart. Castr. Fulg. *in cit. L. ult.* Panor. & Canon. *in C. ult. de For. comp.* quia actio personalis non adhæret rei, neque eam sequitur. *L. fin. §. fin. ff. de contrab. empt.* Erit igitur intentanda, ubi vel reus domicilium habet, vel ubi contractum est. An verò actio personalis in rem scripta, ac eæ, quas aliqui *mixtas* dicunt, in loco rei sitæ proponi possint, *seq.* §. discutietur: id duntaxat noto, actionem realem *cit. L. ult.* accipi pro omni actione in rem, sive ex legitimis & civilibus causis descendat, sive ex Prætoris jurisdictione comparata sit. § *omnium. 1.* & §. *sed istæ. 3. Inst. de action.*

206. Illud hîc controversum est, posítne actio in rem in loco rei sitæ duntaxat intentari, quando reus ibi præsens est, prout de loco contractûs dixi *n. 180.* an verò etiam, quando est absens. Illud prius tenent cum Castr. *in cit. L. ult. n. 2.* Barbos. *l. c. n. 15. & 16.* Sichard. *l. c.* ac *in parat. ad tit. C. ubi de hær. agi oport.* Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 23. n. 8.* Et videntur idem sentire Panor. Felin. Butr. *in C. ult. de For. comp.* Marian. Socin. *in C. sanè eod. n. 12.* dum asserunt, forum rei sitæ & contractûs comparari: at notum est, reum in foro contractûs non nisi præsentem conveniri posse. Communis tamen sententia & hodiernâ praxi approbata, de qua Vult. *in L. 1. C. ubi in rem actio. n. 20.* Zanger. *de Except. c. 1. p. 2. n. 286.* & Matth. Steph. *L. 1. de Jurisdict. c. 31. n. 6.* contendit, in loco rei sitæ etiam absentem conveniri posse, eò quòd in actione reali, utpote quâ agitur in rem, solùm ista attendatur, non persona, & per consequens sufficit, illam esse præsentem. Accedit, quòd Impp. absolutè statuerunt, actione in rem agi posse in loco rei sitæ, sine addita clausula restringente *si ibi reperiatur debitor*, sicut de loco contractûs addita fuit *L. 19. de Judic.* & *C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.* Quòd huic sententiæ non obstet textus *L. un. C. ubi de hæred. agi oport.* ubi dicitur, *hæreditatis controversiam ibi terminandam esse, si ibi, qui convenitur, ubi res hæreditariæ sitæ sunt, degat,*

fusè

fusè ostendit Zanger. *l. c. à n. 288.* & Ummius *disp. 4. ad proces. judic. th. 3. n. 16.* Igitur si reus ibi, ubi res sitæ sunt, non degit, citabitur in subsidium juris; qui si contumax fuerit, patietur missionem in bonorum possessionem.

## §. II.

## *Quomodo agendum sit Petitorio in loco rei sitæ.*

### SUMMARIUM.

207. *In loco rei sitæ agi Vindicatione potest.*
208. *Confessoriâ vel Negatoriâ, Rescissoriâ, & Hypothecariâ, quasi & Servianâ.*
209. *Nec non ad exhibendum.*
210. *Petitione hæreditatis.*
211. *Et Judicio familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum.*

207. Quoniam ratione rei dupliciter agi potest; vel ad ipsam proprietatem, vel ad possessionem: idcirco postquam in genere de actione reali in loco rei sitæ intentanda dixi, speciatim nunc exponere placet, quâ ratione tam petitorio quàm possessorio judicio ibi contendendum sit. Et quidem si possideo fundum hîc situm, & ejus dominium prætendat Titius, eum hîc agere rei vindicatione debere aut certè posse, constat ex *L. ult. C. ubi in rem act.* & *C. 3. ac fin. de For. comp.* Pari ratione si fideicommissum vel species legata petatur, non actione personali, sed rei vindicatione, hæc ibi intentari potest, ubi res legata existit. *L. un. C. ubi fideicom. peti oport. L. 38. §. si autem.* & *L. 52. §. 3. ff. de Judic.* Gomez *tom. 1. c. 12. n. ult.* Molina *de Just. tr. 2. disp. 195. n. 9.* Donell. *L. 17. c. 15. lit. B.* & *ibi* Hillig. Zang. *l. c. n. 269.*

208. Quòd si Titius ad suum fundum situm in territorio Palatino per meum fundum situm in territorio Bavarico prætendat iter, actum, jus ducendi aquam, pascendi &c. agitur confes-

soriâ vel negatoriâ actione coram Judice territorij Bavarici, ut. pote in quo res, de qua contenditur, sita est. *cit. L. fin.* Idémque est, si illis actionibus agatur ob servitutes urbanorum prædiorum: exercendæ enim ibi sunt, ubi est prædium serviens, cùm hoc sit, propter quod contenditur: quia etiam rerum incorporalium causâ actiones in rem proditæ sunt. *§. æquè 2. Inst. de action. tot. tit. ff. si servit. pet. L. pen.* §. 1. *ff. si usufr. pet.* Pariter actione rescissoriâ, & hypothecariâ, quæ creditoribus datur de pignore Prætorio, quod creditores desierunt possidere, & quod à debitore in fraudem ipsorum alienatum est, quasi Servianâ, & Servianâ, ibi agitur, ubi sunt res, propter quas hæ actiones intentantur: cùm sint actiones in rem. §. 4. *Inst. de action. tot. tit. ff. de public. in rem act. L. ult. C. ex quib. caus. major. L. pignoris* 11. *C. de pign. act.* Castr. *in cit. L. ult. n.* 2. Panor. *in C. ult. de For. com. n. 43.* Socin. *in C. sanè eod. n. 4.* Barbos. *l. c. à n. 8.* Tiraq. *L. 1. retract. §. 8. Gloss. 5. n. 9.* non tamen Pigneratitiâ, utpote quæ personalis est. *L. petenti. 27. ff. de pign. act.* & *L. fin. C. de distract. pignor.*

209. Quin etiam actione *ad exhibendum* agi potest in loco, ubi res mobilis sita est: eò quòd hæc actio rem sequitur, & propter rem quemcunque ejus possessorem. *L.* 3. §. 3. *L.* 5. §. 2. & *L. 15. prin. ff. ad exhibendum.* Et licèt hæc actio dicatur *personalis cit. L. 3. §. 3.* est tamen in rem scripta, ut post Oldendorp. Wesenbec. Mynsing. ac alios docet Manzius *ad §. 31. Inst. de action. rubr. de act. ad exhibend. n. 15.* quia tametsi suâ origine personalis sit, datur tamen adversus quemvis possessorem, cùm nihil aliud, quàm rem exhiberi petatur. At etiam personales actiones in rem scriptas intentari in loco rei sitæ posse, tradunt Castr. aliique modò citati. Addit Donellus *in §. 1. Inst. eod. n. 14.* non ideò hanc actionem dici *personalem*, quòd in personam detur, sed quòd personæ agentis cohæreat, sicut personale beneficium dicitur, quod personæ cohæret, & servitus personalis, quæ adhæret personæ: quo sensu etiam vindicatio, quæ

quæ datur matri ad repetendas res donatas liberis ob ingratitudinem, dicitur *personalis L. 7. C. de revoc. donat.*

210. Petitione hæreditatis agi posse non tantùm in loco domicilij rei, sed etiam, ubi res hæreditariæ sitæ sunt, perspicuum est ex *L. un. C. ubi de hæred. ag.* Quia tamen *petitio hæreditatis*, ut dicitur *L. 25. §. 18. ff. de petit. hæredit.* etsi in rem actio sit, *habet præstationes quasdam personales, ut puta eorum, quæ à debitoribus exacta sunt* (& soluta *L. 31. in fin. ff. eod.*) *item pretiorum*, quæ possessor ex rebus hæreditarijs venditis redegit: idcirco dubitatur, an etiam ad hujusmodi personales præstationes, utpote ad quas de se competit actio solùm personalis, agi possit in loco, ubi res hæreditariæ sitæ sunt, cùm ibi solùm concedatur actio in rem. Responsio facilis est, si sequamur opinionem Glossæ *in rubr. ff. si cert. pet.* & Alex. *ibid.* quam veriorem & magis sustentabilem dicit Maranta *in specul. p. 4. dist. 3. n. 61.* petitionem hæreditatis habere causam mixtam, seu esse tam in personam quàm in rem, eò quòd duobus constet, videlicet rebus & præstationibus, quæ sunt personales. *L. 7. & cit. L. 25. §. 18. ff. de petit. hæredit.* In causis autem seu negotijs mixtis ita receptum est communiter apud DD. *in L. 2. ff. de V.O.* ut dispositio de uno simplici, quod est principale, procedat etiam de altero, ac proinde, quod de actione reali dicitur, eam esse proponendam coram Judice, ubi res sita est, id ipsum locum habeat in actione personali mixta cum reali.

211. Quæ modò de petitione hæreditatis dicta sunt, procedunt pariter de judicio *familiæ herciscundæ, communi dividundo*, & *finium regundorum*. Mar. Socin. *in C. 3. de For. comp. n. 6. declar. 7.* Roman. *consil. 197.* Tiraq. *de retract. lign. §. 8. Gloss. 5. n. 9.* Zanger. *l. c. n. 295.* quia licèt origine in personam sint, cùm in ijs unus alteri quasi obligetur, mixtam tamen causam habere videntur. §. *quædam actiones. 20. Inst. de Action.* & DD. *ibi*, hoc est, tam in personam sunt, quàm in rem. Quòd si de confinibus prædiorum rusticorum, de quibus solis competit judici-

um *finium regundorum L. 2. prin. & L. 4. §. fin. ff. finium. regundorum*, agendum sit, & prædia non sint sub ejusdem Judicis jurisdictione, adeundi sunt Judices, in quorum confinibus illa sunt sita, ut ipsimet causam audiant, aut alijs committant. *arg. C. 32. v. si verò de Sentent. excomm.* & *C. 11. de Offic. deleg.* vel illorum Judicum ac territoriorum communis Superior. Gail. *L. 1. obs. 32. à n. 3.* cum Bald. ac alijs, excepto casu, quo prædia essent feudalia: quia tunc cognitio pro litis & litigantium diversitate pertineret ad Dominum Feudi vel Pares Curiæ. Quòd si quis etiam actionem *quòd metûs causâ*, & *noxalem* mixtis annumeret, uti annumerant plurimi, idem de ipsis dicendum erit, videlicet in loco rei sitæ proponi posse. Si verò, quod tenent alij, sint personales, sequitur, proponendas esse non in loco, ubi res metu extorta est, vel ubi servus aut animal invenitur, sed ubi is, cum quo agitur, domicilium habet; vel in loco delicti, si ibi deprehendatur. Mixtæne autem an merè personales sint, decidendi hîc locus non est.

## §. III.

## *Quomodo Possessorio in loco rei sitæ agendum sit.*

SUMMARIUM.

212. *De possessione vel quasi agitur, ubi res sita est.*
213. *Sive agatur de retinenda possessione.*
214. *Sive de recuperanda.*
215. *Sive de adipiscenda.*

212. Rescripserunt Impp. *L. un. C. ubi de possess. agi oport. Ubi aut vis facta dicitur aut momentaria possessio postulanda est, ibi loci Judicem adversus eum, qui possessionem turbavit, convenit judicare.* Et *L. un. C. ubi de hæredit. agatur: illic, ubi res hæreditarias esse proponis, hæredes in possessionem rerum hæreditariarum mitti postulandum est.* Ex quo Bald. Salicet. & DD. generale hoc axioma deducunt, ibi de possessione vel quasi agi posse, ubi res constituta est. Verùm quia *interdicta omnia, licet*

*cet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt*, ut ait Ulp. *L.* 1. §. *3. ff. de interdict. sive extraord. act.* idcirco dicendum videtur, exercenda esse non in loco, ubi possessio est, sed ubi reus domicilium habet, nisi in loco possessionis turbatæ reus deprehendatur. Sed non refragatur Ulpianus decisioni Impp. non enim ait, judicia possessoria esse personalia, sicut actiones personales, quódque harum naturam sequantur; sed realia agnoscit, qualia reverâ sunt, & personalia nominat, quò discernat ab edictis Prætorum, quæ sunt Lex Prætoris, & Jus generale ad omnes pertinens; cùm è contrario Interdicta sint jus privatum, seu ejus litigatoris, qui interdicto experitur, & quod Prætor solùm inter litigantes interdixit. Pariter non obstat, quod Impp. *L.* 2. *C. de interdict.* ajunt: *Præses provinciæ in eum, qui ejus provinciæ non est, nec ex interdicto potest cognoscere* Nam, ut cum Bald. ac alijs explicant Donell. & Brunnem. *ibi*, sensus duntaxat est, tametsi interdicta parùm noceant, cùm de possessione solùm agatur, non tamen coram Præside hujus provinciæ posse agi contra extraneum, si non turbavit possessionem hîc, sed solùm alibi.

213. Cùm igitur ad exemplum actionum realium agi de possessione vel adipiscenda, vel retinenda possit, ubi possessio est, idcirco si quis me turbet, impediat, prohibeátve uti possessione rei mobilis, vel immobilis, vel etiam quasi possessione rerum incorporalium, ut jurisdictionis, juris eligendi, patronatûs, decimandi &c. servitutis, ususfructûs, rectè convenio turbantem interdicto *uti possidetis* aut *utrobi* in loco, ubi res sita, aut ubi vis turbativa facta est, tametsi adversarius alterius provinciæ sit. *cit. L. un. C. ubi de poss. agi oport.* & ibi Bart. Castr. Bald. Salicet. Albert. Fulgos. Menoch. *rem. 3. retin. poss. n. 316. & 323.* Pariter interdictum *de superficiebus*, quod exemplo interdicti *uti possidetis* comparatum esse notat Cuiac. *in paratit.* coram illo Judice proponendum est, sub cujus jurisdictione est solum, supra quod superficies existit. Eadem de causa interdicto *de itinere, actu*, & *viâ privatâ*, aut interdicto *de aqua quotidiana*, acturus, ibi turbantem

bantem aut impedientem convenit, ubi est prædium serviens, quod servitutem itineris, actûs, aut viæ debet. Eadem est ratio de interdicto *de rivis*, quo agitur de aquæductibus reficiendis. Eadem de interdicto *de fonte*, quo agit, qui ab hausţu & usu fontis ejúsve refectione impeditur. Ac universim, quando interdicto ad retinendam possessionem tendente agitur, vel Judicis officium imploratur, ut is turbatum in possessione vel quasi rei vel juris tueatur, aditur Judex, sub cujus jurisdictione possessio vel quasi est.

214. Similiter quando agitur de possessione recuperanda interdicto *unde vi*, similibúsque *recuperandæ* remedijs, judicat Judex loci, ubi possessio est. *cit. L. un. C. ubi de possess. & L. 38. ff. de Judic.* Quia verò vis etiam ibi fieri potest, ubi non est possessio, v. g. si fundus meus in territorio Palatino sit, & in Bavarico vim mihi quispiam inferat, eo animo, ut possessione fundi me privet, idcirco si ob vim illatam agere velim ex *lege Julia*, in territorio Bavarico agendum erit.

215. Si denique agendum sit ad adipiscendam possessionem interdicto aut *de tabulis exhibendis*, *quorum bonorum*, *quorum legatorum*, aut *interdicto Salviano*, aut ijs interdictis, quæ secundùm edictum Prætoris ex causa, ex qua Prætor pollicetur se bonorum possessionem daturum, dantur, ac oriuntur vel ex testamento, uti *bonorum possessio secundùm* vel *contra tabulas*, de qua *L. 37. ff. tit. 5. & 11. ac §. sunt autem. 3. Inst. de bonor. poss.* vel ab intestato, veluti *unde liberi*, *unde legati*, *unde cognati*, *unde vir & uxor*, de quibus *cit.* §. 3. & *L. 38. tit. 6. 7. 8. & 11.* eo loco agendum est, ubi tabulæ, vel hæreditas, vel legatum, vel res invectæ & illatæ, quæ pro mercede domino prædij obligatæ sunt, inveniuntur. Idem dicendum existimant Zanger. *l. c. n. 376.* Mevius *p. 5. decis. 395.* & Brunnem. *ad tit. C. de edicto D. Hadrian. toll. n. 5.* si agatur remedio *L. fin. C. eod.* aut si ex *L. 3. C. de pignor.*

§. IV.

## §. IV.

## *Utrùm Forum rei sitæ & domicilij concurrant.*

### SUMMARIUM.

216. *Actio realis solum in loco rei sitæ intentanda est.*
217. *Explicatur textus legis ult. C. ubi in rem actio.*
218. *Et legis un. C. ubi de hæredit. agatur.*
219. *Nec non L. 10. & seqq. ff. de R. V.*
220. *Affertur ratio assertionis, confirmatæ Statutis Bavariæ.*

216. Sensus quæstionis est, an actio realis pro arbitrio actorum intentari possit in foro rei sitæ, aut domicilij. Affirmat cum Innoc. Panor. Mar. Socin. Bart. ac Baldo communis Interpp. *in cit. L. 1. & ult. ubi in rem act.* Quam opinionem non tantùm in Scholis, sed etiam praxi fori receptam esse testatur Vult. *in cit. L. 1.* E contrario actione reali non in loco domicilij (nisi in hunc ultrò consentiat) sed tantùm ibi, ubi res sita est, conveniri reum posse, tenent Host. post Gloss. *in C. sanè 3. de For. comp. v. provincia,* Donell. *L. 17. c. 17. lit. D.* & *ibi* Hillig. Zanger. *c. 1. p. 2. de except. n. 346.* Prænob. D. de Bassis *in 50. decis. Justin. decis. 4. n. 10.* Ego verum esse censeo, quod Zanger. *l. c.* ait, hanc sententiam melioribus & firmioribus rationibus niti, & nec judicando, nec respondendo ab ea recedendum esse. Nam constat ex veteri vindicandi ritu, & fatentur adversarij, olim necesse fuisse vindicationem institui in loco, ubi res ipsa erat. Et licèt superstitiosa formularum veterum scrupulositas sublata fuerit quà desuetudine quà *L. 1. C. de formul. sublat.* id tamen, quod de foro sortiendo constitutum fuerat, nullibi mutatum invenitur; imò potiùs stabilitum est: nam *L. ult. C. ubi in rem act.* rescribunt Impp. *Sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversùs possidentem moveri.* En! non tantùm permittunt moveri actionem in loco rei sitæ, sed jubent. Et malè jussissent absolutè, in uno loco moveri, si permisissent moveri

moveri etiam in alio : ſicut abſolutè juberi non poſſum comparere hoc die, ſi poſſum comparere & alio. Pariter *L. un. C. ubi de poſſeſſ. agi oport. ibi*, inquiunt, *loci judicem adverſus eum, qui poſſeſſionem turbavit, convenit* ( oportet ) *judicare.* Et *L. un. C. ubi de hæredit ag. illic* ( aiunt ) *ubi res hæreditarias eſſe proponis, in poſſeſſionem rerum hæreditariarum mitti poſtulandum eſt.* Quibus verbis optio eligendi fori excluditur, & neceſſariò forum rei ſitæ ſequendum eſſe dicitur. Denique JC. *L. 38. ff. de Judic.* cùm dixiſſet, legatum, ſi per actionem perſonalem exigatur, ibi dari debere, ubi eſt legatum &c. addit: *ſi autem per in rem actionem legatum petetur, etiam ibi peti debet, ubi res eſt.* Senſus eſt, ſi actione in rem legatum petatur, ibi, ubi eſt, non tantùm dari, ſed etiam peti debere. Non dicit *poſſe* peti ( quod dicendum fuerat, ſi alibi quoque peti poſſet ) ſed *debere.*

217. Non obſtat text. *L. ult. C. eod.* ubi dicitur: *actor rei Forum, ſive in rem ſive in perſonam ſit actio, ſequitur.* Nam etſi hîc dicant Impp. forum rei ſequendum eſſe, etiam quando actione in rem agitur, mox tamen explicant, quodnam ſit forum competens rei, quando actio realis intentatur, dum addunt: *ſed & in locis, in quibus res, de quibus contenditur, conſtitutæ ſunt, jubemus in rem actionem adverſus poſſidentem moveri.* Neque verum eſt, quod Adverſarij dicunt, particulas *ſed &* eſſe copulativas, ſeu denotare, quòd non tantùm in foro ordinario, id eſt domicilij, conveniri reus actione in rem poſſit, ſed etiam in loco rei ſitæ: hanc enim explicationem non admittit verbum *Jubemus*: nam ſi etiam in loco domicilij conveniri reus poſſet, non juberetur actor agere in loco rei ſitæ. Igitur illæ particulæ, ut modò dixi, & notant Zanger. ac Hillig. *ll. cc.* explicativæ ſunt, ſeu explicant, quod ſit forum rei actione reali conventi, nimirum forum rei ſitæ, ita ut dicant Impp. ſe ſtatuere, ut actor forum rei ſequatur; *ſed &* illud ſe jubere, ut ſi actio in rem intentetur, in loco rei ſitæ, tanquam tunc competente, adeatur: ut adeò particula & non connectatur cum verbis *in locis*, ſed cum verbo *jubemus.* Neque hoc

eſt

est miserè torquere textum, ut Donello objicit Bachov. *disp. 1. de action. th. 32. lit. c.* sed ritè exponere, cùm nec mandatum Impp. jubentium actionem realem in loco rei sitæ proponi, nec verbum *debet cit. L. 38. ff. de Judic.* positum, aliam explicationem admittat. Non ignoro, idem verbum *debet*, quod JC. adhibet *L. cùm certum. 9. ff. de aur. & arg. leg.* non importare necessitatem, sed æquivalere verbo *posse*. At ex eo, quòd aliquis terminus alicubi in sensu omnino improprio & alieno sumitur, non sequitur, quòd etiam alibi positus propriam vim significandi non retineat: aliàs tam textus *L. 19. §. 1. ff. de Judic.* quàm alij, per verbum *debet* necessitatem imponentes, per affictum sensum improprium eludi possent.

218. Pariter non obstat textus *L. un. C. ubi de hæred. agatur*, ubi dicitur, si petitorio agatur super hæreditate, agi debere in loco, ubi domicilium habet reus, aut res hæreditariæ sitæ sunt. Nam cùm petitio hæreditatis causam mixtam habeat, hoc est, detur tam in personam, quàm in rem *L. Sed etsi. 25. §. 18. ff. de hæredit. pet. L. hæreditatis. 7. C. eod.* & *L. si suspecta. 29. §. 4. ff. de inoff. test.* Zanger. *l. c. n.* 350. Schneidevvin. *in §. actionum. Inst. de action. rubr. de petit. hæred. n. 2.* post Castr. Bart. ac alios *in cit. L. 7. & 25.* idcirco mirum non est, tam in loco domicilij, quàm rei sitæ proponi posse. Quod pariter juxta Zanger. *l. c. n.* 351. erit dicendum de alijs actionibus mixtam causam habentibus, uti est v. g. *familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum.* Dixi autem, si petitorio agatur super hæreditate, forum competens esse etiam locum domicilij: si enim ago de possessione hæreditatis, & me in bona hæreditaria mitti peto ex *L. fin. C. de edict. D. Hadr. toll.* coram Judice tantùm, ubi res positæ sunt, id facere possum, nec alibi, ut habetur *cit. L. un. C. ubi de hæred.* DD. *ibi*, & Menoch. *remed. 4. adip. poss. à n. 402.*

219. Non denique obstant *L. 10. & 2. segq. ff. de R. V.* juxta quas mobilis res restitui debet, ubi est, aut ubi agitur. Non enim ibi universim traditur, etiam alibi agi actione reali posse,

quàm ubi res est; sed solùm statuitur, si alibi agitur, restituendam quoque ibi esse, ubi agitur; posse autem quandoque extra locum, ubi res sita est, agi, non diffiteor, nimirum quando illa pendente hîc judicio aliò translata est, aut quando contra reum consentientem ago in loco domicilij, aut quando possessor dolo malo ante judicium eam aliò transtulit, cùm tunc in loco domicilij conveniri possit, quasi ibi possideat, quia *pro possessione dolus est L. 131. de R. J.* aut denique quando res mobilis alicubi invenitur solùm in transitu, & mox iterum abducenda est, juxta dicta *n. 203.* Auctoritati Vulteij, contrariam opinionem praxi fori receptam asserentis, oppono aliam Gudelini *L. 4. de Jure noviss. c. 2. §. tertiò* testantis, praxi maximè observari, ut ibi duntaxat actio in rem vel de possessione intendatur, ubi res sita est.

220. Ratio cùm hujus praxis, tum nostræ sententiæ est, partim quia ibi, ubi res est, longè commodiùs actio intentari & judicium perfici, ac executioni mandari potest: partim quia actionibus realibus agitur ad rem ipsam contra possidentem, & in illis persona non est obligata *§. omnium. 1. Inst. de action. v. aut cum eo agit.* ac idcirco longè convenientiùs ibi agitur, ubi res obligata sita est. Qua de causa Jure Bavarico receptum est, ut actio realis solùm in loco rei sitæ instituatur, sive de allodialibus sive de feudalibus agatur. Es soll niemand sein Aigen noch Lehen schuldig seyn zu verantworten / dann in dem Gericht / darin es gelegen ist. Landrecht *tit. 11. art. 1.* Idémque in specie statuitur de actione hypothecaria in Ordinationibus Processûs Edictalis *tit. 3. art. 1.*

PARS

# PARS III.

# De Foro Ordinario Singulari.

## CAPUT I.

## De Foro Competente Clericorum.

### §. I.

### *An Clerici sint exempti à Jurisdictione Seculari.*

SUMMARIUM.

221. *Ordo doctrinæ proponitur.*
222. *Et contrà sentientium opinio.*
223. *Eorum argumenta ex S. Scripturâ.*
224. *Et SS. Canonibus diluuntur.*
225. *Statuitur Catholica doctrina, Clericorum personas à Seculari Jurisdictione esse exemptas.*
226. *Respondetur ad Leges oppositas Justiniani Imper.*
227. *Nonnullæ inde sequelæ deducuntur.*

221. Ordinem secutus, quem mihi suprà *n. 9.* proposui, de Foro Singulari, quod quidam *Privilegiatum* dicunt, hîc agam. Et licet non tantùm quædam personæ, sed etiam causæ à Foro communi lege, vel humanâ, vel Divinâ, aut potiùs ipsâ suâ naturâ exemptæ sint, ita ut non cujusvis Judicis jurisdictioni, in cujus territorio existunt, sint subjectæ: separandas tamen hîc duxi, acturus modò de Personis, ac postea *P. V.* de Causis. Initium facio à Personarum Ecclesiasticarum exemtione & immunitate personali, vi cujus in criminalibus & ratione delictorum, ac etiam in civilibus, saltem si actione personali conveniuntur, respondere coram Magistratu politico non tenentur: neque enim huc pertinet illa Immunitas altera, quæ, quòd rebus Ecclesiasti-

cis competit, *Realis* dicitur; uti nec illa, quæ *Localis* appellatur, quòd ſacris Deóque dicatis locis debetur.

222. Clericos olim ſub Imperatoribus Ethnicis Magiſtratui laico ſubjectos fuiſſe, quidam etiam Catholici DD. tradidere. Etiam ſub Imperatoribus Chriſtianis ipſos quoque SS. Pontifices quondam jurisdictioni ſecularium Principum fuiſſe ſubditos, aſſerunt præter alios heterodoxos DD. Matth. Stephani *L. 3. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 96.* Thom. Michaël *de Jurisd. theſ. 10.* Carpz. *pract. crim. p. 3. q. 110. n. 83.* ubi magno hiatu & pari audaciaac temeritate aſſerit, Clericorum exemptionem eſſe contrariam Juri Divino, non ſolùm Eccleſiam antiquam (quam quia abjecit, contemnendam putat.) ſed etiam Chriſtianos Imperatores, qui hanc immunitatem ſuis legibus ſtabilierunt, violati Juris Divini reos agens. Etiamnum ſubjectos eſſe ait Wiſſenbach *ad Pandect. Lib. 2. diſp. 6. n. 38.* ſecutus Petrum Vermilium, poſtea dictum Martyrem, celebrem olim Florentiæ concionatorem, & demum celebrem apoſtatam ac Calviniſtam. His initio ſeculi XII. præiverat hæreſiarcha Marſilius de Padua, negans inter alia, Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, & ſubjectum Imperatori aſſerens.

223. Argumenta pro hoc errore, uti pro cæteris, Martyr, & aſſeclæ depromunt ex SS. Literis. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Rom. 13. v. 1. Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe. Tit. 3. v. 1.* ergò, inferunt, Clerici ſecularibus judicijs ſunt ſubjecti. Verùm mala eſt hæc illatio, nec regulis ullis aut Dialecticæ aut Juris conforme, ex univerſali aſſerto de ſubjectione ad aliquam poteſtatem inferre ſubjectionem ad poteſtatem certam: hac enim ratione ex eo, quòd Europæi ſubjecti eſſe debemus poteſtati altiori, ſequeretur nos eſſe ſubjectos Principibus Aſiæ v. g. aut Africæ. Ut ergò ex illis aliisve Scripturæ Sacræ textibus deduceretur ea ſequela, probandum priùs foret, laicos eſſe Clericorum Superiores & Judices competentes: de his enim ſolis Deus ibi loquitur, non de quocunque

que Magistratu. Æquè ineptè Carpz. *l. c.* adducit *c. 20. Matth. c. 10. Marc. c. 22. Lucæ*, ubi dicitur, quòd *Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos &c.* Multò verò ineptissimè Wissenbach. *l. c.* illud *1. Petr. 3. v. 1. mulieres subditæ sint viris suis.* Melius ex eo, quòd Principes suis subditis, viri suis uxoribus dominantur, concluserint, se esse subditos SS. Pontificis: foret enim saltem consequens verum, etsi mala, æquè ac illa ipsorum, consequentia. Nimirum illis effatis sacris solùm dicitur, subditos Superioribus obedientiam debere; non verò, quibus Magistratibus vel Laici vel Clerici subsint. Addunt Stephani *l. c. n. 97.* ac alij præjudicium, ut ajunt, Henrici IV. Imp. Pontificatum Benedicto X. abrogantis & Nicolaum II. substituentis: sed si ea, quæ injuriâ & violentiâ acta sunt, in exemplum adducuntur, adduci præter complura alia poterat etiam factum Neronis utrique Apostolorum Principi Claves cum vita extorquentis, & generosâ inde consequentiâ inferri, quòd Reges & Pontifices sint subditi parricidarum, à quibus coronâ & vitâ privantur. Denique factum D. Pauli producunt coram Judææ Præside respondentis & ad Cæsarem appellantis: ergò, inquiunt, eos agnovit suos Magistratus. Sed Paulus ad Præsidem illum vi adductus fuit, & ad Petrum Christi Vicarium remitti frustra ab Ethnicis & Judæis postulâsset. Cæsarem appellavit, id est, ut Syrus vertit, protectionem Cæsaris invocavit: & ad Judicem laicum contra laicos vim facientes, uti fecerant Paulo Festus Præses & Judæi, provocari posse à Clericis, quin illum agnoscant competentem suum Judicem, notius est, quàm ut declarari debeat.

224. Sed & SS. Canones afferunt, quibus, ut ait Carpz. *l. c.* ad oculum demonstratur, & ipsos Pontifices seculari jurisdictioni sese subjectos agnovisse. Verùm qui æquis illos oculis legerit, nullam ibi probationem, multò minùs demonstrationem ad oculum videbit. Scripsit Pontifex Imperatori, ut refertur *Can. 41. 2. q. 7. Nos, si incompetenter aliquid egimus, & in subditis*

*justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.* Sed hîc nihil aliud dicit Pontifex, quàm se ita confidere suæ innocentiæ, conscientiæque rectè factorum, ut nullius hominis judicium formidet, séque paratum esse emendare, quidquid à se peccatum esse quisquam ostenderit. Quod sæpe & alij Principes ac Magistratus erga suos subditos profitentur, quin in ipsis aliquam jurisdictionem agnoscant. Sic D. Petrus, dum *epist. 1. c. 3. v. 15.* paratos nos esse jubet semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe, non nos subjicit jurisdictioni omnium eorum, qui rationem fidei nostræ spéique à nobis exposcunt. *Can. 10. 11. & 13. dist. 10.* quos pariter adducunt Stephani & Carpz. *ll. cc.* nihil prorsus habetur, quod ad præsentem quæstionem faciat, ut mirum sit, viros doctos & veritatis amantes in animum induxisse eos adducere. Sed *Can. 7. & 8. 23. q. 8.* Imperatori rationem reddit Pontifex, quòd arma suscepisset pro defendenda Roma, inquit Stephani *l. c.* Verùm quis Laicus vel Clericus, dum alteri dicit, se nihil contra ejus jus feciisse, eum Superiorem agnoscit? Hoc autem dicit Pontifex Imperatori *cit. can. 8. scire vos oportet,* inquiens, *quòd nunquam ab aliquibus nostros homines finimus opprimi,* suos homines & subditos asserens Cives Romanos. Æquè parùm ad rem facit *Can. 9. cit. dist. 10.* ibi enim solùm dicit Pontifex, se capitula & leges Imperiales conservaturum, seu non permissurum, ut violentur: hoc autem etiamnum profitentur & faciunt SS. Pontifices, absque eo, ut se subjectos profiteantur laicis.

225. Igitur omissis heterodoxorum cavillis, asserendum est, esse Catholicum dogma & quod absque errore in fide negari non possit, Clericorum personas à jurisdictione seculari exemptas esse. Id enim traditur plurimis Canonibus, quos collegerunt Oliva *p. 1. Fori Eccl. q. 9. n. 1.* Em. Gonzalez *in c. 8. de Judic. n. 2.* Anton. Augustin. *in Epitom. Jur. Can. L. 30. tit. 5.* Coccius *tom. 2. thesaur. l. 8. art. 8.* Gretser. *de immun. Eccles. l. 2. per tot.* ac passim alij. Eséque

que servandam hanc immunitatem docuerunt non solùm Trid. *sess. 25. c. 20. de Refor.* sed & alia plurima Concilia tam Generalia quàm Provincialia ferè ab initio Ecclesiæ, ut demonstrat Suar. *in defens. Fid. lib. 4. c. 3. àn. 20.* Ex quibus, ut idem ait *n. 24.* evidenter concluditur, datum esse in Ecclesia Christi privilegium exemptionis à potestate seculari, cùm impossibile sit, tot Pontifices sanctos & sapientes, quorum multi etiam Martyres fuerunt, & tot Concilia Ecclesiam in hoc decepisse. Imò, ut idem loquitur, de fide certum esse debet, institutionem & observationem hujus privilegij honestam & sanctam fuisse & esse, nec à Clericis illud contra Imperatores & Reges (ut calumniantur hæretici) per tyrannidem vel injuriam fuisse usurpatum. Nam de fide est, Ecclesiam non posse errare in præceptis morum, quæ universali auctoritate Pontificum & Conciliorum Generalium observari præcipiuntur. Et in Ecclesia per plurimas leges Canonicas & universales approbatur hæc exemptio Clericorum, & observari præcipitur, ac novissimè innovatur & confirmatur à Trident. *l. c.* ergò de fide certum est, tam hoc Concilium quàm priora, & SS. Pontifices in hoc non errâsse. Ergo pariter de fide certum est, hoc privilegium fuisse indultum convenienter & validè, ac proinde esse observandum.

226. Neque obstant, quæ huic privilegio contraria habentur *L. 25. princ. L. 33. & 37. §. fin. C. de Episc. & Cler.* & *Novell. 83.* Nam hæ similésque immunitati Ecclesiasticæ contrariæ leges nunquam valuerunt, cùm Justinianus in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ nihil statuere potuerit, nec Canones Ecclesiæ abrogare, nec privilegium semel à Constantino *L. 7. tit. 2. lib. 16. Cod. Theod.* legitimè concessum, ab Impp. Theodos. & Valent. *L. 46. & 47. cit. tit. 2.* confirmatum, & ab Ecclesia acceptatum, revocare, *quia fas non est*, ut dicitur *cit. L. 47. ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Quin si valuissent leges istæ Justinianeæ, abrogatæ rursum fuissent, tum per *c. 4. 8. & 10. de Judic.* tum per *Authen. Statuimus. C. de Episc. & Cleric.*

*ric. & Auth. Cassa C. de SS. Eccl.* quarum primâ Fridericus II. Imp. statuit, *ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili trahere ad judicium seculare præsumat*; alterâ cassa & irrita decernit *omnia Statuta & consuetudines, contra libertatem Ecclesiæ ejúsque personas, inductas adversus canonicas & imperiales sanctiones.* Pariter non obstat Concil. Matiscon. 1. *c.* 7. & *can.* 6. Concilij Paris. V. nam propter iniquitatem illorum temporum Episcopi in ea Galliarum parte permittebant laico Judici cognitionem nonnullorum criminum, furti nimirum, homicidij, & maleficij à Clericis commissorum, uti observant Suar. *cit. l.* 4. *c.* 15. *n.* 8. Lotherius *de re benefic. l.* 3. *q.* 33. Emm. Gonzal. *l. c. n.* 12.

227. Ex dictis consequens est I. quòd processus factus à Judice Laico contra Clericum, quamvis ignorante esse Clericum, sit nullus: quia ubi deficit jurisdictio, acta sunt nulla. *C. ad nostram 3. de Consuetud. L.* 1. *C. si à non compet. Judic. C. Ex literis §. fin. de offic. & potest. Jud. Deleg. C. at si Clerici de Judicijs.* Consequens est II. quòd si Judex secularis capiat Clericum propter delictum, teneatur illum remittere absque ulla causæ cognitione ad Judicem Ecclesiasticum, si constet esse Clericum gaudentem fori privilegio. Quid verò agendum sit, si de Clericatu, aut amisso ejus privilegio dubitatur, dicitur infrà *p.* 5. *c.* 1. §. 2. Consequens est III. quòd peccet graviter tam Judex, qui attentat jurisdictionem in Clericum, quàm ille, qui Clericum ad Judicem secularem citari curat; quàm ipse denique Clericus, qui coram illo respondet: nisi sit in Minoribus Ordinibus & Clericatum deserere velit. D. Antonin. *3. p. tit.* 9. *c.* 2. §. 3. Silvester *in Summa V. Judex* 1. *q.* 2. *dict.* 3. Thom. Sanchez *in Opusc. Moral. lib.* 6. *c.* 1. *dub.* 1. *n.* 14. De Judice, & Adversario Clerici eum ad tribunal seculare trahente, patet cùm ex *can. Clericum cujuslibet* 3. *can. Clericum nullus* 17. & *can. nullus* 33. 11. *q.* 1. tum ex eo, quòd in re gravi violant immunitatem & libertatem Ecclesiasticam. De Clerico se judicandum sistente constat ex *cit. can. Clericum nullus*, ubi Clericis præcipitur, ut

ut coram Judice seculari non respondeant. Consequens est IV. quòd omnes tres sint puniendi. Et Judex quidem privandus est officio judicandi: is verò, qui provocat ad judicium seculare, causâ cadat, ac excommunicetur: ac Clericus comparens loco seu dignitate cadat, vel si malit, causâ cadat, quam evicit. *can. inolita 42.* & *can. placuit 43. 11. q. 1. C. si diligenti 12. de Foro Comp.* Silvest. *l. c.* Sanchez *l. c. n.* 13. cum Hostiensi ac alijs.

## §. II.

## *An Privilegium Fori Clericale sit Juris solùm Humani, & consuetudine, vel statutis Principum tolli possit.*

### SUMMARIUM.

228. *Proponitur doctrina affirmantium, privilegium Fori Clericale esse Juris Divini.*
229. *Explicatur & approbatur.*
230. *Affertur ejusdem ratio.*
231. *Exemptio Clericorum à jurisdictione seculari tolli nec consuetudine.*
232. *Nec præscriptione.*
233. *Nec statutis potest.*

228. Tria circa privilegium Fori Clericis competens in controversiam duci video. Primò enim dubitatur, sítne hæc exemptio Juris etiam Divini, an solùm humani. Illud asserunt propè innumeri quà Theologi & Canonistæ quà Legistæ, quos congerunt Delbene *de Immun. Eccles. p. 1. c. 1. dub. 2. sect. 1. n. 25.* & Emm. Gonzalez *l. c. n.* 10. quos quia secutus est Anton. Faber, ridiculus & ineptissimus Theologaster est Bachovio *disp. 1. de action. thes. 28.* ubi addit, quòd is talem se etiam in primordio sui Codicis egregiè ostenderit. Verùm quòd ita loquitur vir aliàs passim in eodem Fabro, uti & Hunnio, lacerando metas decori & æqui longè egressus, mirum non est. Interim, quæ

Faber libro primo sui Codicis contra Lutheri & Calvini dogmata profert, solidissima sunt, soláque sufficerent ad convincendos illorum assecias, nisi odio in Ecclesiam Catholicam excæcati malent in solis terrenis sapere. Illis certè, quæ ibidem disputat Faber, nunquam nisi per convitia & calumnias respondebunt. Posterius, nimirum exemptionem Clericorum esse Juris solùm Humani, tuetur Covarr. *pract. c. 31. n. 2.* cum Alciato, Valasco, Covallos, ac alijs, quos referunt Gonzal. *l. c. n. 11.* Cenedo *in decret. collect. 37. n. 1.* & Suarez *cit. L. 4. c. 8. n. 1.* Ubi tamen notandum duxi, ab hisce posterioris opinionis auctoribus ferè confundi Clericorum privilegium Personale cum Reali, & exemptione à tributis ac vectigalibus: quæ tamen distinguenda fuerant, cùm naturâ suâ, ut notum est, sint multùm diversa.

229. Pro prima sententia varia argumenta afferuntur, cùm ex SS. Literis, ut videre est apud Delbene *l. c. à n. 7.* & Suar. *L. 4. defens. Fidei c. 8.* tum ex Canonibus Conciliorum & decretis Pontificum. Potissima sunt, quia C. *quanquam 4. de Censib. in 6.* dicitur, quòd *Ecclesiæ, Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum, non solùm Jure humano, quin imò & Divino, à secularium personarum exactionibus sint immunes.* Eadem habentur in Concil. Lateran. sub Innoc. III. *c. 46.* & in altero Lateranensi sub Leone X. celebrato *sess. 9. in Bulla Reformationis*, ubi inquit: *cùm à Jure tam Divino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit.* Trident. *sess. 25. c. 20. de Reform.* dicit, *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam esse.* Frinsingense *anno 1440. can. 3. privilegium*, inquit, *Fori Ecclesiæ est immediatè a Jure Divino.* Colonense *p. 1. c. 20. Immunitas*, ait, *Ecclesiæ vetustissima res est, Jure pariter Divino & humano introducta.* Rationem dant Gregorius VII. *Can. 9. dist. 96.* & *ibid. Can. 10.* Gelasius Papa. Unde resolutio certa est & indubitata, ut ait Suar. *cit. L. 4. c. 9. n. 1.* Clericos esse exemptos à potestate civili Jure Divino pariter & humano, ac necesse est, ut omnes auctores pro

pro utraque opinione allegati in hac generali resolutione consentiant. Solùm igitur dubium inter ipsos esse potest, quomodo Jus Divinum hîc sit accipiendum. Certum in primis est, per Jus Divinum hîc non intelligi Jus duntaxat Canonicum, uti manifestum est, cùm ex Trident. *l. c.* ubi Jus Divinum distinguit à Canonicis Sanctionibus, quæ nihil utique aliud sunt, quàm Jus Canonicum: tum ex reliquis Juribus allegatis, ubi pariter distinguitur Jus Divinum ab humano, ac per consequens ab Ecclesiastico, cùm istud reipsa humanum sit, utpote quod ab hominibus statuitur& mutatur. Deinde quando hæc immunitas dicitur esse Juris Divini, triplex sensus esse potest. Primus, quòd sit immediatè statuta à Deo, & Clericis concessa independenter ab omni Ecclesiæ dispositione, eo ferè modo, quo à Deo instituta sunt Sacramenta, corúmque forma ac materia, aut Lex statuta de sumenda SS. Evchariſtia, suscipiendo Baptismo, faciendà peccatorum confessione &c. Hac ratione certum est, & fatendum omnibus, immunitatem illam non esse Juris Divini. Alter sensus est, quòd potestas illam communicandi Clericis sit immediatè à Christo concessa SS. Pontifici, ac etiam præceptum eidem impositum eam communicandi: quo sensu erit hoc privilegium mediatè quidem à Christo respectu Clericorum SS. Pontifice inferiorum, immediatè verò solùm ab Ecclesia. Tertius est, quòd privilegium exemptionis immediatè sit à Deo, & ab ipso non solùm promissum ac præceptum, sed etiam datum & actu concessum Clericis, cum potestate tamen Ecclesiæ factâ illud declarandi, & ubi expedierit, moderandi. Alterutro ex his duobus modis immunitatem hanc esse Juris Divini necessariò dicendum est: quia aliàs nullo modo verum esset, quod constanter affirmant Concilia & Pontifices, eam esse Juris Divini. Neque enim valet, quod aliqui dicunt, Clericos exemptos quidem esse Jure Divino quoad causas spirituales, non tamen quoad temporales. Nam citati textus non loquuntur de causis, & rebus, sed de personis, & de his speciale quid declarant, quod non com-

petit laicis: nihil autem singulare haberent præ laicis, si solùm ratione causarum essent exempti, cùm etam laici quoad causas spirituales laicæ potestati non sint subjecti. Neque distinguunt inter causas profanas & sacras, sed absolutè pronuntiant, ipsos esse Jure Divino à potestate laica exemptos. Et quia Constitutiones tam sacræ quàm profanæ in sensu proprio explicandæ sunt, quando subjecta materia id patitur, uti patitur hîc, idcirco posterior explicandi ratio præferenda est: non enim propriè dicitur esse de Jure Divino, quod immediatè ab Ecclesia statuitur, tametsi ex potestate vel præcepto Dei originem ducat: sicut potestas regia non dicitur propriè Juris Divini; quia collata est ab hominibus, tametsi à naturali lege ac potestate Divina sumat originem, ut discurrit Suar. *l. c. c. 9. n. 19.* Ubi plures alias rationes pro hac ultima explicatione affert, & more suo doctissimè de hac immunitate agit *cit. L. 4. à c. 1. usque ad 17.*

230. Ratio intrinseca, cur cum Concilijs & Pontificibus asseram, hanc immunitatem Clericorum personalem alterutro ex dictis modis esse Juris Divini, hæc est: quia, ut per se patet, Clericalis Status est altioris ordinis, ac gradûs, quàm laicorum, sûntque Sacerdotes, etiam non Episcopi, Fidelium Patres ac Magistri. Unde, ut dicitur *cit. Can. 9. & 10. dist. 96.* sicut filius patrem, discipulus Magistrum suæ potestati subjicere non potest, ita nec laici illos, à quibus credunt non solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solvi. Neque fas est, ut Divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio, ut loquuntur Impp. *n. 226.* relati. Hinc etiamsi diceremus, immunitatem hanc non esse concessam Clericis immediatè à Deo, suppositâ tamen Divinâ institutione Ordinis Clericalis, ex principijs naturalibus, ut ait Suar. *cit. c. 9. n. 4.* deducitur per illationem vel evidentem vel moraliter necessariam, quòd supremus Ecclesiæ Prælatus obligetur illam communicare inferioribus Clericis & Ecclesiæ ministris, & sub certa lege & modo eam constituere. Cùm enim sine hac immunitate non possit decentia & dignitas Clericalis Statûs conservari,

servari, necesse est, ut Christus illi, cui hujus Statûs curam commisit, præceperit, sive explicitè, sive implicitè & per ipsam ejusdem curæ & muneris commissionem, ut Clerum à seculari potestate exemptum haberet vel conservaret.

231. Alterum, quod moveri hic solet, dubium est, an privilegium fori Clericis competens tolli consuetudine possit. Tolli posse existimant Covarr. *practic. c. 31. n. 5.* aliique nonnulli, quos refert Delbene *p. 1. de immun. Eccles. c. 1. dub. 15. sect. 1. n. 14.* non tamen universim, sed quoad aliquos solùm particulares casus. Ita pariter docent Cevall. & Sesse apud Oliva *p. 1. Fori Eccles. q. 12. n. 5.* sed solùm in materia extrajudiciali, quando ob violentiam recurritur ad regia Tribunalia. Verùm communissima DD. etiam eorum, qui negant hoc fori privilegium esse Juris Divini, negat hanc vim consuetudini etiam immemoriali. Ratio patet: quia privilegium hoc est Juris Divini uno saltem ex duobus modis, quos paulò antè *n. 229.* explicavi, & ob rationem, quam dedi *n. 230.* Atqui notum est, Juri Divino nullam consuetudinem prævalere posse. Quin etiam transmisso, hanc immunitatem esse solùm Juris humani, constat, nullâ consuetudine, cui deest consensus legalis, & quam Jura reprobant ac damnant ut irrationabilem, legem abrogari posse. At consuetudo derogans huic immunitati Clericorum est destituta consensu legali, & reprobatur à Jure cùm *C. Clerici 8. C. qualiter. 17. de Judic. C. ad nostram*, & *C. cùm inter de Consuetud. C. noverit de Sent. excommun.* & *sess. 10.* Concil. Lateran. sub Leone X. tum *cit. Auth. Cassa C. de SS. Eccles.* tum denique damnatur, & quidem singulis annis coram Principum Oratoribus, in Bulla Cœnæ Domini, ac Bullâ Urbani VIII. *Romanus Pontifex editâ 5. Junij anno 1641.* Et licet *cit. C. Clerici* sermo solùm sit de privilegio fori in criminalibus, nihilominus ab omnibus, ut ait Suar. *cit. L. 4. c. 32. n. 3.* de tota libertate Ecclesiastica intelligitur; partim quia ratio textûs in quacunque materia hujus exemptionis æqualiter procedit, ut Panorm. & Decius annotârunt; partim quia

alij Canones & *cit. Auth. Cassa* absolutè de hac libertate loquuntur. Hinc est, quòd *C. Noverit de Sent. Excomm.* indistinctè excommunicantur omnes, qui servari fecerint consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiæ. Item excommunicantur Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum, in quibus hæ consuetudines servatæ fuerint. Illi itidem, qui secundùm illas judicare, vel judicata in publicam formam scribere præsumpserint. Quin in Bulla Cœnæ *canone 15.* excommunicantur, qui prætextu cujusvis consuetudinis contra libertatem Ecclesiasticam, etiam indirectè, statuta, ordinationes, & decreta, in genere vel in specie fecerint, vel factis usi fuerint. Et *canone 19.* subditur, quòd ad hoc, ut quis quomodolibet se in causis criminalibus Ecclesiasticorum interponere possit, requiratur specialis, specifica, & expressa licentia Sedis Apostolicæ. Ac tandem in fine dictæ Bullæ dicitur, quòd in omnibus & singulis, quæ in illa præmissa fuerint, nullatenus possit aut debeat in posterum præjudicari per quoscunque actus contrarios, tacitos vel expressos, neque etiam per patientiam seu tolerantiam SS. Pontificis, per quantumcunque temporis spatium continuatam. Videatur etiam citata Bulla Urbani VIII. ubi damnat omnia præjudicialia facta, & facienda contra libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, etiam sub prætextu, quòd Bullæ seu Constitutiones Pontificiæ non fuerint publicatæ vel usu receptæ, vel contrario usu, etiam decennali, & quantumlibet longissimo, ut prætenditur, abrogatæ.

232. Quæ modò de Consuetudine diximus, pariter procedunt de Præscriptione, ita, ut neque ista tollere privilegium Clericorum vel minuere possit. Nam ad præscriptionem requiritur bona fides: hanc autem habere in præsenti materia nequeunt laici, cùm ignorare non possint canones & leges, quibus illud tribuitur Statui Clericali. Accedit I. quòd tolli vel diminui ex parte nequeat, nisi aliqua Judici laico acquiratur jurisdictio in Clericos. Hæc autem acquiri præscriptione non potest. Omnis enim præ-

scriptio

scriptio supponit possidendi conditionem & capacitatem : at laici capaces non sunt quasi possidendi jurisdictionem spiritualem, qualis est, quæ exercetur in Clericos, cùm sicut causa sacra, tametsi litigantes sint laici, requirit & supponit jurisdictionem spiritualem & sacram, ita & persona sacra, tametsi causa, super qua litigatur, sit profana. Accedit 2. quòd omnis præscriptio requirit Juris adminiculum, videlicet, ut Lex concedat vel dominium rei præscribendæ, vel jus aliquod aut jurisdictionem, si hæc est præscribenda, cùm mutatio illa, & translatio dominij & juris, quæ fit per præscriptionem, fieri nequeat absque auctoritate & voluntate legislatoris. Atqui nullum Jus est, quod præscriptioni hujus jurisdictionis, de qua agimus, adminiculum præbeat: non quidem Civile, cùm hoc circa præsentem materiam nihil possit; non Canonicum, quia hoc, ut vidimus, modis omnibus resistit. Quæ hic pro contraria consuetudine & præscriptione opponi solent, fusè ac solidè rejiciunt Suar. *cit. c.* 32. Azor. *p. 1. Instit. mor. L. 5. c. 12. q. 1. §. quæri solet & seqq.* Oliva *p. 1. de Foro Eccl. q. 12. à n. 11.* Delbene *c. 1. de immun. Eccl. dub. 15. sect. 2. & seqq.* & *c. 5. dubit. 14. sect. 2. & seqq.*

233. Ex dictis apertum est, non posse à Principe laico privilegium fori Clericale aliquo statuto vel permissione tolli, vel etiam ex parte diminui. Cùm enim, si non est concessum immediatè à Deo, saltem ab Ecclesia inductum fuerit spirituali potestate (quod indubitatum & apud omnes DD. resolutissimum esse ait Oliva *l. c. q. 10. n. 22.*) consequens est, non posse abrogari lege aliqua vel statuto secularis Principis etiam supremi, ut præter alios demonstrant Covarr. *cit. c. 31. n. 4.* & Suar. *cit. L. 4. c. 30. à n. 6.* ubi *à n.* 13. ad contraria respondet. Imò nec ipse SS. Pontifex illud absolutè & simpliciter tollere potest, ut cum communi Canonist. tradunt idem Suar. *l. c. à n. 18.* Farin. *lib. 1. tit. 1. c. 8. n. 4.* Delbene *cit. c. 1. dubit. 2. sect. 3.*

## §. III.

## §. III.

## Quinam Clerici gaudeant Privilegio Fori.

### SUMMARIUM.

234. *Privilegio fori gaudent omnes Clerici, si servante a, quæ à Tridentino Concilio requiruntur.*
235. *Gaudent omnes Clerici sacro Ordine insigniti.*
236. *Et Clerici in Minoribus, si habent Beneficium, tametsi non gestent habitum & tonsuram Clericalem.*
237. *Beneficium si non habent, non gaudent, nisi habitum & tonsuram deferendo inserviant alicui Ecclesiæ vel in aliqua Schola Literis dent operam.*
238. *Gaudent Clerici Conjugati in criminalibus, si cum unica & virgine contraxerunt matrimonium.*
239. *Clerici, qui prædictas qualitates non habent, etiam immunitate à tributis & privilegio Canonis non gaudent.*
240. *Declaratur, quid nomine Beneficij in præsenti materia intelligatur.*
241. *Clericus in Minoribus, & Beneficium non habens, gestare simul habitum & tonsuram Clericalem debet, ut privilegio fori gaudeat.*
242. *Et quidem continuè ac semper.*
243 *Sufficit tamen, si alicui Ecclesiæ inserviat, aut operam studijs navet permittente Episcopo.*
244. *Servitium, quod præstat Ecclesiæ, debet esse continuum.*
245. *Prædictas qualitates non habens judicari nihilominus à Judice Ecclesiastico potest.*
246. *Clerici Conjugati etiam in civilibus causis incarcerari aut aliâ pœnâ corporis affici à Judice laico nequeunt.*
247. *Clericus in minoribus perditum ob neglectas illas qualitates privilegium recuperat, si denuò illas observat.*

248. *Clericus privilegio fori gaudet etiam quoad delicta ante Clericatum patrata.*

249. *Tametsi hunc assumserit ad declinandum jurisdictionem secularem.*

250. *Nec puniri post Clericatum relictum potest ob delicta illo durante patrata.*

251. *Dubium de Clericatu decidere solus Judex Ecclesiasticus potest, sive facti sit sive Juris.*

134. Non Presbyteros duntaxat, sed etiam quoscunque Clericos, solis etiam minoribus Ordinibus, imò & primâ tantùm Tonsurâ initiatos, gaudere fori privilegio, non tantùm in criminalibus, sed etiam civilibus, constat ex *C. nullus. 2. de For. comp. C. Clerici. 8. & C. cùm non ab homine. 10. de Judic. C. un. de Cleric. conjug. in 6.* dummodo habeant qualitates requisitas à Trident. *sess. 23. c. 6. de reform.* ubi postquam S. Synodus dixisset, nullum primâ tonsurâ, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutum, ante 14. annum Beneficium obtinere posse, subjungit: *Is etiam* ( qui primâ solùm tonsurâ initiatus, aut in minoribus Ordinibus constitutus est ) *fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. In Clericis verò conjugatis servetur constitutio Bonifacij VIII. quæ incipit Clerici: modò bi Clerici, alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Clericali habitu & tonsurâ utantur.*

235. Ex qua Tridentini constitutione plura, quæ ad rem præsentem faciunt, consequuntur. Primum est, quòd Clerici majore aliquo seu sacro Ordine insigniti gaudeant privilegio fori, tametsi nec habitum nec tonsuram gestent, nec Beneficium aliquod habeant. Ratio patet, quia prædictas qualitates S. Synodus

dus solùm requirit in ijs, qui primâ duntaxat tonsurâ aut minoribus Ordinibus initiati sunt; non item in illis, qui Ordine sacro. Igitur circa hos sequendum est Jus antiquum: hoc autem Jure habent istud privilegium, tametsi habitum & tonsuram non gerant, nec Beneficium habeant, quia solus Clericatus requiritur, qui habetur per Ordinem susceptum, non per habitum & tonsuram, vel Beneficium Ecclesiasticum.

236. Alterum est, quòd Clericus minoribus Ordinibus aut primâ tantùm tonsurâ initiatus privilegio hoc gaudeat, si habet Beneficium, tametsi habitum & tonsuram non gestet. Ita plerique DD. malè contradicente Burgio & Curtellio apud Delbene *de immun. Eccles. c. 4. dubit. 7.* quia Trident. Beneficium & habitum ac tonsuram non requirit copulativè, sed solùm disjunctivè per particulam *aut*. Cæterùm etsi nec isti Clerici, nec ij, qui in majoribus constituti sunt, perdant ipso facto privilegium fori ob dimissum habitum & tonsuram, ut receptum est inter DD. & patet ex Trident. *l. c.* privari tamen per Ecclesiasticam sententiam ob dictam causam posse, constat ex *C. In audientia.* & *C. Contingit. de Sent. excomm.*

237. Tertium, quòd Clerici habentes solùm minores Ordines aut primam tonsuram, non tamen Beneficium, ad hoc, ut fruantur privilegio fori, non tantùm habitum & tonsuram gestare debeant, sed etiam ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inservire, vel cum ejusdem licentia in aliqua Schola aut Universitate literarum studijs vacare. Unde si horum quidpiam omiserint, laici reputantur, & coram Judice laico respondere tenentur, ac onera civilia, ut alij laici, ferre. Patet ex citatis Tridentini verbis, & concordant DD.

238. Quartum, quòd Clerici conjugati, qui cum unica & virgine contraxerunt matrimonium, præter privilegium canonis habeant etiam privilegium fori, ita ut propter delicta, sive criminaliter sive civiliter tantùm de ijsdem agatur, trahi ad Judicem laicum nequeant. Ita habetur *C. Clerici un. de Clericis conjug. in 6.* quod juxta Trid. *l. c.* sequendum est. 239.

239. Verùm modò dicta uberiùs declaranda sunt, cùm variæ inde quæstiones oriantur. Dubit. I. an Clericus prædictas qualitates non habens non tantùm privilegio fori careat, sed etiam immunitate à tributis, & privilegio canonis. Solo privilegio fori non gaudere, cum Navarro aliísque pluribus tenent Clar. *L. 5. Sent. §. fin. q. 36. n. 19.* Garc. *de Benefic. tom. 1. c. 3. p. 2. n. 5.* Less. *L. 2. de Just. c. 33. n. 38.* & Diana *p. 1. tr. 2. resol. 34.* eò quòd Tridentinum hujus duntaxat mentionem faciat, & in odiosis non sit facienda extensio ab uno expresso ad non expressa. Afferunt pro se declarationem S. Congreg. Trident. Abstrahendo ab ista declaratione, quæ si authenticè proferretur, sequenda foret, mihi longè probabilius videtur, quod cum Bannez, Menoch. Azor, Graff. Molfes. ac alijs tenet Suar. *disp. 22. de Censur. sect. 1. n. 11.* & *L. 4. defens. Fid. c. 27. n. 14.* dictum Clericum nullo illorum privilegiorum gaudere. Nam si verba Concilij benè considerentur, apparebit, quòd hujusmodi Clericum voluerit haberi ut laicum. Cúmque faciliùs amittatur privilegium canonis, ut cum Panor. *in C. 1. de Apost. n. 6.* notant DD. quàm privilegium fori, multò item faciliùs immunitas â collectis & tributis tollatur, & longè magis munitæ esse debeant personæ, quàm bona Clericorum, videtur, quòd cùm privilegium fori ademerit, à fortiori adempta esse voluerit reliqua. Accedit, quòd nemo potest esse subditus tributis, nisi sit subjectus jurisdictioni & foro, cùm impositio tributi sit quidam actus jurisdictionis, ac idcirco privilegium fori includit immunitatem à tributis, ut passim notant DD. & sumitur ex *C. quanquam de censib. in 6.* ergò qui non eximitur à foro & jurisdictione laicorum, non censetur exemptus ab eorum tributis. Unde negatur suppositum adversariorum, quòd fiat extensio ab expressis ad non expressa. Stat profectò pro posteriore hac sententia consuetudo nullibi reprehensa, ut notat Suar. *cit. n. 14.* quæ tamen tolerari non deberet, si contra immunitatem Ecclesiasticam esset.

240. Dubit. 2. Quid intelligatur nomine Beneficij, vi cujus

Clerici privilegio fori gaudent. Sufficere Beneficium propriè dictum, seu jus perpetuum percipiendi fructus Ecclesiasticos, tametsi fructus non percipiantur, certum est, & tradunt cum communi Garcias *de Benefic. p. 1. c. 6. n. 37.* & *p. 2. c. 2. n. 9.* Barbos. *p. 2. de potest. Episc. alleg. 12. n. 7.* & *in collectan. ad cit. c. 6. Trident. n. 15.* Idem procedit de Capellania Collativa, seu in titulum perpetuum collata: quia est verum Beneficium. Nec non de Coadjutoria à SS. Pontifice data. Et de Præstimonio in perpetuum collato, ac ministerium spirituale annexum habente. De Pensione ingens dubitatio est, eam hîc sufficere post Panor. Felin. Imol. Card. affirmantibus Suar. *cit. L. 4. c. 26. n. 9.* & *de Censur. disp. 13. sect. 1. n. 11.* Barbos. *cit. alleg. 12. n. 8.* aliisque compluribus; negantibus alijs, quos refert Delbene *de Immun. Eccles. c. 4. dub. 4. n. 4.* & Barbos. *in cit. c. 6. Trid. n. 19.* ac utrisque pro se quandam S. Congreg. Cardin. decisionem afferentibus. Certum est, si pensio talis est, quæ etiam laico conferri possit, non sufficere ad hunc effectum immunitatis, cùm nec insigne sit Clericatûs, neque ad statum Clericalem vel officium obliget. Idem dicendum existimo de ea, quæ Clerico quidem ut tali, sed duntaxat ad aliquod tempus determinatum, conceditur: quia sic nullo modo poterit dici Beneficium. Si verò detur ad vitam pensionarij, videtur sufficere: etsi enim ne sic quidem sit Beneficium propriè dictum, in materia tamen favorabili, qualis hîc est, Beneficio æquiparatur. Illud quoque controversum est, utrùm sufficiat solus Beneficij titulus, an verò insuper requiratur possessio. Hanc non requiri contra Jul. Clarum, Scaccia, Riccium, Farin. ac alios, affirmo cum Paris. *de Resignat. Benef. L. 7. c. 1. n. 47.* Covarr. *L. 3. var. c. 16.* Bonac. *de Legib. disp. 10. q. 2. pun. 1. §. 4. n. 12.* Barbos. *L. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 2. n. 14.* ac alijs compluribus, dummodo constet de valida collatione. Itáque decisum à S. Congreg. Trid. refert Delbene *cit. c. 4. dub. 5. n. 5.* Ratio est: quia is, cui collatio validè facta est, verum jus in re habet & Beneficium. Unde juxta decisionem Rotæ

in

in impetratione Beneficij facienda est mentio juris, quod quis habet in alio Beneficio, licèt illud non possideat. Addunt Delbene *l.c.dub. 6.* & Barbos. *l. c.* & *in cit. c. 6. Trid. n.* 13. cum Grassis, Squillante, ac alijs, eum, qui est in possessione Beneficij, privilegio fori gaudere, tametsi invalida ob irregularitatem aliúdve impedimentum fuerit collatio

241. Dubit. 3. An Clerico in minoribus constituto & Beneficium non habenti ad gaudendum privilegio fori necessaria sit gestatio tonsuræ simul & habitûs Clericalis. In Clerico non conjugato sufficere alterutrum, videlicet, ut vel tonsuram vel habitum deferat, tenent Farin. *q. 8. n. 65.* Scaccia *tom* 1. *de Judic. L. 1. c. 11. n. 9.* Diana *p. 4. tr.* 1. *resol. 93.* aliíque nonnulli: quia, ut aiunt, etsi Trident. utatur particulâ *Et*, hæc tamen non semper est copulativa, sed quandoque disjunctiva, ut patet ex *C. si Judex de sent. excomm. in 6.* aliísque Juribus. Verùm asserendum est cum communi, habitum & tonsuram conjungi debere: tum quia ita decidit S. Congreg. Trident. teste Belleto *p. 1. disquis. Cleric. tit. 3. §. 8. n. 7.* Riccio *p* 4. *decis. 154. n. 8.* & alijs: tum quia particula *Et* regulariter est copulativa, & disjunctiva solùm tunc, quando ponitur inter incompatibilia & pugnantia, aut quando ex subjecta materia vel circumstantijs sumitur, quòd accipiatur pro disjunctiva *vel*, ut fusè ostendit Barbos. *tr. de diction. usufreq. dict.* 110.

242. Dubit. 4. An ad gaudendum privilegio fori sufficiat deferri habitum & tonsuram quandoque aut per intervalla. Communis & vera responsio est, deferendum esse frequenter, imò semper & continuè, continuatione in sensu morali acceptâ. Secùs perditur privilegium ipso facto, & quidem absque prævia monitione. Licèt enim ad hanc privationem incurrendam propter alios actus Clericatui contrarios, retento tamen habitu & tonsurâ exercitos, requiratur prævia monitio, ut patet ex *C. 14. 15. 16. de vit. & hon. Cleric. C. un. eod. in 6. Can.* 1. & 2. *dist. 47. Can. 5. & 6. dist. 46.* hîc tamen eâdem opus non esse patet cùm ex varijs declarationibus S. Congreg. Trid. quas referunt Suar. *cit. L. 4. c. 27.*

*n.* 12. Riccius *p.* 4. *decis.* 154. *n.* 4. & *in praxi resolut.* 172. *n.* 2. Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 45. *n.* 18. ac alij; tum ex eo, quòd ea gestatio à Trident. requiritur tanquam conditio & forma necessaria; formâ autem deficiente corruere actum, & conditione non impleta dispositionem aut concessionem non valere, notius est, quàm ut explicatione indigeat. Dixi autem, illam gestationem debere esse moraliter continuam. Igitur isto privilegio non privatur, qui per accidens & solùm aliquando habitum aut tonsuram dimittit mox resumpturus. *arg.* **L.** *si quis ita. ff. de condit.* & *demonst.* & L. 3. *ff. de divort.* sed solùm, si consuetudinem non deferendi habet, ita ut vulgò laicus existimetur. Hinc teste Bonac. *l. c. n.* 14. & Sperelli *p.* 1. *decis. Fori Eccles. decis.* 26. *n.* 25. declaravit eadem S. Congregatio, Clericum, qui dimisso habitu Clericali homicidium commisit, & tanquam laicus captus fuit à seculari Magistratu, remittendum esse ad Ecclesiasticum, si Tridentini requisita servare consuevit. Vicissim si Clericus in minoribus habitum gerere non solitus crimen postea in habitu Clericali committat, non gaudebit privilegio, ut sumitur à sensu contrario ex *C. si Judex.* 12. *de Sent. excomm. in* 6. *v. idem esse censemus.*

243. Dubit. 5. An Clericus in minoribus constitutus habitúmque ac tonsuram deferens inserviat alicui Ecclesiæ, non tamen de mandato Episcopi, gaudeat fori privilegio. Spectatis verbis Tridentini expressè requirentis, ut de mandato Episcopi inserviat, negativè respondendum erit. At testantur cum Navarro Ricc. *p.* 4. *decis.* 111. *n.* 5. Diana *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 34. & *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 18. Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 176. *n.* 5. & Sperelli *l. c. n.* 31. sæpiùs declarâsse S. Congreg. Trident. non esse necessarium mandatum Episcopi; gaudere privilegio fori Clericum, tametsi inserviat alteri Ecclesiæ, quàm cui adscriptus est; item gaudere, modò alicui inserviat, tametsi nulli adscriptus sit. Tot autem & tantorum DD. testimonio fidem negare durum est, præcipuè cùm ipsa verba S. Congregationis afferant, præsertim Pignatelli *l. c.* Unde verba Tridentini *ex mandato Episcopi* intelligenda erunt solùm de voluntate

luntate Episcopi id permittentis. Hinc verò deducit Sperelli *l. c. n. 32.* & certissimum esse putat, Clericum in aliqua Schola vel Universitate Studijs vacantem etiam absque licentia sui Ordinarij, privilegio fori gaudere. Quod verum esse puto de licentia expressa: esse tamen necessariam permissionem seu tolerantiam videtur constare ex illis ejusdem Synodi verbis *de licentia Episcopi*, quæ frustra posita non sunt, forémtque frustra addita, nisi illa saltem permissio requireretur.

244. Dubit. 6. Quomodo Clericus frui volens hoc privilegio inservire debeat Ecclesiæ. Non satis esse, si quandoque tantùm inserviat, sed debere servitium esse continuum, convenit inter DD. Erit autem in æstimatione morali continuum, si sit pro majori temporis parte. Barbos. *cit. alleg. 12. n. 13.* Gratian. *discept. For. tom. 3. c. 440. n. 6.* Ricc. *p. 4. decis. 154. n. 5.* ubi ita declaratum refert à S. Congreg. Curtell. *de Immun. Eccl. L. 2. q. 35. n. 5.* ac alij. Præterea debet in servitio Ecclesiæ esse eo tempore, quo gaudere cupit imunitate; neque sufficit aliquando & priùs inserviisse. Existimant tamen Carol. de Grassis *de effect. Cleric. effect. 1. n. 1180.* Sperelli *l. c. n. 30.* & Diana *p. 1. tr. 2. resol. 34.* etiam hîc tempus moraliter sumendum esse, & sic non obesse immunitati, etiamsi nunc, quando delinquit, non inserviat, dummodo constet, circiter ante mensem inserviisse. Demum non debet inservire in temporalibus, sed in spiritualibus, seu exercitio sui Ordinis proprio.

245. Dubit. 7. An Clericus in minoribus non servans ea, quæ juxta Trident. requiri dixi ad immunitatem Clericalem, soli Judici laico subjectus sit. Judicari & puniri posse etiam ab Ecclesiastico, declaratum à S. Congreg. Concil. refert Bonacina *l. c. n. 19.* & Pignatelli *tom. 1. consult. 46. n. 1. & seqq.* & ita decisum non semel, ait Barbos. in *cit. c. 6. Trid. n. 26.* nec quempiam, qui id neget, invenire licuit. Ratio est: quia Jurisdictio Ecclesiastica in Clericos competit ratione Ordinis, ac propterea non est in ipsorum potestate per dimissionem habitûs & tonsuræ Clericalis factúmve

aliud

aliud aut omissionem præjudicare Judicis Ecclesiastici jurisdictioni, ut patet ex *C. cùm non ab homini de Judic. C. significásti* & *C. si diligenti de Foro comp. C. contingit 36. de sent. Excomm.*

246. Dubit. 8. An Clerici Conjugati, de quibus suprà *n. 238.* immunitate gaudeant non solùm in criminalibus, sed etiam civilibus. Negandum est cum communissima DD. contra Angel. Franc. Lap. Ricc. Marth. aliósque, cùm *cit. C. un. de Cler. conjug. in 6.* solùm exprimantur criminalia, & quoad hæc duntaxat esse exemptos à jurisdictione seculari declarârit S. Congreg. Trid. & deciderit Congregatio Episcop. apud Delbene *cit. c. 4. dub.* 11. *n.* 12. Illud tamen cum eodem asserendum est, non posse eos in causis etiam civilibus in carcerem conjici, aliáve corporali pœna affici, cùm certum sit ex *cit. C. un.* & multis declarationibus S. Congreg. Trid. quòd privilegio canonis gaudeant, & à laicis contra ipsos procedi in persona non possit, sed solùm in bonis.

247. Dubit. 9. An Clericus constitutus in minoribus amisso semel privilegio fori ob dimissum habitum & tonsuram, aliáve requisita, de quibus suprà *n. 233.* neglecta, illud recuperet, si denuò ea observet. Affirmant, & benè, cum communi plerorumque Covarr. *pract. c. 31. n. 8. v. 5.* Petr. Barbos. *in L. filia ff. solut. matr. n.* 33. Clar. *L. 5. §. fin. q. 36. n. 15.* Sperelli *l. c. à n. 18.* Sanch. *L. 7. de matr. disp. 46. n. 29.* Suar. *L. 4. defens. Fid. c. 27. n.* 18. ubi id certum esse existimat, & fusè demonstrat. Sumitur apertè ex *Clem. 1. de vit. & hon. Cleric. C. 2. eod.* & *cit. C. un.* Declarationem manifestam S. Congr. Trid. affert Suar. *l. c.* complures alias Delbene *cit. c. 4. dubit, 25. à n. 9.* & Pignatelli *cit. consult. 45. à n.* 4. ut adeò de hujus assertionis veritate dubitandum non sit. Hinc consequens est I. quòd Clericus, qui duxit unicam & virginem, si eâ mortuâ servet conditiones ad valorem hujus privilegij requisitas, illud recuperet quoad omnia, quæ alijs Clericis competunt. Sequitur II. quod ijdem tradunt, Clericum, qui dimisso habitu aut tonsurâ crimen commisit, & illum postea reassumpsit, privilegio fori gaudere, etiam quoad crimen commissum. Ita declara-

claravit S. Congreg. Trid. cujus verba refert Delbene *l. c. n. 17.* Ubi tamen benè notandum est, quod additur *modò in fraudem* &c. Igitur si in fraudem reassumeret habitum aut beneficium, privilegio non gauderet, cùm nemini sua fraus debeat patrocinari. In fraudem id facere censetur, si habitum resumat solùm ad vitandam jurisdictionem laicam, & sine animo Deo in Clericatu serviendi: qui animus abfuisse præsumeretur, si habitum postea rursus dimitteret, aut ad ulteriores Ordines non ascenderet &c. Barbos. *cit. alleg.* 12. *n. 29.* Delbene *l. c. dub. 26. n. 5.* Pignatelli *l. c.* & alij.

248. Dubit. 10. An laicus post commissum delictum Clericatum assumens ita gaudeat privilegio fori, ut propter crimen, quod priùs commisit, puniri nequeat à Judice seculari. Magnus hìc conflictus opinionum est, absolutè quibusdam negantibus, aliis absolutè affirmantibus. Distinguunt cum communi Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 1. q. 8. à n. 104.* & Covarr. *pract. c. 32. n. 4. concl. 1.* & 2. asserentes, puniri non posse, si Clericatum assumpsit sine fraude; secùs, si in fraudem assumpsit. *arg. L. hos accusare. §. hoc beneficio. v. item. v. dum non. ff. de accusat. L. si quis decurio. C. de fals. L. 1. C. qui milit. non poss. L. si maritus. ff. ad L. Jul. de adulter.* & *L. fin. ff. de re milit.* Iidem tamen cum Joan. Andr. Bart. ac cõmuni aliorum addunt, tametsi is in fraudem assumpserit, puniri tamen à seculari Judice in corpore non posse, sed solùm in pecunia & bonis. Fraus præsumitur, inquiunt Covarr. *l. c.* & Farin. *l. c. n. 110.* cum Claro ac alijs, quando ad Clericatum transijt post diffamationem, inquisitionem, accusationem, multóque magis, si post citationem, contumaciam, & condemnationem. Quod tamen alij de sola diffamatione non admittunt, præsertim si reus non tantùm Ordines minores sed & majores suscepisset.

249. Verùm alij absolutè asserunt, laicum, si post patratum delictum fiat Clericus, non posse ampliùs puniri à potestate laica, tametsi id faciat in fraudem, seu eâ intentione, ut vim potestatis secularis effugiat. Ita Aufrer. *de Potest Secul. super Eccles.*

*perſon. regul. 1. n. 19.* Genuenſis *in Praxi c. 9. n. 5.* Decian. *p. 1. Tract. Crimin. l. 4. c. 9. n. 60.* teſtans de communi. Vincent. de Franch. *deciſ. 209.* Surd. *deciſ. 110. n. 3.* Giurba *conſil. 15. n. 5.* Navarr. *Comment. 2. de Regular. n. 69.* Suar. *L. 4. Defenſ. Fid. c. 15. n. 16.* Tapia *L. 1. de Jur. Regn. tit. 2. n. 33.* Carol. de Graſſis *de Effect. Cleric. effect. 1. n. 107.* Ricc. *p. 4. deciſ. 357.* Squillante *de Privileg. Cleric. c. 7. n. 73.* Laym. *L. 4. Theol. Moral. tr. 9. c. 4. n. 12. aſſert. 3.* Pignatelli *tom. 1. conſult. 103. à n. 2.* aliqui. Rationem dant: quia cùm privilegium conceſſum ſit Statui Clericali, habet locum in quacunque perſona, quæ quocunque modo eum Statum aſſumit, cùm reſpiciatur Status ipſe, non autem modus & intentio, quibus aſſumitur. Nam quamvis intentio aſſumentis hunc ſtatum ſit ſe ſubtrahere jurisdictioni ſeculari, quia tamen in hoc utitur jure ſuo, nec injuriam cuiquam facit; ſicut ille utitur jure ſuo, qui poſt patratum delictum ad aſylum ſacrum confugit, cùm ſit in ipſius poteſtate & arbitrio ſe ſubtrahere, idcirco non debet carere privilegio, quod ſecum affert Status aſſumptus. Mihi hæc poſterior opinio præplacet cùm ob rationem allatam tum quòd *C. 2. de For. Comp.* abſolutè ſub pœna Cenſuræ præcipitur: ut *nullus Judicum* (ſecularium) *neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Eccleſiæ, ſine permiſſu Pontificis per ſe diſtringere aut condemnare præſumat.* Quod pariter ſtatuitur in Bulla Cœnæ *can. 15.* Si quis tamen poſt delictum patratum aſſumat Clericatum non animo ſe cultui Divino dicandi & ſtabiliter in Clericatu permanendi, ſed ſolùm ad tempus, ut interim evadat vim jurisdictionis ſecularis, ac poſtea redeundi ad Statum ſecularem, dicendum eſt cum Suar. *l. c. n. 17. & 18.* hanc fore malam fidem propriè dictam, & ſic locum eſſe priori opinioni. Poſſunt quoque dictæ opiniones cum quibusdam DD. ita conciliari, ut prior procedat in caſu, quando ante ſuſceptum Clericatum cœptum jam eſt judicium contra reum à Judice ſeculari per citationem aut certè per litis conteſtationem, uti requirunt Menoch. *de arbitrar. cent. 2. caſ.*

2. *caſ. 131. n. 8.* Pignatelli *tom. 2. conſult. 66. n. 21.* ac alij: cùm ibi perfici debeat judicium, ubi cœptum eſt. *C. Propoſuiſti de For. comp.* Poſterior verò opinio locum habeat, quando ante aſſumptum Clericatum cœptum nondum fuit contra delinquentem judicium. Sed & in priori caſu non poterit Judex ſecularis hujusmodi Clericum punire in perſona, ſed ſolùm in bonis, ut præter cit. DD. tradunt Boſſius *de Foro comp. n.* 244. Giurba *conſil.* 15. *n.* 33. Maſtrill. *deciſ.* 294. *à n.* 3. Pignatelli *cit. conſult.* 103 *n.* 9. Et ita ſæpius declaratum fuit à varijs Sacris Congregationibus Cardinalium, videlicet Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſt. & Epiſcoporum ac Regularium, ut teſtatur idem Pignatelli *tom. 2. conſult. 66. n.* 13. Eodem teſte *n.* 26. non ſemel declaravit S. Congregatio Immunitatis, gaudere immunitate Eccleſiaſtica quoad ſe & ſua bona eum, qui ad declinandas collectas aliáque onera laicalia Clericatum ſuſcepit. Cœterùm decidere, utrùm Clericatus ſuſceptus fuerit in fraudem, non eſt Judicis laici, ſed Eccleſiaſtici. Oldrad. *conſil. 4. in fin.* Giurba *l. c. n.* 33. Vulpell. *de Libert. Eccleſ. p. 2. n.* 41. Carol. de Graſſis *l. c.* 1079. Imò ſi laicus Judex dicat, Clericatum in fraudem ſuſceptum eſſe, onus probandi ipſi incumbit. Plaz. *in Epitom. Delict. c. 35. n.* 1. & 2. Farin. *cit. q. 6. n.* 111. Giurba *deciſ. 87. n. 7.* Pignatelli *cit. conſult.* 103. *n.* 19.

250. Dubit. 11. An qui durante Clericatu crimen commiſit ac poſtea Clericatum deſeruit, judicari tunc & puniri à laico Judice poſſit propter crimen in Clericatu commiſſum. Puniri poſſe, videtur ex modò dictis ſequi: ſi enim is, qui poſt crimen in ſtatu laicali commiſſum factus eſt Clericus aut Religioſus, puniri à ſeculari nequit, quia jam eſt Clericus jurisdictione ſeculari exemptus, è contrario poterit puniri laicus, qui fuit Clericus, quia Clericatu deſerto fit ſubjectus poteſtati laicæ. Verùm puniri laicum ob crimen in Clericatu vel Religione patratum à Judice ſeculari poſſe negant Covarr. *c. 31. pract. n. 8.* Clar. *L. 5. Sent. §. fin. q. 36. n.* 11. Petr. Barboſ. *in L. Titia. ff. ſol. matr.* Suar. *cit. L. 4. c.*

15. *n.* 14. ac aliorum communis apud Delbene *cit. c. 4. dub.* 30. *n.* 4. eodémque teſte declaravit S. Congregatio Immunit. 9. *Sept. a.* 1631. fori privilegio gaudere de præſenti laicum pro delicto ejus temporis, quo fuit Clericus. Quia ad gaudendum privilegio attenditur ſtatus temporis, quo delictum patratur, juxta *L.* 1. *ff. de Pœn.* at quando delictum commiſſum fuit, erat immune à jurisdictione laica, ergò huic etiam poſt mutatum ſtatum non ſubjicitur, cùm nullo jure cautum ſit, quòd amiſſio privilegij per dimiſſionem ſtatûs retrotrahatur ad tempus præteritum. Rationem diſparitatis inter utrumque caſum dat Delbene *l. c.* quia tranſiens à ſtatu Clericali ad laicum non tam mutat forum, quàm forum foro accumulat, nihílque obſtat, quò minùs ut jam laicus puniri à Judice Eccleſiaſtico poſſit: at verò tranſiens à ſtatu laico ad Clericalem omnino mutat non tantùm forum, ſed etiam ſtatum perſonæ, ita ut omnino eximatur à jurisdictione ſeculari. Affinjs quæſtio eſt, utrùm Clericus mulctatus exilio aut relegatione à Judice Eccleſiaſtico poſſit ab eodem puniri, ſi depoſito Clericatu violet exilium aut relegationem. Affirmativè reſpondendum eſt cum Genuenſi *in Praxi c. 9. n.* 3. Mad. *de Sacr. Ordin. c.* 3. *n.* 44. Squillante *de Privileg. Cleric. c.* 7. *n.* 108. Addition. ad Duard. *in Bullam Cœnæ l.* 2. *can.* 15. *ad q.* 11. *lit. D.* & Pignatelli *tom.* 1. *conſult.* 103. *n.* 5.

251. Ultimò tandem dubitatur, an in dubio, utrùm reus privilegio fori gaudeat, cognoſcere debeat Judex Eccleſiaſticus. Convenit facilè inter DD. ad ſolum Judicem ſacrum deciſionem pertinere, ſi dubium vel quæſtio Juris eſt, cujusmodi quæſtiones *à n.* 238. non paucas modò propoſui. Patet ratio: quia cauſas ſpirituales (qualis eſt omnis cauſa ſeu controverſia Juris Canonici) cognoſcere debet ſolus Judex Eccleſiaſticus. *C. quanto.* & *C. decernimus. de Judic. C. lator.* & *C. cauſam qui filij ſint legit. C. tuam de Ord. cognit.* De quæſtione facti, utrùm videlicet iſte reus ſit Clericus, an geſtârit habitum & tonſuram, habeat Beneficium &c. controverſia eſt. At eſſe non debet: cùm *C. ſi Judex.*

dex. 12. de Sent. excomm. dicatur: *dubitationis hujusmodi, an scilicet sit, qui reperitur, Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica & spirituali, vocato tamen Judice seculari, vel alio, cujus interest) cognitio pertinebit.* Quam responsionem Pontificiam celebrem esse ait Covarr. *c. 33. pract. n. 1.* & semper præ oculis habendam, fuisséque à Baldo *in L. si qua C. de Ep. & Cler.* & alijs maximè commendatam. Mirum profectò est, Guidonem Papæ, Clar. Bonell. aliósque, ausos fuisse dicere, in tali dubio competentem Judicem esse etiam laicum. Illud concedi posse videtur, quod tradunt Scaccia *L. 1. de Judic. c. 11. n. 89.* & Farin. *cit. q. 8. n. 34.* posse Judicem laicum summariam quandam informationem de Clericatu vel habitu clericali sumere, ad eum solùm finem, ut reum remittat ad Judicem sacrum; non verò ut pronuntiet, quòd sit vel non sit Clericus, gaudeátque vel non privilegio fori. Complures alias dubitationes de Habitu & Tonsura Clericali quoad privilegium Fori proponit & resolvit Pignatelli *tom. 3. consult. 7.* ad quem remittendus est Lector: cùm præcipua duntaxat eorum, quæ de Foro Competente afferri queunt, non singula (quod immensum foret) hîc persequi fuerit animus.

## §. IV.

## *An Religiosi gaudeant Privilegio Fori.*

### SUMMARIUM.

252. *Gaudent privilegio Fori Regulares utriusque sexûs.*

253. *Etiam Novitij.*

254. *Nec non Oblati, seu illi, qui se suáque in Religionis approbatæ servitium transtulerunt.*

255. *Et Fratres ac Sorores Tertij Ordinis S. Francisci, & S. Dominici.*

256. *Eremitæ quoque, si in communitate alicujus Religionis ap-*

*probatæ vivant, aut sub obedientia Prælati Ecclesiastici alicui Ecclesiæ deserviant.*

257. *Eodem gaudent Equites Teutonici & Melitenses.*

252. Regulares personas, eas videlicet, quæ in aliquo Ordine Religioso ab Ecclesia approbato consuetis votis se obstrinxerunt, gaudere privilegio fori, receptum inter Catholicos dogma est, traditum *C. quanquam de censib. in 6. C. Clericis de immun. Eccl. in 6. Can.* 15. *& 38.* 11. *q.* 1. *Auth. Statuimus. C. de SS. Eccles. Novell.* 123. *c.* 21. *L.* 36. *C. Theod. de Episc. Eccl. & Cleric.* Neque obest, si Ordine aliquo Ecclesiastico insignitæ non sint: nam nihilominus Ecclesiasticæ personæ sunt, quia obsequio Divino specialiter mancipatæ, ut patet ex *C. Duo sunt.* 12. *q.* 1. & *Can. si quis suadente.* 17. *q.* 3. Hinc S. Thom. *in 2. dist.* 44. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 1. & *ibid.* S. Bonavent. Richard. & alij dicunt, sub illis Christi verbis *ergò liberi sunt filij*, non tantùm Clericos ordinatos, sed etiam omnes, qui Apostolicam vitam sequuntur, omnia propter Christum relinquentes, comprehendi. Et quidem, uti notat Suar. *cit. L.* 4. *c.* 29. *n.* 8. illud non perdunt per apostasiam & dimisso habitu Religioso, sicut perdunt Clerici in minoribus constituti & Beneficium non habentes: quia quamdiu votis ligati sunt, manent personæ sacræ & Deo dicatæ. Non obstare *C.* 1. *de Apost.* idem Suarius ostendit *l. c.*

253. Quin & Novitios hoc privilegio gaudere, sicut gaudent privilegio canonis juxta *C. religioso §. quamvis. de Sent. excom. in 6.* constans est doctrina tam Canonistarum quàm Legistarum, quos longo ordine recensent Marta *de Jurisd. p.* 4. *c.* 121. *n.* 24. Tiraq. *de retract. lign.* §. 1. *gloss.* 2. *n.* 2. & Sanchez *L.* 6. *in Decalog. c.* 10. *n.* 10. uno ferè dissentiente Thoma Trivisiano *L.* 2. *Decis. Venet. decis.* 57. *n.* 17. Ratio est: quia religiosæ personæ reputantur, ut patet ex eo, quòd habent privilegium canonis; unde, uti notant DD. quibus hoc posterius privilegium competit, pariter competit illud fori.

254. Eodem gaudent etiam Familiares Religiosorum Ordinum,

dinum, quos *Oblatos* dicunt, seu illi, qui se suáque in Religionis approbatæ servitium transtulerunt. Ita Tuschus *lit. O. concluſ.* 16. Riccius *p. 2. deciſ. 88.* Peregrin. *L. 6. var. n. 71.* Squillante *de privil. Cleric. c. 7. dub. 1. n. 43.* Barbos. *de poteſt. Epiſc. alleg. 12. n. 39.* ac alij, & à S. Congreg. Card. declaratum refert Marta *p. 4. de Jurisd. cent. 2. caſ. 113. n. 37.* Hoc tamen non aliter, ut obſervant Ant. de Marinis *reſol. 114. n. 6.* ac alij, quàm si translationem illam fecerint per oblationem & dicationem legitimam & expreſſam, & ita, ut nihil bonorum vel ususfructûs sibi reservârint, nec in sua domo & cum conjuge commorentur, ac perpetuò Religioni serviant, deferántque habitum à secularium habitu distinctum, ídque in fraudem Magistratûs secularis seu ad evitandam duntaxat ejus jurisdictionem non fecerint.

255. Idem privilegium competere Fratribus & Sororibus Tertij Ordinis S. Franciſci & S. Dominici, contra Cevallos & Curtell. asserunt Suar. *disp. 22. de Cenſur. ſect. 1. n. 20.* Graffis *L. 2. deciſ. c. 49. n. 27.* Molin. *tr. 3. de Juſt. diſp. 50. n. 4.* Barbos. *l. c. n.* 41. & alij communiter, si quidem in commune vivant, & habitum Tertij Ordinis deferant: quia (etsi propriè Religiosi non sint, nisi tria vota essentialia emittant) Religiosam tamen vitam imitantur. Quin Tusch. *lit. B. concl. 470.* Gratiani *tom. 3. diſcept. for. c. 413. n. 38.* Rodriq. *tom. 2. qq. regul. q. 65.* Diana *p. 1. tr. 2. reſol.* 84. ac alij, id ipsis asserunt, tametsi non in communi, sed in proprijs ædibus vivant. Et quamvis multi id non concedant viris, nisi collegialiter vivant, concedunt tamen feminis, si vitam virginalem vel castam vidualem in manu Superioris Religionis voverint, etiamsi separatæ in proprijs ædibus degant. Ita Portell. *v. Tertiarij n. 7.* Piasec. *p. 2. prax. Epiſc. c. 3. art. 7. n. 11.* Squillante *l. c. c. 7. dub. 1. n. 42.* Marinis *l. c. reſolut. 114. n.* 11. ac alij, affértque hanc in rem declarationem S. Congreg. Card. Cherubin. *tom. 1. Bullar. conſtit. 22. Leon. X. Schol. 2.* ubi tamen viris id non conceditur, nisi collegialiter vivant.

256. Idem denique juxta Molin. *l. c.* Barbos. *l. c. n. 42.* Rodriq.

driq. *tom. 2. q. 62. art. 2.* Sanch. *L. 6. in Decalog. c. 16. n.* 10. Carol. de Graſs. *de Effect. Cleric. effect. 1. n. 102.* aliósque, Eremitis competit, ſi in communitate alicujus Religionis approbatæ vivant. Imò, ut volunt Marta *p. 4. de Jurisd. cent. 2. caſ. 213. à n. 4.* Squillante *l. c. c. 7. dub. 1. n. 44.* Marinis *l. c. c. 114. n. 4.* Duard. *L. 2. in Bull. Cœn. can. 15. q. 6. n. 2.* Laym. *L. 1. tr. 5. p. 2. q. 5. n. 4.* illo gaudent, tametſi in communitate Religioſa non vivant, modò facto paupertatis voto vel ſuſcepta obligatione apud Epiſcopum aliúmve Prælatum Eccleſ. Ordini, vel Eccleſiæ alicui, habitum Religioſum deferendo ex obligatione deſerviant ſub obedientia Epiſcopi vel alterius Prælati.

257. Ex dictis conſequens eſt, gaudere fori privilegio Equites S. Joan. Hieroſol. ſeu Melitenſes, & Teutonicos, cùm juxta communem DD. ſint verè ac propriè dicti Religioſi, quidquid in contrarium dicant Sarmiento, Sotus, ac alij apud Wagnereck *in C. 7. de converſ. conjug. not. 2.* Et quamvis tales in rigore non eſſent, attamen propter tria vota ſubſtantialia Religioſis accenſerentur. Neque dubium eſt, quòd ſint perſonæ Eccleſiaſticæ. An idem dicendum ſit de alijs Equitibus, ut S. Jacobi Calatravæ & Alcantaræ, S. Benedicti, S. Auguſtini, S. Lazari &c. controverſum eſt. Affirmant plurimi, quos referunt & ſequuntur Barboſa *cit. alleg. 12. n. 45.* Delbene *c. 1. dub. 11. n. 2.* & Sperelli *deciſ. 2. n. 97.* ubi *n. 120.* pro hac opinione affert declarationem S. Congreg. Card.

## §. V.

## *An Privilegio Fori gaudeant Eccleſiæ & Clericorum Miniſtri laici, Uxores, ac Liberi.*

### SUMMARIUM.

258. *Laici Miniſtri Eccleſiarum & Clericorum non gaudent privilegio Fori.*

259. *Niſi ſint de Familia Epiſcopi.*

260. *Parentes quoque, Uxores, Liberi Clericorum non gaudent.*

258. De Jure communi laicos Ecclesiæ & Clericorum ministros non gaudere fori privilegio, rectè tradunt cum Panor. Felin. & Archidiac. Clarus *L. 5. Sent. §. ult. q. 35. n. 18.* & Suar. *L. 4. defens. Fid. c. 29. n. 10.* tum quòd nullo id Jure cavetur, tum quòd Trident. etiam in Clericis minoribus Ecclesiæ servientibus requirit habitum & tonsuram. Hinc nisi aliunde constet, aliquem, qui Clericus non est, & habitum ac tonsuram non defert, gaudere hoc fori privilegio, dicendum est, quòd non gaudeat. Allegatur quidem pro eorum exemptione *C. ult. de Offic. Archidiac. v. specialibus Archiepiscopi.* Verùm ibi non agitur de Jure scripto, sed de consuetudinario, neque de isto casu, de quo hîc loquimur, ut benè ostendit Emm. Gonz. *in cit. C. ult. n. 3.* Profertur etiam *C. 2. de For. comp.* ubi à seculari potestate eximuntur etiam *minores*, qui serviunt Ecclesiæ, per quos, cùm ibidem distinguantur à Clericis, non nisi laicos intelligi posse aliqui existimant. Sed benè ostendit Suar. *l. c. n.* 11. ex *Can. 5. dist. 93.* & *Can.* 1. *dist. 77.* ibi per *minores* exprimi personas Ecclesiasticas nullum ordinem aut tonsuram habentes, quales sunt multi Religiosi; vel tonsurâ primâ initiatos, & Ecclesiæ ministerio addictos. Tertiò producitur *Can. 69.* 12. *q.* 2. ubi Ecclesiarum & Clericorum servi ab angarijs laicorum eximuntur. Verùm ibi per servos non intelliguntur liberi homines & famuli mercede conducti, sed mancipia: hæc autem inter bona computantur, & idcirco sicut alia bona Clericorum exempta sunt à tributis, & sicut ædes, jumenta, & vehicula ab angarijs aliisque publicis oneribus, ita & mancipia. Hinc pariter nihil ad rem facit, quòd juxta *L. 6. §. ult. L.* 22. & *L. 27. ff. ad municipal.* ac *L.* 2. *C. de municip. & origin.* servi manumissi sequuntur patronorum domicilinm & forum: non enim hinc argumentum duci potest ad ministros & familiares Clericorum; hi enim habent proprium suum forum, novi autem illi homines, quia aliud non habent, ideò forum patroni sequuntur tan-

quam nativum. Quartò denique affertur *c. 5. seſſ. 14. Trident. de Refor.* Sed ibi ſolùm contra injurias muniuntur duo familiares ejus, qui literas conſervatorias à Pontifice impetravit; non verò eximuntur à jurisdictione ſeculari, ſi ipſi delictum commiſerint.

259. De conſuetudine tamen fori privilegio gaudet familia Epiſcopi, ſeu illi, qui ejus obſequijs & miniſterio ſunt addicti. Et quidem non tantùm quoad delicta circa officium commiſſa, ut volebant Pereira ac alij nonnulli, ſed etiam quoad alia, ut poſt Hoſt. Joan. Andr. Butr. Imol. Archidiac. & Panor. tradunt Clar. *cit. §. fin. q. 35. n. 18.* Farin. *tit. de Inquiſ. q. 8. n. 46.* Marta *de jurisd. p. 4. cent. 20. caſ. 3. n. 2.* ac alij communiter. Et declaratum ſæpiùs eſſe à S. Congreg. Card. refert Delbene *c. 4. dub. 9. n. 10.* ac deciſum à Paulo V. & Urbano VIII. teſtatur Diana *p. 6. tr. 2. reſol. 4. & ſeqq.* Idque ad familiam etiam Vicarij Generalis Epiſcopi extendit Riccius *in prax. tom. 1. reſol. 471. n. 6.* cum Squillante, Novario, Diana, ac alijs: quia Vicarij & Epiſcopi eſt unum tantùm tribunal & jurisdictio, ac velut una duntaxat perſona. Ex quo tamen ſolùm ſequitur, quòd hoc procedat de familia Vicarij quà Vicarij, ſeu de ijs, qui in officio Vicarij miniſtri ſunt. Idem familiæ laicæ Epiſcopi Titularis Ciarlinus *Contr. For. c. 20. n. 19.* Delbene *l. c. dub. 17.* ac alij concedunt, & rurſus afferunt declarationem S. Congreg. Card. Idem extendunt ad familiam Cardinalium, nec non Nuntij Apoſtolici, cùm hic in ſua provincia habeat jurisdictionem ordinariam, æquè ac Epiſcopus in ſua Diœceſi, ac ſit ſupra Ordinarios, utpote vices gerens SS. Pontificis *C. 2. de legat. in 6.* Idem denique ad familiam Prælati territorium peculiare & jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in laicos habentis: cùm etiam iſte ſit Ordinarius & ab Epiſcopo non jurisdictione, ſed ſolùm conſecratione differat.

260. Aliorum Clericorum famulos, uxores, parentes, filios laicos, hoc fori privilegio neutiquam gaudere aſſerendum eſt cum communi contra Tiraq. ad *leges connub. gloſſ. 2. n. 54.* ac Diana *p. 3. tr. 1. reſol. 7.* aliósque, quos allegant. Nec enim jus com-

commune nec consuetudo ijsdem assistit. Imò resistit Trident. *sess. 23. c. 6. de refor.* dum ipsis etiam Clericis minores solùm Ordines & beneficium non habentes hoc privilegium non concedit, nisi habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ inserviant, aut in studijs cum licentia Episcopi versentur. Multò igitur minùs concedit illis, qui ne tonsuram quidem primam habent. Neque obstat, quòd exemptio à tributis concessa Clericis communicetur etiam ipsorum uxoribus *L. 2. C. de Ep. & Cler.* hoc enim non ampliùs procedit Jure novo *C. un. de Cler. conjug. in 6.* & Trident. *l. c.* ubi Clericis conjugatis solum fori privilegium, & quidem solùm in criminalibus, non verò exemptio à tributis conceditur. Neque verum est, quod asserunt, privilegium domino concessum competere omnibus, qui sunt de ejus familia. Ad *C. fin. de Offic. Archid.* quod hunc in finem allegant, respondi suprà *n. 256.* Pariter non valet, quod cum Gloss. *in C. admonere 8. 33. q. 2.* ajunt, quæ marito conceduntur, concedi etiam uxori; & uxorem sequi forum mariti *L. cùm quædam. ff. de Jurisdict.* nam sensus duntaxat est, quòd uxor sequatur domicilium mariti, & gaudeat privilegijs, quæ merè personalia non sunt, uti merè personale est privilegium fori, utpote Clericis solùm ratione Statûs & Ordinis concessum, sicut privilegium canonis, quo uxores & liberos Clericorum non gaudere certum est, & ipsi etiam adversarij fatentur. Illud admittendum est, quod declaratum à S. Congreg. Immun. refert Barbos. *L. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 2. n. 62.* Clerici filium legitimum ante clericatum susceptum gaudere privilegio fori durante vitâ patris: siquidem illa declaratio authenticè proferatur.

## §. VI.

### *An Clerici teneantur servare Leges Civiles.*

SUMMARIUM.

261. *Declaratur, ad quas Leges Civiles servandas non obligentur Clerici.*

262. *Obligantur vi directivâ servare illas, quæ sine expressione personarum de re temporali omnibus communi & ad mutuam societatem pertinente disponunt.*

263. *Tenentur servare solemnitates contractuum, taxam mercium, modum ponderum ac mensurarum &c.*

264. *Peccant æquè, ac alij, si dictas Leges non observant.*

265. *Compelli tamen vel puniri à Magistratu seculari nequeunt.*

266. *Variæ inde sequelæ deducuntur.*

267. *Tenentur non vi ipsarum Legum Civilium, sed ex æquitate naturali & voluntate Ecclesiæ.*

268. *Statutum seculare in specie disponens de Ecclesiasticis rebus vel personis, præcipiendo aut vetando, invalidum est.*

269. *Hinc invalidæ sunt non paucæ Authenticæ Justiniani.*

270. *Et aliorum Principum; nisi auctoritate Ecclesiæ robur acceperint.*

271. *Statutum seculare, quo onus imponitur, aut juri quæsito derogatur, non afficit Clericos, tametsi de his mentionem non faciat.*

272. *Tale est, quo imponuntur collectæ, aliæque præstationes.*

273. *Item illud, quo ingredientes Monasterium, aut Clericatum assumentes, aut Moniales in casum extantis masculi, successione excluduntur.*

274. *Vel bonorum immobilium alienatio in Ecclesiasticos prohibetur. Vel, quo præcipitur, ut bona Ecclesiæ relicta intra certum tempus vendantur.*

275. *Vel pœna aliqua aut inhabilitas statuitur.*

276. *Vel gabella detractionis, à transferentibus domicilium aut Religionem ingredientibus solvenda, imponitur.*

277. *Et, quo cavetur, ut res etiam immobiles triennio præscribantur.*

278. *Nec non illud, vi cujus immissio in possessionem Beneficij Ecclesiastici cum facultate laicorum facienda est. Exceptio hic ex Concordatis Bavariæ affertur.*

279.

279. *Pariter non valet Statutum laicorum quoad Clericos, quo ad ultimas voluntates aliquid requiritur ultra solemnitates Juris communis.*

280. *Eadem ratio est de Statutis & Pactis privatis Familiarum:*

281. *Territorialis Jurisdictio laicorum non ligat Clericos.*

282. *Minùs tamen exempti sunt, quàm Ecclesiæ, aliæque causæ piæ.*

261. Decisa jam hæc quæstio videri potest in præcedentibus: cùm enim ex hactenus dictis constet, privilegium fori competere Clericis & Ecclesiasticis personis; hoc vero privilegium nihil aliud sit, quàm exemptio à jurisdictione seculari, necessariò consequens esse videtur, eos non adstringi legibus civilibus seu secularibus, cùm obligatio ad istas proveniat à dicta jurisdictione seculari, à qua sunt exempti. Nihilominus tanquam certum tenendum est, exemptionem Clericorum non usque eò extendi, ut contra leges quascunque à seculari potestate latas agere licitè & impunè valeant. Ut verò ordine hîc procedatur, distinguendum est inter leges Civiles; ad aliquas enim earum servandas clarum est nullatenus adstringi Clericos. Tales I. sunt, quæ de re merè seculari, ac ad Clerum non pertinente feruntur, v. g. quibus ordinantur Judicia secularia: hæc namque in foro Ecclesiastico non observari necessariò, notum est. II. Illæ, quæ de materia & & re Ecclesiastica disponunt, v. g. de Votis, Ordinibus, & Beneficijs Ecclesiasticis: has enim ex defectu jurisdictionis nullas esse constabit ex infrà dicendis de Causis Sacris & Ecclesiasticis, ac fusè demonstratur à Suar. *L. 4. de Legib. c. 11.* & *L. 4. defens. Fid. c. 2.* III. Illæ, quæ circa personas Clericorum in particulari, etiam in materia solùm civili, quin & favorabili, disponunt, uti patet ex *C. 7.* & *10. de Constit. C. ult. de reb. Eccl. alien. Can. benè* & *seqq. dist.* 96. ibidémque tenent Panor. Felin. aliíque omnes Canonistæ, Bart. ac alij Legistæ *in L. cunctos populos C. de SS. Trin.* Ratio *cit. C.* 10. redditur, *quòd laicis super Ecclesiis & Ecclesiasticis personis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non*

*auctoritas imperandi.* Quamvis si Statutum sit favorabile Clericis, etiam hos includat, ita ut circa ipsos laici illud observare teneantur, ut cum Bald. Bart. Alexand. Jason. ac alijs bene observat Gaill. *L. 2. obs. 32. n.* 2. ubi *n. 3.* addit, statutum disponens, res immobiles non posse alienari in Ecclesiasticas personas, non valere, eò quòd sit contra privilegium & libertatem Ecclesiæ per text. *Auth. cassa. & C. noverit. de Sent. excomm.* Idémque cum Bart. Jason. ac alijs asserit de Statuto simpliciter disponente, ut res immobiles non alienentur in peregrinos: hoc enim non extendi ad Clericos peregrinos. Quod verissimum esse dicit Sperelli *decis.* 10. *n.* 11. & *decis. 100. n.* 26. ac plurimos DD. tam ipse, quàm Carol. de Grassis *de Effect. Cleric. effect. 2. n. 340.* allegant. Hinc, ut idem Gaill. *l. c. n. 10.* & Sperelli *cit. decis. 100. n.* 22. cum Panor. *in repet. C. 10. de Constit. n. 24. & 42.* Felin. Bald. Alex. Paris. ac communi DD. asserunt, Clericus, tametsi agat contra laicum coram Judice laico, non ligatur Statutis laicorum quoad decisoria, tametsi ligetur quoad solemnitates judicij & præparatoria. IV. Illæ, quæ in particulari disponunt de bonis Ecclesiasticis. *cit. C. 5. & 10. cit. C. ult. & Can. Benè quidem. C. decernimus. de Judic.* & *cit. dist. 96. totâ.* V. ac universim illæ, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam, & Ecclesiasticas personas judicijs secularibus, ac tributis aliisque oneribus subjiciunt. Has enim invalidas esse, inter verè Catholicos in dubium non vocatur, ut benè ait Suar. *L. 3. de Legib. c. 34. n.* 2. & constat ex *C. si diligenti* & *C. significásti de For. comp.* Trid. *sess. 25. c. 20. de Refor. C. non minus* & *C. adversus de Immun. Eccles. C. noverit de Sent. excomm. C. quanquam de censib. in 6.* nisi bona eo pacto & conditione data fuerint Ecclesiæ, ut seculari potestati subjecta manerent, aut onere reali jam fuerint affecta, antequam ad Ecclesias pervenirent. Dixi *reali onere*, videlicet dominij, & ratione pacti vel contractûs. Nam si tantùm vi Jurisdictionis, quâ Principes & Respublicæ exigunt tributa & steüras ex bonis sui territorij, obligata ad aliquod onus

erant,

erant, cum isto non transeunt ad Ecclesias: quia onus solvendi tributa, quæ ex legis indictione debentur, non tam est reale, quàm personale, utpote impositum rebus propter personas, ac idcirco ad Ecclesias & Ecclesiasticos unà cum bonis non transit, ut cum Panorm. Felin. Hieron. Alban. ac communi aliorum observant, & docent Gutierez *L. 1. Pract. qq. q. 3. n. 15.* Suar. *L. 4. Defens. Fid. c. 20. n. 12.* & *c. 25. à n. 3.* Less. *L. 2. de Justit. c. 33. dub. 3. n. 21.* Tanner. *Defens. Libert. Eccles. c. 13.* Laym. *L. 4. Theol. Mor. tr. 9. c. 6. n. 4.* Ranbek *Panopl. Immun. Eccles. disp. 3. c. 4. n, 30.* Pesantius *tract. de Immun. Eccles. c. 6.* Carol. de Grassis *de Effect. Cleric. effectu 3. à n. 162.* Joan. Beltran. de Guevara *in Propugnac. Libert. Eccles. assert. 1. §. 6. n. 27.* Nicol. Everhard. Sen. *consil. 42. à n. 56.* Delbene *de Immun. Eccles. c. 5. dub. 6. n. 7.* & *dub. 15. n. 36.* Comitol. *L. 1. Respons. Moral. c. 94. n. 3.* Geminian. *in C. 1. de Immunit. Eccles. in 6. n. 9.* P. Jacob. Wiestner *ad titul. 49. L. 3. Decretal. n. 199.* Illsung *Theol. Pract. tr. 5. n. 275. §. Dixi tertiò,* Sperelli *decis. 35. n. 2.* ubi ita decisum refert à S. Congregatione Immunitatis. Addunt id procedere, tametsi onus, vi jurisdictionis & propter personas bonis impositum, fuerit stabile ac ordinarium. Nam si extraordinarium sit, & tantùm ob certas & speciales necessitates imponi solitum, fatentur omnes, illud cum bonis non transire ad Ecclesias. Porrò in Bavaria collectas & steüras nullas esse ordinarias, asserunt Illust. D. Schmid & Prænob. D. de Bassis *Semicent. 2. qq. Forens. contr. 16. n. 5.* Idémque de Collectis Imperij asserunt complures Dd. ut videre est apud Rosenthal. *de Feud. c. 5. concluf. 83.* Bocer. *de Regal. c. 3.* Besold. *de Ærario publ. c. 5. n. 4.* Sepositis itaque dictis Legibus Civilibus, quibus certum est non ligari Clericos, & loquendo de reliquis

262. Dicendum est, legibus civilibus, quæ generaliter feruntur civibus abstrahendo à Clericis vel laicis, & disponunt de re temporali omnibus communi, ac ad eorum mutuam societatem & conformitatem pertinente, obligari Clericos quoad vim directi-

rectivam. Hæc assertio contra Anton. Genuensem *in praxi c.* 74. aliósque nonnullos communi consensu recepta est, eámque certissimam dixit Medina apud Suar. *l. c. n. 6.* ut adeò præcoci nimis zelo, & non nisi ex doctrinæ penuria à quodam Theologo reprehensus fuerit Escobar, quòd eam tradidit *tr.* 1. *Theol. Moral. exam. 1. c. 5. n. 34.* Ratio est: quia uniformis observatio talium legum est necessaria ad Reipublicæ pacem, servandam in contractibus & negotijs æquitatem, & damnum Principis & aliorum communitatis membrorum evitandum; ut consideranti patebit. Et quamvis Hostiens. *in C. fin. de solut.* Surdus *consil. 301. n. 31. & 50.* Chassan. *in consuet. Burgund. rubr.* 10. §. *1. n. 2.* Valasc. *p.* 1. *de jure emphyt. q.* 20. *n. 6.* Sperelli *decis. 123. n. 39.* aliique hîc distinguant inter leges communes Romanas ac statuta municipalia, & ad illas servandas obligari fateantur Clericos, eò quòd à SS. Canonibus sint approbatæ; non item ad posteriora, utpote à Jure Canonico non approbata, quia eidem incognita: videtur tamen idem de utrisque tenendum, quia ratio allata etiam pro posterioribus pugnat. Nisi statutis municipalibus adimeretur aliqua facultas jure communi concessa, & eorum neglectus speciale aliquod & notabile damnum bono communi regionis aut civitatis non inferret. Ex quo Panor. Felin. Imola ac alij apud Laym. *in C.* 10. *de constit. n.* 13. inferunt, non obligari Clericos Statuto municipali, quo solemnitates aliquæ in ultima voluntate ultra jus commune requiruntur; nec illo, quo statutum est, ut primogenitus à paterna hæreditate excludat fratres postea natos, obligari eos, qui tempore conditi statuti erant Clerici: de quo mox infrà *n.* 273. & 279.

263. Ex dictis consequens est I. quòd Clerici teneantur stare statutis certum pretium taxantibus frumento, vino &c. certum valorem monetæ, certum modum ponderibus & mensuris; vetantibus commercia rerum vendibilium aut literarum cum hostibus, aut cum hominibus locorum peste infectorum; certam solemnitatem & formam huic illíve actui vel contractui præscriben-

scribentibus, ut docent Suar. *cit. L 4. defens. Fid. c. 16. n. 24.* Delbene *c. 9. dub. 1. n. 33.* ac alij. Idémque dicendum videtur (quidquid non pauci contradicant) de statuto frumentum, equos &c. è regione evehi vetante. Quod tamen Sperelli *decis. 13. á n. 16.* benè limitat, aítque non ligari Clericum, si revera non ob publicam utilitatem statutum esset conditum, sed potiùs quarundam peculiarium personarum, aut certi generis hominum, ut isti tantò faciliùs res suas vendere possent, dum alijs id est prohibitum. Aut si extrahendi invehendíve facultas à Magistratu laico facilè concedatur; cùm ex hoc, ut ait, colligatur, cessare communem necessitatem. Aut si pro usu proprio evehere aliquid vellent. Quòd si leges civiles aliquem actum irritum redderent, ídque in pœnam hujusmodi actum ponentium, illâ non ligarentur Clerici, ut cum communi tradunt Navarr. *consil. 43. de Constitut. n. 5. edit. 2.* Suar. *l. c. n. 23.* Delbene *l. c. n. 34.* quia lex Civilis, ut mox dicetur, non ligat Clericum quoad vim coactivam & pœnam impositam: talis autem irritatio fit per vim coactivam legis & per modum pœnæ imponitur.

264. Consequens est II. quòd peccent Clerici, si dictas leges non observent: & quidem graviter, si violatio afferat notabile damnum vel bono publico vel alicujus privati. Unde quando Bonacina *tr. de Legib. disp. 1. q. 1. p. 6. n. 53.* Diana *p. 1. tr. 10. resol. 12.* Caspensis *tom. 1. tr. 31. de Legib. disp. 4. sect. 2. n. 15.* Marta *de Jurisd. p. 4. cas. 5.* aliíque existimant, eos aut omnino non, aut non graviter peccare, intelligendi duntaxat sunt de casu, quo notabile illud damnum abest; aut quòd non peccent vi ipsius legis civilis: neque enim dubium est, quòd agant contra jus naturæ, quod obligat ad cavendum damnum & reipublicæ & privatorum.

265. Dixi, Clericos dictis legibus civilibus teneri vi directiva. Teneri etiam vi coactiva seu punitiva, asserit communis Theologorum & Juristarum, si credimus Acatio Velasco, quem refert Moya *in appendice ad qq. select. tr. 5. q. 4. §. 2. n. 1.* Sed si loquitur de vi coactiva ipsarum legum, quasi ad eas observandas cogi

Clerici à laico Magistratu, & puniri ob non servatas possint, apertè fallitur; neque enim ullum Theologum & forsan nec ullum Juristam Catholicum producere poterit, qui id asserat. Nam quoad hanc vim coactivam illos non ligari assertio certa est, in qua omnes DD. Catholici conveniunt, ut ait Suar. *cit. L. 4. c. 16. n. 19.* fusè eam demonstrans, uti & Delbene *l. c. à n. 24.* ac Sperelli doctissimus Eugubij Episcopus *decis. 123. à n. 6.* Ratio patet: quia juxta dicta *n. 225. & seqq.* certum est Catholicis, Clericos esse exemptos à foro seculari: igitur non potest Judex laicus exequi in eosdem pœnam lege statutam aliámve transgressioni commensuratam, nec cognoscere de eorum delicto, cùm non sit Judex eorum competens. Illud libenter admitto, posse Clericos à suo Judice Ecclesiastico ad hujusmodi leges observandas, vel ad querelam secularium vel proprio motu compelli, & ob transgressionem puniri. Et hoc sensu dici post, eos etiam vi coactiva teneri ad servandas leges Civiles. Ratio est: quia hæc trangressio est delictum contrarium bono communi, exigítque bonum commune, ut puniatur: puniri ergo potest ac debet per aliquam potestatem; non per civilem, ergo per Ecclesiasticam. Non tamen tenentur Prælati Ecclesiastici Clerico transgressori imponere pœnam lege civili statutam, ut notant Covarr. *pract. qq. c. 33. in fin.* Salzedo *in pract. crim. c. 66.* Suar. *L. 3. de Legib. c. 34. n. 18.* cum communi DD. quia lex quoad illam partem, quâ pœnam statuit, pertinet ad vim coactivam, quam non habet in Clericos. Neque Judices Ecclesiastici tenentur judicare secundùm leges Civiles, sed secundùm Canones, & ubi isti desunt, possunt arbitrariam imponere. Quin dicunt nonnulli Juristæ, teste Suar. *cit. n. 18.* non posse tunc Judicem Ecclesiasticum subdito infligere pœnam juris civilis, ne videatur eum judicare more laicorum, & judicio laico contra *C. 2. de Judic.* Sed neque hoc neque ullo alio canone hujusmodi prohibitio habetur, si eam pœnam corporalem excipias, quam Ecclesia non solet infligere.

266. Ex dictis deducit, & fusè probat Sperelli *decis. 124. per tot*

*tot.* non posse à laicis Clerico prohibita arma ferenti vel venanti ea auferri. Ubi *n.* 18. assertionem Covarruviæ *cit. c. 33.* nullam esse dicentis legem Divinam vel humanam, quæ id prohibeat, ait esse effatum tanto viro indignum, Regi per hoc placere voluisse: cuncta potiùs Jura Divina & humana clamare, Clericos ab omni laicorum superioritate esse exemptos, nec invitis quidquam auferri citra incursum excommunicationis posse. Addens *n.* 19. contrariam sententiam esse falsam & prorsus improbabilem, quam DD. ovium more unus post alium euntes re non discussâ admiserint. Aliud tamen circa arma prohibita in Bavaria receptum est juxta Concordata §. *3.* An verò consuetudo per laicos ea auferendi vigens in Gallijs, de qua Rebuff. *ad leg. armorum v. 1. ff. de V. S.* non revocata sit per Bullam Cœnæ, judicandum SS. Pontifici relinquunt Vasq. *disp. 176. c. ult. n.* 32. Salas *disp. 14. de Leg. sect. 9. n.* 108. Salzedo *in pract. canon. c. 55.* & Palao *tr. 3. disp. 1. pun. 24.* §. *6. n. 9.* Videantur ea, quæ habentur infrà *n. 660. in fine.* Indidem deducit cum plurimis Delbene *c. 5. dub. 4.* & *c. 10. dub. 35. sect. 2.* & *3.* non posse à laico Magistratu, nisi per Judicem Ecclesiasticum, cogi Clericos ad solvenda ea, quæ eidem debent, nec judicari ratione officij ab ipso commissi, nec puniri etiam in bonis temporalibus, si in ipsum delinquant, v. g. jurisdictionem laicam aliáve regalia usurpando.

267. Sed & de vi directiva, quâ Clericos ad leges civiles servandas obligari dixi, nonnulla quæstio est, unde videlicet illa proveniat, an directè ac immediatè ex ipsa lege seculari, an verò solùm ex voluntate Pontificum aut lege naturali, dictante, membra Reipubicæ membris cohærere, & communium legum vinculo ac civili societate ejusdem incolumitati consulere debere. Solùm vi legis naturalis, & canonum leges illas civiles recipientium, ac etiam quoad Clericos approbantium, eosdem obligari, cum plurimis asserunt Suar. *cit. c. 34. à n.* 12. Vasq. *1. 2. tom. 2. disp. 167. c. 4. n. 29.* & Sperelli *decis. 12.* & *13.* & *123.* ubi id fusissimè probat. Potissima ratio est; quia juxta Jura *n. 225. 226.*

& *228.* allegata, laicis nulla in Ecclesias & Ecclesiasticas personas potestas & jurisdictio concessa est: foret autem concessa, eáque magna, si Clericos suis legibus obligare possent, cùm hæc potestas obligandi vel maximè ad jurisdictionem pertineat. Accedit, quòd si laici Principes suis legibus obligare Clericos possent, possent eosdem ob transgressionem etiam punire; quod nullus concedet, ut ait Suar. *l. c. n. 12.* Potestas enim præcipiendi & obligandi est inefficax sine coactiva, & idcirco utraque est vel re ipsa una ac eadem, vel inseparabiliter connexa. Videtúrque impossibile, ut ait Vasq. *l. c.* aliquem esse subditum alteri, eíque parere debere jure obedientiæ, & nihilominus non posse ab eo propter transgressionem puniri. Hinc Palao *l. c. n. 6.* pugnans pro legum civilium vi directâ obligandi Clericos, malè allegat illud Roman. *13. n. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Nam præterquam quòd hinc solùm sequitur, Clericos alicui potestati debere esse subjectos, non verò quòd seculari, ut dixi *n. 223.* inferendum inde pariter foret, quòd etiam vis coactiva his legibus quoad Clericos inesset, cùm omnis anima sublimiori potestati ita subjecta sit, ut ab ea cogi ad præcepta & leges possit, ac cogi posse debeat: vim autem coactivam in Clericos nullam jurisdictioni seculari inesse certum esse ait ipse Palao *l. c. n. 7.* Verùm non vacat ulteriùs immorari. Nam semel admisso, uti necessariò admitti debet, quòd Clerici teneantur servare leges Civiles, nec tamen judicari & puniri ob eas violatas à seculari potestate possint, parùm ad praxin refert, quo jure eosdem obligari dicamus.

268. Ex hactenus dictis duæ regulæ circa Leges Civiles, quibus Clerici non obligantur, statuendæ sunt. Prima traditur *C. Ecclesia S. Mariæ* 10. & *C. quæ in Ecclesiarum 7. de Constitut.* nec non *Can. Benè 1. dist. 96.* éstque hæc: Lex vel Statutum Magistratûs secularis aliquid in specie disponens de Ecclesiis & Ecclesiasticis rebus vel personis præcipiendo vel vetando, nullam de se vim habet. Et quidem etsi à laicis aliquid statutum fuerit, *quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit*

*nisi*

*nisi ab Ecclesia fuerit approbatum*, ut dicitur *cit. C. 10.* & post Joan. Andr. Felin. Beroi. ac alios notant Surdus *vol. 1. consil. 2. n. 15.* & *vol. 3. consil. 301. n. 14.* & *24.* Tusch. *V. Ecclesia concl. 13. n. 29.* Menoch. *vol. 3. consil. 291. n. 25.* Ratio patet: quia, ut suprà dictum est, Secularibus nulla in Ecclesias, résque ac personas Ecclesiasticas jurisdictio competit. Nulla igitur de illis Statuta & Leges condere possunt, cùm ad eas ferendas requiratur jurisdictio. Quæ ratio æquè procedit, si eas ferant in commodum Ecclesiarum, v. g. ut res Ecclesiæ non alienentur sine certis solemnitatibus: neque enim etiam hujusmodi leges ob defectum jurisdictionis Ecclesiasticos obligare de se possunt. Dixi primò, *de se* has leges nullam vim habere: dubium enim non est, posse obligare accedente auctoritate Ecclesiæ eas vel expresè vel per generalem usum tacitè approbantis. Quod tamen si fit, nihilominus non obligant per se & vi Secularis potestatis, sed Ecclesiasticæ, à qua approbationem acceperunt, uti significatur *cit. C. 10. V. Nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Dixi secundò *præcipiendo aut vetando.* Nam si Leges seculares merum favorem Ecclesiarum & Clericorum seu privilegium continent, validæ sunt, ita ut à Clericis acceptatæ jus eisdem tribuant, & seculares obligent ad eosdem in illius usu non turbandos. Ratio est: quia qui privilegium concedit, non usurpat sibi jurisdictionem in privilegiatum, uti patet ex eo, quòd etiam extraneis seu non subditis privilegia conceduntur: neque privilegium acceptare cogitur is, cui conceditur.

269. Consequens hinc est, Justiniani I. Imperatoris, qui, ut post Nicephorum *l. 17. c. 31.* Evagrium *l. 5. c. 1.* & *l. 4. c. 40.* Baronium *ad annum Christi 563.* & *565.* ac alios Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores loquitur Moreri *in Dictionario Historico V. Justinien. I. §. Ces Reglements* temerariè se Ecclesiasticis immiscuit, Constitutiones Authenticas, quas Ecclesijs, Episcopis, Clericis, Monachis præcipiendo aut vetando statuit, per se ipsas nullam obligandi vim habere. De quo præter alios Jul. Clar. *§. Emteusis.*

*teusis q. 28. n. 6.* Bellarm. *de Potest. Pontificis contra Barclaium c. 34.* Gratian. *tom. 1. Discept. forens. c. 164. n. 12* Beltran. de Guevarra *in Propugnac. Libert. Eccles. p. 2. assert. §. 7. n. 24.* Servantius *in Defens. Immun. Eccles. propos. 1.* Gretserus *eod. tr. lib. 2. consider. 13.* Fagnan. *de Justit. Censur. Pauli V. p. 4.* Neque auctoritatis quidpiam ijsdem accedit, quòd insertæ sunt Decreto Gratiani: hic enim potestatem leges seculares approbandi aut canonizandi nec habuit nec sibi arrogavit. Neque eas approbant & canonizant SS. Pontifices, quòd eas in eo decreto tolerant: cùm receptum sit apud DD. ea, quæ inserta ibi sunt, non habere majorem vim & auctoritatem, quàm habuerint, antequam inserrentur; & constat, non pauca ibi contineri partim dubiæ veritatis partim exploratæ falsitatis. Ut adeò ad ferendum de iisdem judicium adeundi sint ipsi fontes, ex quibus sunt hausta. Si tamen ipse SS. Pontifex legem aliquam Civilem in suo rescripto alleget (uti multoties factum est in Decretalibus epistolis) censetur eam approbare, & confirmare.

270. Par judicium esto de Caroli M. ac aliorum Regum, qui in volumine Gallicarum Legum nominantur, Constitutionibus, seu, ut vocant, Capitularibus. Nam vel auctoritate SS. Pontificum firmatæ sunt, aut robur non habent, uti notant Duvallius *de Potest. Pontif. p. 3. q. 2.* Gretser. *l. c. consider.* 11. Guevara *l. c. n. 24.* Adde, quòd Carolus M. *lib. 5. Capitularij c. 33. & 34.* remittit Sacerdotum judicium ad Leonem Pontificem, & *lib. 7. c. 205.* res Ecclesiasticas definiendas judicio Episcoporum relinquit, nec Capitula illa nisi per Episcopos in Synodalibus Concilijs facta sunt, uti observant Baron. *ad annum Christi 806.* Barberius *contra M. Fulgent. p. 2. n. 39. & 70.* ac *p. 3. n. 29.* Tanner. *Defens. Immun. Eccles. lib. 1. c. 9.* Moreri *in Diction. Histor. V. Capitulaires §. Le Terme Capitulaires.* Similiter ad facta Constantini, Theodosij, aliorúmque Imperatorum, causis Ecclesiasticorum quandoque se immiscentium, respondendum est, videlicet id eos fecisse vel auctoritate Sedis Apostolicæ, vel facto, non jure. Hinc Constantinus

tinus teste S. Augustino *epist. 162.* ab Episcopis veniam petijt, quòd ad importunas Donatistarum preces in Cæciliani causa se interposuerit, ac Nicolaus I. *epist. 2.* ad Michaëlem Imperatorem, alijque SS. Pontifices, sæpe super hujusmodi Imperatorum ac Regum usurpationibus conquesti sunt. Videri possunt Suar. *lib. 4. defens. Fidei c. 11. n. 17. c. 14. n. 21. & c. 30. n. 15.* Paul. Donatus *Tract. de modo eligendi Ministros Eccles. c. 6.* Bellarm. *contra Libell. Pauli Servitæ,* Duvall. *l. c. p. 4. q. 2.* Baron. *ad an. Christi 313.* Bovius *Respons. ad Paulum Servitam p. 4. ad 8. arg.* Gretser. *l. c. consider. 5. 8. & 13.* Roffus *Respons. ad Capellum c. 20. 21. & 131.*

271. Altera regula est, quòd leges seculares, tametsi generatim latæ sint & sine Clericorum mentione, ad Ecclesias, personas ac res Ecclesiasticas se non extendunt, si per se & ex proprio objecto, onus seu gravamen imponunt, aut juri quæsito derogant. Ita Bartol. *in L. cunctos populos C. de summ. Trinit. q. 5. n. 28.* Panorm. Felin. Imol. ac reliqui Interpretes *in cit. C. 10. de Constitut.* Silvest. V. *Lex q. 15.* Gaill. *L. 2. observat. 32.* Gutierez *Lib. 4. Pract. qq. c. 38. n. 5.* Covarr. *c. 8. Pract. qq. n. 5.* ubi ait, communi omnium suffragio receptum hoc esse. Rationem dant paulò antè allatam: quia nulla laicis in Clericos jurisdictio competit. Alijs verbis, eodem tamen sensu, hanc regulam tradit Bartolus *in Auth. Cassa C. de Sacros. Eccles.* & *in L. 1. §. Quæ honorandæ ff. Quar. rer. actio non detur,* dicens, Leges Civiles, per quas Clerici timidiores fiunt, contra libertatem Ecclesiasticam esse, ac idcirco eosdem non ligare: tametsi tales leges de ipsis Clericis non loquantur. Quam doctrinam communiter sequuntur Canonistæ *in C. Noverit de sent. Excomm.* præcipuè Panorm. & Felin. ac *in C. ult. de Immunit. Eccles. in 6.* Quid autem sit, Clericos timidiores reddi, rectè sic explicaveris cum Suar. *lib. 4. Defens. Fid. c. 22. n. 16.* Quotiescunque per Legem, Statutum, aut Mandatum secularium Clerici privantur illis rebus aut juribus, quæ Jure Naturali, Gentium, vel Civili, communia sunt civibus, aut iisdem concessa sunt privilegio,

vilegio, non tantùm Divino aut Ecclesiastico, sed etiam seculari Principum ac Magistratuum, tunc gravantur contra Ecclesiasticam libertatem, & sic dicuntur fieri timidiores, quia hujusmodi gravamina dehonestant, & ignobilem ac despectum reddunt statum Ecclesiasticorum, eos videlicet deprimendo ad statum laicorum & subditorum, ac propterea eorum animos deijciunt, aliósque à statu illo nobiliore amplectendo avertunt; sicut è contrario favores & privilegia Clericis concessa eorum statum cohonestant, ipsósque excitant ad sua officia erga fidelem populum alacriùs & accuratiùs exhibenda, plurésque alios ad statum Clericalem & Religiosum provocant. Quæ explicatio conformis est ijs, quæ tradunt Joan. Andr. ac alij *in cit. C. ult. de Immun. Eccles. in 6.* Panorm. *lib. 1. consil. 26. & 83.* Felin. *in C. Noverit. de sent. Excomm. in 6. n. 2.*

272. Ut autem regulæ modò traditæ ad praxin facilè applicari possint, expedit afferri in medium exempla quorumdam statutorum & legum Civilium, quæ pugnant contra libertatem Ecclesiasticam. Ubi tamen protestor, me non generatim loqui, sed excipere casum necessitatis, privilegia Principum, & Concordata. Itaque tale I. est Statutum vel Mandatum, quo Ecclesiasticis personis indicuntur collectæ, angariæ & parangariæ, seu onus præbendorum equorum, vehiculorum, navium &c. similésque præstationes, contra privilegia & immunitates utroque Jure ijsdem concessas, videlicet *C. Non minùs 4. & C. Adversus 7. de Immun. Eccles. C. 3. eod. in 6. C. quemquam 4. de Censib. in 6. Auth. Cassa C. de SS. Eccles. L. 1. & Auth. Item nulla C. de Episc. & Cleric.*

II. Statutum, quo ingredientes Religionem, aut Clericatum assumentes, à successione excluduntur. *cit. Auth. Cassa* & *L. Deo nobis. 56. C. de Episc. & Cleric.* Bartol. *in L. fin. C. de Pact. n. 6.* Felin. *in C. Præsentia de Probat. n. 38.* Socin. Sen. *vol. 1. consil. 81. n. 5. & consil. 241. n. 5.* ac communis DD. teste Gaillio *L. 2. observ. 32. n. 4.* Estque etiam judicio Cameræ Imperialis hoc Statutum pronuntiatum invalidum, uti refert Auctor *Decis. Camer.*

*Cameral. V. Successio.* Eadem est ratio de Statuto, quo excluduntur ingredientes Monasterium seu Moniales à successione extante masculo, aut certa pars dotis addicitur marito uxore Religionem ingrediente. Bart. *l.c.* Bald. *in cit. L. 56.* Paul. Castr. *in L. siquis id ff. de Jurisdict.* Felin. *in C. 10. de Constitut. n. 78.* cum Anchar Panorm. ac alijs. Valeret tamen, & Moniales afficeret, si in genere ac simpliciter disponeret, feminam non debere succedere extante mare. Socin. *cit. Consil. 81.* & fusè Felin. *l. c. n. 79.* cum Panorm. Anchar. Joan. Andr. Lap. Paul. Castr.

274. III. Statutum disponens, res immobiles non posse alienari in Ecclesiasticas personas, juxta Bald. Bart. Jason. ac alios, quos refert Gaillius *l.c. n. 3.* aliósque innumeros, quos adducit Delbene *p. 1. de Immun. Eccles. c. 8. dub. 11. & 12.* Item Statutum, quo disponitur, res immobiles non posse alienari in forenses seu extraneos & non subditos: si nomine extraneorum intelligantur etiam Clerici. Et quidem hujusmodi Statuto non comprehendi Ecclesiasticas personas, tradunt Gaillius *l. c.* ac alij, præeunte Bartolo *in L. Dudum 14. C. de Contrab. empt. n. 1.* & *in L. Filiusfam. §. Dixi ff. de Legat. 1.* Jason. *in L. ut inter Divinum C. de SS. Eccles. n. 30.* ubi allegat Bald. Panorm. ac Ant. de Butr. Felin. *in cit C. 10. de Constitut. n. 89.* ubi dicit esse communem. Cavenda tamen hîc est æquivocatio. Cùm enim dicitur, tali Statuto non comprehendi Ecclesiasticos, sensus duntaxat est, eo non obstante posse vendi Clericis, quamvis respectu Magistratûs Secularis sint extranei, quia non sunt sub ejus jurisdictione. Obligari verò Clericos non vendere extraneis, quando venditio hujusmodi & alienatio cederet in notabile damnum regionis, in qua bona possident, sequitur ex dictis *n. 262.* Pariter invalidum est Statutum, quo præcipitur, ut bona Ecclesiæ relicta intra certum tempus vendantur. *C. 1. de Immun. Eccles. in 6. C. Quæ in Ecclesiarum de Constit. C. cùm laicis de reb. Eccles. alien.* Hostiens. *in C. fin. de reb. Eccles. alien. n 5.* Archidiac. *in C. Romana de Appellat. in 6. n. 13.* Joan. Andr. *in C. fin. de Immun. Eccles. n. 6.* Panorm.

*in C. Relatum de Testam. n. 5.* Ancharan. *consil. 61. n. 2.* & *consil. 155. n. 6.* per text. *cit. C. 1. Nec etiam liceat (laicis) ipsas Ecclesias vel personas ad distrahendum vel alienandum, aut extra manum suam ponendum, acquisita jam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.*

275. IV. Statutum, quo pœna aliqua vel quæcunque inhabilitas decernitur. v. g. si cautum sit, ut filij ex illegitimo thoro geniti intestabiles existant & eorum bona post mortem ad secularem fiscum devolvantur. Neque enim hujusmodi lege comprehendi possunt Clerici & Religiosi, cùm pœnalis sit & coactiva, & lex Principis laici inducere nequeat inhabilitatem in Ecclesiam & Ecclesiasticos, utpote ipsi non subditos. *arg. L. 1. §. fin. ff. de Tutor. & Cur.* & *L. Pupillorum ff. eod.* Quod non tantùm verum est de bonis ex quacunque causa acquisitis post susceptum Clericatum (hæc enim nec per se nec ratione personæ possidentis seculari Magistratui subjecta sunt) sed etiam de bonis ante Clericatum acquisitis. Nam cùm bona illegitimè nati non sint per se & reali aliquo vinculo obligata fisco, sed solùm per accidens, & ratione personæ, si hæc manet laica & potestati seculari subjecta usque mortem, consequens est, quòd exemptâ personâ etiam bona fiant exempta; præsertim in isto casu, cùm Statutum istud effectum suum non consequatur ante mortem illegimè nati. Hinc illa regula, quam post Joan. Andr. Caldas, ac alios, tradit Felin. *in C. 10. de Constitut. n. 101.* illis legibus affici etiam Clericos, quæ effectum suum consequuntur ante Clericatum, qualis v. g. est illa, quæ præfert primogenitum in hæreditate excluſis alijs fratribus; hæc enim cùm jus statim tribuat primogenito adversùs fratres natu minores, his nocet, tametsi Clericatum postea suscipiant: non verò illis, quæ suum effectum consequerentur primùm post susceptum Clericatum.

276. V. Statutum, quo decernitur, ut siquis incolarum mutato domicilio cum bonis suis aliò abeat, partem aliquam certam seu gabellam detractionis (de qua suprà *n. 122.*) fisco au-

comt

comunitati ſolvere cogatur. Hujusmodi enim Statuto laico non comprehendi bona Eccleſiaſticorum, ob defectum poteſtatis ſtatuendi de illis in præjudicium Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, patet ex *C. fin. de reb. Eccleſ. alien.* & præter alios fusè oſtendit Panorm. *in repetit. ad cit. C. 10. de Conſtitut. n. 38. & 39.* Idem dicendum eſt de Statuto, quo diſponitur, ut ſi quis ſubditorum filiam aut filium Religionem ingreſſurum dotauerit, partem inde detrahere Magiſtratui liceat: aut ut aliquid detrahere liceat pro publica v. g. fabrica ex pijs legatis aut donationibus. Felin. *l. c. n. 94.* poſt Anton. Joan. Andr. Panorm. Speculat. Hoſtienſ. ac alios: addens cum eodem Hoſtienſi, non valere tale Statutum, tametſi conſuetudine approbatum ſit, cùm *C. 1. de Conſuet.* reprobentur *conſuetudines, quæ Eccleſijs gravamen inducere dignoſcuntur.* Neque obſtat, ut idem Felinus advertit, quòd ejusmodi pars detracta pio uſui deputetur: quia non eſt unum altare diſcoperiendum, ut veſtiatur alterum. *C. cùm cauſam 36. de Præbend.* A fortiori Statutum, ut ſiquis incolarum vitâ excedat, aliqua pars bonorum ejus loci domino cedat, reſpectu Clericorum injuſtum eſt, & ipſo Jure irritum, ac Eccleſiaſticæ libertati penitus repugnans, ut patet ex dictis & per ſe notum eſt.

277. VI. Statutum, quo diſponitur, ut res immobiles æquè ac mobiles triennij ſpatio uſucapiantur. Nam reſpectu bonorum Eccleſiæ & Clericorum irritum eſt, uti agnovit, & concluſit etiam Camera Imperialis, teſte Gaillio *L. 2. obſerv. 32. prin. Idque per regulam*, ut idem Gaill. ait, *quòd Statuta laicorum non ligent Clericos, cùm ſint contra libertatem Eccleſiaſticam, per text. Auth. Caſſa C. de SS. Eccleſ. & Bartol. ibi, Cyn. ac communem DD. text. notab. in C. Eccleſiæ S. Mariæ de Conſtitut.*

278. VII. Statutum, quo cavetur, ne quis poſſeſſionem alicujus Eccleſiæ vel Beneficij ſine facultate Principis, vel ſuorum Miniſtrorum, apprehendat. Eſt enim multis modis contra Immunitatem Eccleſiaſticam, ut loquitur & probat Felin. *in cit. C.*

10. Idem tradunt Panorm. *consil. 83.* Marta *de Jurisdict. p. 4. cent. 1. casu 46. n. 8. & 14.* Duard. *in Bullam Cœnæ Lib. 2. q. 15. n. 59.* Ugolin. *in cand. Bull. p. 2. c. 13.* Pesantius *de Immun. Eccl. disp.* 10. Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 36. n.* 14. Alterius *tom. 1. de Censur. lib. 5. disp. 16. c. 5. & 6.* ac alij communiter. In Bavaria tamen, juxta Concordata inter Sereniſſimos Duces & Reverendiſſimos Ordinarios auctoritate Apoſtolicâ 5. Sept. anno 1583. inita, *ubi per Eccleſiaſticam Perſonam* (verba ſunt Receſſûs §. IV.) *ex Epiſcopi delegatione, Beneficiatus in poſſeſſionem inducitur, Præfectus loci Secularis adhibetur* (*quod vulgariter* den Einſatz *vocant*) *ut Principis loco aſſenſum temporalis adminiſtrationis, ſicut hactenus conſuevit, præſtet. Ad quam rem ex Regimine cujuscunque loci permiſſionis literas* (den Poſſeſs-Brieff) *Beneficiati requirent.* Quod tamen locum non habet quoad Vicarios Parochiarum & Beneficiorum Monaſterijs ac Collegijs incorporatorum, uti ſpeciali Decreto anno 1613. Sereniſſ. Dux ac poſtea Elector Maximilianus, ac ipſa hactenus praxis declaravit. Similiter *ibidem* §. 11. quoad electiones Prælatorum receptum eſt, ut mors Prælati utrique Magiſtratui, Seculari & Eccleſiaſtico, nuntietur, qui inter ſe conveniant de die electioni conſtituenda. Et electionis tractatui interſint Ducales Commiſſarij; non tamen ipſi electioni, niſi in Compromiſſarios aut Scrutatores aſſumantur. Quòd ſi electio Canonicè proceſſerit, & electus ſtatim confirmandus eſt, Principis nomine qui adſunt, electioni factæ aſſenſum præſtent. Si verò Confirmatio ex intervallo petenda eſt, confirmandus approbationis ſeu aſſenſûs literas Ducales ſecum ferat. Nec vacanti Monaſterio detur adminiſtrator ſine Ordinarij conſenſu. Quam exceptionem à cõmunibus regulis de Immunitate Eccleſiaſtica exempti tantùm causâ afferendam duxi ex privilegijs Principum & conſuetudinibus auctoritate Eccleſiaſtica approbatis: de quibus dum ſpecialis non fit mentio, non idcirco per aſſertiones & regulas generales eisdem præjudicatur.

279. VIII. Statutum, quo ſolemnitates in teſtamento ultra

jus

jus commune requiruntur, v. g. ut teſtamentum non valeat, niſi adhibiti ſint octo teſtes, aut intra ſex menſes Magiſtratui exhibitum fuerit. Non enim eo tenentur Clerici, quia talibus ſtatutis per Canones non approbatis, adimitur eis facultas teſtandi ſecundùm Jus commune, ſicut aliàs teſtari poſſent. Simili de cauſa irrita eſt *Lex Illud 19. C. de SS. Eccleſ.* & *L. Sancimus C. de de Donat.* quibus ſtatuitur, ut absque inſinuatione non valeat donatio ultra 500. ſolidos etiam in piam cauſam facta.

280. Quod modò dictum eſt de Legibus & Statutis publicis, idem ferè dicendum eſt de privatis, videl. de pactis familiarum. Sic pactum, quo unius familiæ agnati inter ſe cum ſecularis Principis approbatione paciſcuntur, ut nemo, etiam ex ſuis hæredibus, absque aliorum de familia conſenſu, notabile quidpiam donare aut legare poſſit &c. pactum, inquam, hujusmodi firmum quidem erit quoad cauſas profanas, ac ipſas etiam Clericorum perſonas, ſi ijs donatio aut legatum non intuitu Eccleſiæ fiat. Non autem valebit in præjudicium Eccleſiæ; ſive, non eò ſe extendit, ut neque Eccleſijs aliísque pijs cauſis quispiam ex bonis proprijs absque reliquorum conſenſu donare aut legare poſſit. Quanquam, uti notat Laym. *in C. 10. de Conſtitut. n. 16. §. Cæterùm* ſi quis bonis ſuis, de quibus liberam diſponendi facultatem habet, vinculum apponat per fideicommiſſum, ut alienari extra familiam non poſſint, ſed ſemper ſint v. g. penes primogenitum ſeu majorem natu in familia, id omnino obſervandum eſt, ita ut alienatio neque in Eccleſiarum favorem fieri poſſit.

381. Ex hactenus dictis conſequens eſt, quòd pro conſtringendis Lege aliqua, vel Statuto, vel Mandato Poteſtatis Secularis Clericis, malè pro ratione afferatur Jurisdictio territorialis Magiſtratui Civili competens, cùm notiſſimum ſit ex Juribus tam Civilibus quàm Canonicis, quæ adduxi *p. 1. c. 3. per tot.* & apud omnes DD. receptum, jurisdictionem territorialem non niſi ad ſubditas perſonas & res porrigi, cujusmodi reſpectu laicorum non ſunt res & perſonæ Eccleſiaſticæ. Multò minùs Ma-

gistratus secularis gratiæ suæ amissionem aut pœnam Clericis sui Statuti transgressoribus adjicere & comminari potest: cùm hujusmodi Statuta & mandata Ecclesiasticæ libertati nimis apertè repugnent, atque à pietate & consuetudine Catholicorum Principum aliena sint, ut loquitur Laym. *l. c. §. Adhuc verò gravius*, & patet ex dictis *n. 165.*

282. Illud tamen in præsenti materia concedendum est, majorem favorem & exemptionem à Legibus Civilibus competere ipsis Ecclesijs & causis pijs, quàm Clericis singulis & in particulari: quia causa publica favorabilior est, quàm privata, & causa Ecclesiarum magis propinquè & immediatè ad Dei cultum refertur. Hinc etsi Leges Cæsareæ, quibus v. g. irrita redditur donatio ultra 500. solidos absque insinuatione, vim habeant quoad privatas personas Ecclesiasticas, uti docent Panorm. *in C. Quod Clericis. 9. de Foro comp. n. 26.* Felin. *in C. 10. de Constitut. n. 82.* aliique: non tamen eam habent respectu Ecclesiæ, alteriúsve causæ piæ, v. g. si pauperibus aut Xenodochio fiat donatio. Pariter etsi juxta Panorm. *in repet. ad cit. C. 10. n. 45.* ac alios, ipsámque praxim, irrita habeantur in Romano Imperio testamenta Clericorum informia seu sine debitis solemnitatibus facta, ac similiter irrita sint respectu eorum, quæ per illa Clericis relicta sunt: respectu tamen eorum, quæ ad causas pias relinquuntur, valent; quia causa animæ & causa Dei, quæ hîc proximè agi censetur, adeò favorabilis est, ut nullâ constitutione Civili restringi debeat supra Jus Naturæ ac Gentium. Glossa *in C. Cum esses 10. de Testam. V. Improbamus*, Panorm. *in cit. 10. de Constit n. 36.* Felin. *ibid. n. 83.* & communis DD.

## §. VII.

## *Utrùm Clerici ligentur Consuetudinibus Laicorum.*

### SUMMARIUM.

283. *Status quæstionis explicatur.*

284. *Clerici non ligantur consuetudinibus laicorum.*
285. *Nisi illæ illæsam servent immunitatem Ecclesiasticam, & non observatæ scandalum parerent aut damnum communitati.*
286. *Aut sint communes Clericis & laicis.*
287. *Consuetudine laicorum Clericis favorabili uti isti possunt contra illos.*

283. Postquam hactenus traditum est, quas Leges & Statuta Secularia Clerici servare teneantur, & quæ non: ordo doctrinæ requirit, ut modò de Consuetudinibus laicorum agatur. Et quamvis idem tenendum videatur de Consuetudine, quod de Lege, cùm illa sit Lex non scripta & Jus moribus constitutum, ut dicitur *L. De quibus 32. ff. de Legib.* quia tamen Bartol. *in cit. L. 32.* aliíque nonnulli majorem vim hîc tribuunt Consuetudini quàm Legi scriptæ, idcirco singillatim de illa agendum esse videtur. Non est autem hîc sermo de Consuetudine contra privilegium Fori Clericorum & libertatem Ecclesiasticam inductâ (hanc enim non patrocinari laicis nec Clericis obesse, dictum est suprà *n. 231.*) sed de illa, quæ circa res alias, quàm circa personas & res Ecclesiasticas, versatur.

284. Dicendum est I. Clericos non ligari consuetudinibus à laica Communitate inductis, seu non obligari ad observandas consuetudines à populo, quem inter versantur, introductas. Panorm. Butr. Bald. Dec. Felin. aliíque omnes Interpp. *in C. 10. de Constitut.* & *in C. Quòd Clericis de Foro comp.* Alexand. *vol. 2. consil. 110.* Roch. *in C. ult. de Consuet. sect. 8. n. 54.* ubi communem dicit, Capijc. *decis. 69.* Duennas *regul. 135.* Gutier. *L. 4. Practic. q. 38. n. 3.* ubi pariter dicit communem, Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 63. n. 7. & 13.* Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 34. n. 3.* asserens, esse communem & receptam traditionem, à qua judicando & consulendo recedi non debeat. Ratio patet: quia populus non habet majorem potestatem ad obligandum suâ voluntate & consuetudine, quàm habeat ipse Legislator: imò ex hujus duntaxat concessione potestatem consuetudinis & obligationis

per

per eam inducendæ retinet, uti fusiùs tradunt DD. *ad tit. de Consuetudine.* At nec ipse Legislator Secularis Clericos obligare potest: cùm potestas obligandi dependeat à jurisdictione, imò sit ipsa jurisdictio, quam in Clericos non habet, utpote privativè subjectos potestati spirituali, & omnino exemptos à potestate seculari, *cùm laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi,* ut dicitur *cit. C.* 10. *de Constitut. C. cùm laicis ult. de reb. Eccles. alien.* & *Can. Benè quidem* 1. *dist. 96.*

285. Limitanda tamen est hæc assertio, & dicendum II. Clericos teneri observare illas consuetudines, quæ non cedunt in dispendium libertatis Ecclesiasticæ, si ex ijsdem non observatis nasceretur aut scandalum populo, aut damnum notabile communitati & reliquis Reipublicæ membris. Patet hujus asserti veritas ex dictis suprà *n.* 262. *& seq.* ubi tamen addenda est limitatio, quam cum communi DD. feci *n. 265. & seqq.* videlicet, eos teneri vi solùm directivâ, non verò coactivâ, neque vi ipsius consuetudinis, quatenus à laicis introducta est, sed solùm vi Legis naturalis & SS. Canonum.

286. Dicendum est III. Clericos teneri observare consuetudines mixtas, seu illas, quas æquè ipsi ac laici induxerunt. Ant. de Butrio *in cit. C.* 10. *de Constitut.* Felin. *ibid. n.* 81. *V. Non obstant.* & Dec. *n.* 53. Panorm. *in C. cùm venissent de eo, qui mitt. in possess. n.* 3. & *in C. cùm causa de Sent. n.* 4. Rochus *cit. sect. 8. n.* 65. Verùm tunc non tam laicorum, quàm suâmet consuetudine ligantur. Posse autem etiam à Clericis induci consuetudinem, constat ex *cit. C. fin. de Consuetud.* & tradunt ibi omnes Interpp. malè refragante Marta *p.* 4. *de Jurisdict. casu* 63. *n.* 7. & 17. ubi absolutè asserit, Clericos non posse facere consuetudinem, ac propterea non posse dari consuetudinem mixtam, quæ ipsos liget. Quod ita indistinctè prolatum falsum est. Neque ejus rationes plus probant, quàm quòd consuetudine Clericorum induci non possit, ut judicari valeant à Magistratu seculari, aut legibus, statutis, manda-

mandatis, ac consuetudinibus laicorum ligari: quod etsi verissimum sit, cùm non possint suæ à foro seculari exemptioni renuntiare, ut infrà fusiùs dicetur, non tamen inde sequitur, quòd alijs consuetudinibus immunitati Ecclesiasticæ non repugnantibus ad aliquid faciendum vel omittendum se obstringere nequeant, æquè ac pactis honestis, juramentis, & votis.

287. Dicendum est IV. Clericos, tametsi consuetudinibus laicorum, ut modò dictum est, non obligentur, eisdem tamen comprehendi, quando ipsis sunt favorabiles, eisque uti posse contra laicos. Ita Interpp. *in cit. C. 10. de Constitut.* Roch. *in C. ult. de Consuet. 8. n. 71.* Hinc *C. Ad Apostolicam 42. de Simon.* dicitur, non esse permittendum fidelibus, ut laudabiles consuetudines aliquid offerendi pro exequiis defunctorum, benedictionibus nuptiarum, & similibus, infringant aut immutent, sed per Episcopum compescendos esse, qui hoc tentauerint. Sic uti possunt Clerici consuetudine laicorum vel statuto, vi cujus filia non succedit extantibus maribus, aut primogenitus præfertur cæteris liberis: unde Clericus solus è maribus superstes excludit feminas; & fratres natu minores, si est primogenitus, ut post Bald. Bart. Socin. Dec. Panorm. ac alios tradit ac fusè probat Tiraquell. *de Primigen. q. 44. à n. 6.* Pariter juxta *C. Constitutus 8. de in integr. restitut.* utitur Clericus consuetudine, quæ dat facultatem retrahendi rem à consanguineo venditam. Et juxta *C. Ex literis 2. de Consuet.* Ecclesia utitur consuetudine transferente rei possessionem ex aliquo actu. Posse enim laicos Clericis, tametsi isti respectu laicorum censeantur extranei, utpote ipsorum jurisdictioni non subjecti, privilegia conferre, notum est ex *C. Novit de Judic. C. Auditis de in integr. restit. C. Inter dilectos de Fid. Instrum. C. Cùm dilecti de Condit. appos. C. Dudum de Decim. L. Omnia privilegia C. de Episc. & Cleric. L. 1. C. de Emancip. liber. L. Non dubito, & L. Postliminium §. Inducia ff. de Capt. & postlim. reversi. L. Conventionum ff. de Pact.* Hoc ipso autem dum quid conceditur incolis loci, concessum

etiam censetur Clericis illius loci, id est, privilegium simpliciter concessum hominibus alicujus loci, comprehendit etiam Clericos illius loci *C. Dilecti de For. comp. cit. C. 2. de Consuet. & Can. si in adjutorum 7. dist. 10.*

## §. VIII.

## *Utrùm Clericus Vasallus in Causa Feudali teneatur respondere coram Domino Feudi.*

### SUMMARIUM.

288. *Variæ DD. opiniones proponuntur.*

289. *Traditur ex SS. Canonibus & communissima DD. Ecclesiam & Clericos in causa Feudi secularis ad forum seculare trahi posse.*

290. *Rejicitur opinio asserens, Clericos solùm obligari Consuetudinibus Feudalibus, non item Constitutionibus.*

291. *Item altera, tradens, in causa Feudali coram Laico respondere debere solùm tunc, quando judicio petitorio contenditur.*

292. *In causa tam Petitorij quàm Possessorij Clerici coram Feudi domino seculari respondere tenentur, si lis est inter duos Vasallos, & dubium non est de Feudo: coram Paribus Curiæ, quando lis est inter dominum Feudi & Vasallum, & hic non negat, rem esse feudalem.*

293. *Si agitur non de Feudo, sed de reparatione damni aut injuriæ domino Feudi facienda, conveniendus est Vasallus Clericus coram Judice Ecclesiastico.*

294. *Nec puniri potest corporaliter à seculari Feudi domino, vel de ejus crimine cognosci.*

295. *Actione personali, tametsi circa rem feudalem agatur, Clericus Vasallus solùm coram Judice Ecclesiastico conveniendus est.*

296. *Clericus Vasallus spoliatus restituendus est per Ecclesiasticum Judicem juxta non paucos. Probabiliter restitui potest etiam per Feudi dominum, si spoliator est Vasallus.*

297.

297. *Si Clericus Vasallus rem negat esse feudalem, adeundus contra ipsum est Judex Ecclesiasticus.*
298. *Uti etiam, si dominus Feudi vel Pares Curiæ sint suspecti.*
299. *Solvuntur opposita.*

288. Negant nonnulli, intérque hos Barbat. *in C. Cæterùm 5. de Judic.* & Jacobin. de S. Georg. *tr. de Feud. v. Dicti Vasalli n. 3.* ubi cùm multa argumenta pro sententia negante attulisset, subjungit, in secreto Juris posse teneri, quòd opinio affirmans non sit bona in judicando; tutum tamen non esse ab ea tanquam communi recedere. Distinguit Curt. Jun. apud Schrader. *tr. de Feud. p. 1. q. 2. n. 5.* asserens, consuetudines feudorum vim quidem suam ad Clericos & Ecclesias extendere, non tamen constitutiones Imperiales, quæ Feudorum libris insertæ sunt.

289. Verùm dicendum est cum communissima DD. Ecclesiam & Clericos in causa feudali ad forum seculare trahi posse, ita ut in hac causa coram domino Feudi, coram quo juramentum fidelitatis præstiterunt, etiamsi is sit laicus, conveniri possint ac debeant. Ita enim juxta communem Interpp. expositionem deciditur *C. Ex transmissa. 6. & C. verum 7. de Foro comp.* Ratio est: quia sub hac conditione à Jure approbata, feuda conceduntur, & in his, quæ Clericus vel Ecclesia tenet à Principe in feudum, fungitur vice privati, & ipsi subjicitur, ac ejus vasallus dicitur. Et quia ex dominio directo feudi necessariò oritur jus cognoscendi causas ipsius, & feudatarius accipiendo feudum, constituit se in ijs, quæ sunt feudi, subditum domini, consequens est, quòd ab ipso judicari possit, & Ecclesia feudum à seculari recognoscens, pariter agnoscat ejusdem jurisdictionem. Hinc, ut cum Bald. Afflict. Capyc. Curt. Jun. & Car. de Grassis loquitur Pignatelli *tom. 5. consult. 21. n. 3.* licèt Imperator juret Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, si tamen ipsa teneret ab eo feudum, foret ipsius vasalla, & teneretur ad ea, ad quæ alij.

290. Neque hîc admittendum est illud Curtij Jun. discrimen inter Consuetudines & Constitutiones feudales. Nam, præter-

quam quòd Canones nullum discrimen faciant, constitutiones Imperiales naturam Feudi quodammodo informant, ut ait Schrader. *l. c.* atque ejus origini sunt annexæ, & Clerici feuda recipientes non tam Principum constitutionibus, quàm suo pacto tacitè ac ipso facto, dum feudum accipiunt, se se obligant ad ea, quæ feudo insunt sive ex consuetudine sive ex constitutionibus Principum, cùm semper ea, quæ de natura contractûs sunt, tacitè acta atque conventa præsumantur. *L. cùm quid 3. ff. si cert. pet.*

291. Pariter non est recipiendum, quod aiunt cum Gloss. *in C. ex parte. 15. de For. comp.* & *in C. cæterùm. 5. de Judic.* Host. *n. fin.* & Bald. *n.* 1. & 2. Laudens. ac alij, Clericos in causa feudali coram laico respondere debere, si agatur judicio petitorio; secùs si possessorio, & in hoc adeundum esse ordinarium Judicem. Nam, ut communis DD. tradit apud Curt. Jun. *p. 7. de Feud. n. 23.* & Fachin. *L. 7. contr. c.* 100. *n.* 1. causa possessorij feudalis æquè, ac petitorij, terminanda est coram domino feudi, vel Paribus Curiæ, si possessorium adminiculatur petitorio, velut si ago remedio retinendæ aut recuperandæ, vel si peto alterum privari jure, quia occupavit rem à me possessam. Hinc enim paratur magnum commodum judicio proprietatis §. 4. *v. commodum Inst. de Interdict.* & *L. sicut. 8. §. 3. ff. si servit. vind.* Neque obest text. *cit. C.* 15. ubi non obstante, quòd reus causam possessorij feudalis à domino feudi decidendam esse replicâsset, jussi sunt delegati SS. Pontificis in causa procedere. Nam, ut ibi notant Panor *n.* 14. Curt. Jun. *l. c.* Fach. *l. c.* Duaren. *c. 20. de Feud. n. 7.* Emm. Gonzalez. *in cit. C. 5. de Judic. n. 7.* ibi erat specialis casus, quia vidua fuit iniquè spoliata possessione; contendebátque cum potenti adversario, & sic *spoliatorem seu detentorem rei coram Judice Ecclesiastico poterat convenire, cujus interest viduas defensare*, ut *cit. C.* 15. dicitur. Illud admittendum est, quod ait idem Bald. *in L. 3. C. si à non compet. Jud.* quem cum Innoc. Curt. Jun. ac alijs sequitur Menoch. *remed. 3. retin. poss. n. 422.* & Pignatelli *l. c. n.* 17. adeundum esse non dominum feudi, sed ordinarium Judicem, si ratione possessionis vasallus

vallus ageret ad injuriam, vel ad pœnam, vel ad intereſſe ſimpliciter, vel ſi ob poſſeſſionem, quia ſpoliatus eſt, ageret criminaliter: quia tunc non vertitur quæſtio feudi.

292. Igitur quoad Clericum vaſallum procedendum eſt juxta conſuetudines & conſtitutiones feudales, & conveniri is pariter, ut laicus, debet vel coram domino feudi laico, ſi feudum eſt laicum, vel coram Paribus Curiæ, vel coram arbitris. Coram domino feudi, ſi quæſtio ſit inter duos vaſallos, & non trahatur in dubium, utrùm res ſit feudalis, ſed ſolùm controvertatur, quis eorum ſit potiòr in feudo. Coram Paribus Curiæ, ſi quæſtio ſit inter dominum & vaſallum, & hic non neget rem eſſe feudalem, ſed ſolùm ſuper dominio utili alióve jure feudali litigetur. Coram arbitris, ſi dominus feudi pares Curiæ non habet, vel iſti ſint ſuſpecti, aut in cauſa controverſa teſtes eſſe debeant: cùm tunc eligantur arbitri. Si tamen dominus feudi Pares Curiæ non habeat, litigandum eſſe coram ordinario, nec arbitros eligendos, contendunt Panor. *in cit. C. 5. de Judic. n.* 14. & Aretin. *n. 28.* aſſerens, ita communiter tenere DD. Pignatelli *l. c. n. 13.* ac alij: quia, ut ajunt, quando modus à lege inductus ſervari non poteſt, debet res & jurisdictio redire ad naturam ſuam, præcipuè cùm jurisdictio feudalis, tanquam ſuperinducta & præjudicans jurisdictioni ordinariæ, ſit reſtringenda. Addunt text. *tit. 16. L. 2. feud. per pares curiæ, ſicut lex Corradi dicit, dirimatur* (contentio) *ſi tamen pares habet:* ergo ſi pares non habet, quæſtio remittitur ad diſpoſitionem Juris communis, vi cujus adeundus eſt Judex rei ordinarius.

293. Hanc tamen deciſionem de adeundo à Clericis domino feudi laico, tanquam Judice competente in cauſa feudali, variè limitant DD. Primò: Si agitur non de feudo, ſed ſolùm de reparatione injuriæ aut damni domino feudi facienda, ſolùm coram proprio Judice Eccleſiaſtico Clericus conveniendus eſt, juxta Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 1. q. 8. n. 22.* Villalob. *com. opin. v. Clericus n. 70.* Pignatelli *l. c. n. 6.* ac alios, & patet ex dictis *n. 291.*

294. Secundò. Si Clericus feudatarius deliquit contra fidelitatem, non poterit â domino feudi laico puniri corporaliter: quamvis si delictum meretur privationem, feudo privari possit. Communis DD. quam allegat & sequitur Bonac. *disp. 10. de legib. q. 2. p. 1. §. 4. n. 4.* & *ad Bull. Cœn. c. 15. q. 16. sect. 1. pun. 6. n. 6. arg. c. 7. de For. comp. c. 5. de Judic.* & *Clem. pastoralis de Sent.* & *re jud.* Quin non tantùm personalis districtio laico prohibita est in Clericum delinquentem, quia conditio & status personæ Ecclesiasticæ, cujus jura anteriora sunt & potiora jure feudi, hîc præponderare debet, Innoc. & Butr. *in cit. c. 5.* Panor. *in c. nimis de Jurejur.* Marta *de Jurisd. cas. 82. n. 12.* ac alij apud ipsum: sed insuper, ut cum Imol. Innoc. ac plurimis alijs volunt Fagn. *in cit. c. 5. de Judic. à n. 29.* Pignatelli *l. c. n. 18.* Duard. *in Bull. Cœn. L. 2. can. 15. q. 11. n. 273.* Erasm. Cockier *de Jurisd. tom. 2. p. 3. q. ult. à. n. 1.* si contra Clericum Vasallum agatur criminaliter, vel civiliter ad amissionem Feudi propter crimen, de hoc cognoscere nequit dominus Feudi, sed remittenda est cognitio ad ipsius Prælatum, tametsi Feudum sit paternum: eò quòd de crimine Clericorum nec directè nec indirectè cognoscere queat laicus. Solent tamen Imperatores & Reges in Clericos vasallos, & ministros ac consiliarios inquirere, eósque pecuniarijs pœnis, depositione ab officio, & feudi privatione punire. Quam consuetudinem defendunt Borell. *de potestate reg. c. 71. n. 74.* Anguian. *de legib. L. 2. controv. 21. n. 34.* Cenedo *in collect. Jur. Can. p. 1. collect. 37. n. 16.* Escobar. *de Ratiocin. c. 7. n. 7.* Cevallos *tr. de Cognit. per viam violent. p. 2. q. 65. n. 14.* Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 99.* Aufrer. *in Clem. Pastoralis de offic. ordin. reg. 1. fallent. 27.* & *28.* Chassaneus *in Consuet. Burg. §. Des Justices.* Suar. *L. 4. defens. Fidei c. 34. n. 26.* dum ait: *videtur autem* (hæc consuetudo) *in hoc maximè fundari, quòd tunc* (Clerici) *non considerantur, nisi sub respectu merè civili, & maximè, quia sub ea conditione & pacto ad ea ministeria & officia regia acceptantur: quod pactum nec contra exemptionem*

*Eccles-*

*Ecclesiasticam, nec contra decentiam Ecclesiastici statûs, aut bonos mores esse videtur. Et ita est communi usu receptum & approbatum.* Nec dissentit Laym. *L. 4. Theol. mor. tr. 9. c. 5. n. 3. & in c. 7. de Foro comp. n. 4. & 5.* Pariter Bellarmin. *c. 35. contra Barclaium* defendit factum Imp. Caroli V. Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum ad ſuum tribunal evocantis, dum ait, illum fuiſſe vocatum ut Principem Imperij. Quòd ſi conceſſum ſit feudum Eccleſiæ, uti in Romano Imperio conceſſum eſt Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, Abbatiis &c. & non immediatè ipſi Clerico ut perſonæ ſingulari ac privatæ, per hujus delictum illo non privatur Eccleſia, ſed tantùm perſona. Unde ad ſucceſſorem tranſit feudum. *tit. 40. L. 2. feud.* quia delictum perſonæ non redundat in Eccleſiæ detrimentum. *c. 76. de R. J. in 6. can. 3. 16. q. 6.*

295. Tertiò. Juxta Innocent. *in cit. C. 5. de Judic. n. 2.* & Hoſtienſ. *n. 10.* ac alios agendum eſt coram ordinario Clerici, ac per conſequens coram Eccleſiaſtico Judice, & non coram domino feudi, ſi inter vaſallos, vel dominum & vaſallum actio eſt perſonalis, quæ non eſt ſuper jure feudali, licèt circa rem feudalem agatur; puta pigneratitiâ, depoſiti, aliáve ſimili.

296. Quartò. Si Clericus vaſallus ſpoliatus eſt, non agnoſcit dominum feudi, ut tradit Innoc. *l. c.* Hoſt. *l. c. n. 4. & 5.* Joan. Andr. *in cit. c. 5. n. 3.* ſed ſpoliator per Judicem Eccleſiaſticum cogendus eſt reſtituere: quia hujusmodi violentus ſpoliator eſt ſacrilegus, quod crimen eſt Eccleſiaſticum. *Can. 57. 16. q. 1. & c. conqueſtus. 16. de For. comp.* Addunt, hoc procedere, tametſi dubium ſit de ſpoliatione. Verùm cùm ſacrilegium ſit crimen mixti fori, ut infrà dicetur, adiri contra laicum poterit etiam Judex ſecularis ordinarius. Neque apparet, cur non & feudi dominus, tametſi jurisdictionem ordinariam non habeat, ſi ſpoliator pariter eſt vaſallus: cùm, ut modò dictum eſt *n. 269.* ſit Judex in poſſeſſorio judicio feudi, ſi hoc adminiculatur proprietati: niſi ſpoliator vaſallus neget, rem, quâ vaſallum alterum ſpoliavit, eſſe feudalem, ut mox dicetur. 297.

297. Quintò Adeundus est Clerici, si reus est, Judex ordinarius Ecclesiasticus, si dicit rem non esse feudalem, sed allodialem. Felin. Dec. Bald Angel. ac alij apud Menoch. *l. c. à n. 425.* Ratio patet: quia aliàs dominus feudi judicaret in propria causa contra *L. un. C. ne quis in sua caus.* Ac idcirco nec Pares Curiæ in tali casu judices esse possunt: quia qui negat dominum, negat & pares curiæ *arg. L. qui jurisdictionem ff. de jurisd.* unde cùm causa tunc desinat esse feudalis, terminanda erit, tanquam præjudicialis, coram ordinario. *C. tuam de ord. cognit.* qui si rem feudalem esse cognoverit, causam remittet ad dominum. Eadem est ratio de casu, quo quæstio est inter vasallum & non vasallum: quia tunc dominus non cognoscet, ne sit Judex in causa propria, sed ordinarius vasalli, si hîc sit reus, *cit. C. 5. de judic.* & *C. 6.* ac *7. de For. comp. tit. 43. feud. 2.*

298. Sextò denique adeundus erit ordinarius Ecclesiasticus contra Clericum reum, si dominus vel pares curiæ ex rationabili causa eidem sint suspecti, nec adsint alij pares curiæ, qui in locum ipsorum substituantur. Aut si pares curiæ in eadem causa debeant esse testes. *tit. 16. feud. 2.* & *ibi Feudistæ.* Aut si vasallus à domino justitiam consequi non potest. *cit. C. 5.* v. *quamdiu parati fuerunt.* & notant *ibi* Glossa, Panor. Aretin, Innoc. Hinc sive is malitiosè sive ex negligentia differat procedere, aliámve injustitiam cognoscendo aut judicando committat, ordinarius adiri poterit. *C. ex transmissa 6. C. licet 10. C. ex tenore 11. de Foro comp.* quia jurisdictionem à se excutit, qui eam denegat exhibere, ut ait Bald. *in cit. C. 5. n. 2.*

299 Assertioni sic limitatæ non obstant ea, quæ *l. c.* opponit Jacobinus: sunt enim duntaxat textus Juris, quibus universim dicitur, Clericos à foro seculari exemptos esse: cum quo stat, quòd in aliquo casu causáque particulari consentiente Ecclesiâ judicium laicorum subire teneantur, si videlicet specialis ratio id exigat, aut ita ferat pactum inter Ecclesiam & secularem potestatem initum; uti fit in susceptione Feudi. Sic bona Ecclesiastica

stica, quamvis à jurisdictione & onere quocunque seculari per se sint exempta, si tamen Clericis vel Ecclesiæ dantur eâ conditione, ut sub priori foro maneant, & oneribus civilibus prioribus subjecta maneant, eisdem subjecta manebunt: quia servare pactum est de jure naturæ, neque pactis sic initis contradicit Jus Canonicum, imò potiùs confirmat *C. verum 4. de Condition. opposit.* ubi id notant Panor. aliíque Interpp. Joan. Andr. & Hostiens. *in C. verùm de For. comp.* Felin. *in c. Ecclesia sanctæ Mariæ de Constit.* Ancharan. *consil. 223.* ac passim alij.

## §. IX.

## *An Clerici coram Judice laico conveniri possint Actione Reali.*

### SUMMARIUM.

300. *Variæ opiniones DD. proponuntur.*
301. *Spectato Jure Clerici neque actione reali coram Judice laico conveniri possunt.*
302. *Solvuntur opposita.*
303. *Consuetudine multorum locorum contrarium practicatur.*
304. *Quandonam hujusmodi consuetudines sint validæ.*
305. *Quomodo ab aliquibus defendantur.*
306. *Conveniri coram Judice seculari actione reali possunt Clerici, si bona concessa sunt eâ conditione, ut salva ipsi maneret sua jurisdictio.*

300. Clericum actione personali coram Judice laico conveniri non posse, non tantùm certum est inter DD. Catholicos, sed convenit etiam inter Heterodoxos, ut apparet ex ijs, quæ tradunt Bocerus *de Jurisd. c. 3. n. 33.* Ummius *disp. 4. ad Proces. Judic. th. 6. n. 32.* Matth. Stephani *L. 1. de Jurisd. c. 22. n. 12. 17. 28.* & *c. 31. n. 2.* & *5.* ac alij. At si agitur super bonis temporalibus, conveniri eum posse actione reali, qualis est Rei Vindicatio, Confessaria, Negatoria, Publiciana, Serviana &c. præter Heterodoxos

contendunt etiam Catholici quidam DD. Negant cum communissima Theologorum ac Canonistarum Tiraq. *de retract. lignag. §. 22. gloss. 1. n. 81.* Covarr. *pract. qq. c. 31. n. 5. v. 2.* Suar. *L. 4. defens. fidei c. 14. n. 11.* Scaccia *de Judic. L. 1. c. 11. n. 30.* Villalobos *in opin. comm. V. Clericus n. 70.* Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 21.* Menoch. *remed. 3. retin. possess. n. 326.* Barbos. *L. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 2. n. 107.* ac alij, quos ijdem & Mynsing. *cent. 1. observ. 22.* allegant. Observant insuper Covarr. Farin. & Scaccia, ac alij, eos, qui contrarium docent, ferè loqui non de jure, sed de consuetudine.

301. Et quidem, si dispositio SS. Canonum attendatur, certum esse existimant, & optimè, Illust. D. Schmid, & Prænob. D. de Bassis *semicent. 2. qq. forens. contr. 11. n. 2.* bona Ecclesiarum & Clericorum, tametsi patrimonialia sint, gaudere immunitate Ecclesiastica, ut neque in actionibus personalibus, neque in realibus, ad forum seculare trahi possint. Idque præter alios fusè demonstrant Alberic. *in Auth. statuimus C. de Episc. & Cleric. n. 6.* Suar. *l. c. c. 14. & 17.* Ranbeck *in Panoplia libert. Eccles: disp. 2. c. 3.* Barbos. *l. c. à n. 108.* Ratio est: quia *cit. Auth. statuimus. C. si diligenti de Foro comp. can. Continua, can. Inclita, Can. Placuit 11. q. 1.* aliisque Juribus absolutè traditur, Clericos ad Forum seculare trahi non posse, nec distinguitur inter actionem realem & personalem. Ulterior autem ratio eos æquè quoad actionem realem, quàm personalem ab eo foro eximendi est I. quia in concursu fori ratione rei & ratione personæ, præfertur bonum personæ. *L. quod legatur 38. ff. de Judic. L. à Divo Pio ff. de Re Judic. L. fin. C. ubi in rem actio,* & res ac bona, quia sunt accessoria personæ *L. in pecudum ff. de usur.* sequuntur forum personæ possidentis *L. 2. C. de Episc. & Cleric. C. de prudentia de Donat. inter vir. & uxor.* ac mutatâ conditione possessoris mutatur quoque status & forum rei *L. un. C. de impon. lucrat. descript. §. Cæteri. L. Locatio 9. §. ult. ff. de Publican.* quæque religiosis adhærent, religiosa fiunt. *L. quæ religiosis ff. de R. V.* & quod dignius est,

est, trahit ad se minùs dignum. *L. qua ratione 9. ff. de acquir. rer. domin. C. quod in dubijs 3. de Consecr. Eccles.* præsertim ubi de fori competentia agitur. *L. per minorem 54. ff. de Judic.* & *C. quando 3. eod.* II. Ipsa etiam bona Ecclesiastica à foro & jurisdictione seculari exempta sunt, nisi, ut dixi, dum transferrentur in Clericos, sibi jurisdictionem reservârit Magistratus secularis, ut post alios fusè demonstrant Suar. *L. 4. defens. Fid. c. 14.* Delbene *de Immun. Eccles. c. 5. dub. 1. & 2.* Laym. *L. 4. Theol. Mor. tr. 9. c. 5. & 6.* Ranbek *l. c. disp. 3. per tot.* III. Res & bona assumentis militiam secularem mutant statum & forum, *L. ult. C. de agent. in reb. L. Magisteriæ 6. C. de Jurisd. omn. Judic.* multò igitur magis ea bona, quæ deveniunt ad Clericos & Ecclesiam, mutant jurisdictionem, quia transeunt in digniorem personam & ordinem, qui profitetur cœlestem militiam ac sortem Christi. *arg. L. Non distinguemus 32. §. 4. ff. de recept. arbitr.* IV. Tametsi agatur in rem, necesse tamen est citari Clericum, ad quem res pertinet: at Clericus non potest conveniri coram Judice laico, cùm ab ejus jurisdictione sit exemptus.

302. Hinc non obstat, quod Gail. *L. 1. observat. 37. n. 4.* aliique asserunt, actione reali personam non esse obligatam. §. *Omnium Inst. de action.* & sententiam prædio dari. *L. qui aliena §. fin. ff. de Negot. gest.* ac magis fundo quàm personæ adjudicari fines vel partes. *L. sed & loci §. si alter. ff. Finium regund.* Nam etsi actori hanc actionem habenti non sit obligata persona adversarij, est tamen hæc obligata jurisdictioni Judicis, coram quo convenitur, fertúrque in ipsam sententia, & compellitur restituere fundum alteri per sententiam adjudicatum: quæ fieri nequeunt sine jurisdictione in ipsam personam exercita. At jurisdictioni Judicis laici non est obligata persona Clerici. Pariter non valet, quod asserunt, quemque fortiri forum in loco, ubi res sita est, *L. ult. C ubi in rem actio. C. ult. de Foro comp.* quia hinc neutiquam sequitur, quòd Clericus respondere teneatur coram Judice laico illius territorij, in quo res sita est, sed tantùm quòd coram

ram Judice sacro illius territorij: nam aliàs sequeretur, quòd Clericus pariter conveniri actione personali posset coram Judice loci, ubi contractus fuit initus, quia eadem jura dicunt, respondere debitorem debere coram Judice loci contractûs. At juxta ipsos adversarios falsum est, posse actione personali conveniri Clericum coram laico. Æquè parùm obest *Auth. Clericus C. de Episc. & Cler.* ubi jubetur adiri laicus Judex contra Clericum, si *natura causæ, vel alia ratio faciat, ut negotium apud eum* (Episcopum) *decidi non possit.* Ultrò enim conceditur, adeundum esse laicum, si est causa feudi laici, aut in res ad Clericum translatas reservata fuit jurisdictio laicis, vel à Clerico venditore defendendus est emptor laicus &c. Plus si voluit Justinianus, lex illa tanquam contraria Immunitati Ecclesiasticæ invalida est.

303. Hactenus, quid juxta Jus scriptum tenendum sit, dixi. Idem procedere etiam de consuetudine ait Suar. *cit. c. 14. n. 11.* asserens contrariam opinionem usu ipso satis improbari. Sed intelligendus est de consuetudine Hispaniarum, cùm ibi neque actione reali coram laico Judice Clerici pulsentur. Covarr. *cit. n. 5.* Aliud observatur in Gallijs & multis locis Germaniæ, præcipuè in Camera Imperiali teste Gaillio *l. c.* & Mynsing. *cent. 1. observ. 95.* Et quanquam consuetudo contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam non valeat, ut dixi suprà *n. 231.* nec tamen ista, similisve alia reprobanda est, si à SS. Pontifice approbata est. Approbatam autem censeri, si Pontifex scit, eam vigere, & non reprobat, docent Vasquez *opusc. de Restit. c. 6. §. 1. n. 33.* Less. *L. 2. de Just. c. 33. dub. 4. n. 12.* Salas *de Legib. q. 96. tr. 14. n. 21.* ac nonnulli alij. Nec aliter intelligendi sunt Covarr. *Pract. qq. c. 31. n. 5.* & Jul. Clarus *L. 5. Sentent. §. fin. q. 36. n. 3.* quando ajunt, posse in quibusdam causis particularibus per consuetudinem derogari immunitati Ecclesiasticæ. Verùm hanc scientiam & tolerantiam sufficere ad vim hujusmodi consuetudinibus per SS. Canones & Leges reprobatis tribuendam, negant communissimè alij, quos sequuntur & longo ordine referunt Aug. Barbosa

Barbosa *in C.* 10. *de Constitut. à n.* 22. & Delbene *de Immun. Eccles. c.* 5. *dubit.* 14. *sect.* 6. *à n.* 1. Rationem dat Suarez *L.* 7. *de Legib. c.* 13. *n.* 12. qui tolerantia sola, quamvis suppositâ scientiâ, non indicat sufficienter consensum, cùm multa per patientiam tolerentur, quæ non approbantur, juxta *C. Cùm jam dudum de Præbend.* Et, ut loquitur Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *c.* 10. *n.* 256. simplex tolerantia (quando scilicet Princeps non potest commodè providere) non satis est ad dispensandum, juxta *Can. Denique dist.* 4. Nec tolerantia Papæ, ut ait Surdus *tom.* 3. *consil.* 301. *n.* 57. in his similibúsque casibus est approbativa, animo inducendi vel confirmandi consuetudinem, sed potiùs ut scandalum vitetur, &, ut addit Laym. *L.* 4. *Theol. Mor. tr.* 9. *c.* 10. *n.* 1. *§. sed probatur*, quia ob periculum majoris mali efficaciùs resistere & prohibere non potest. Rationem aliam addunt: quia constat, SS. Pontificem hujusmodi consuetudinibus non præbere consensum approbativum, quin potiùs reprobare per generalia edicta, & censuras Bullæ Cœnæ. Unde Vigianus *tract. de libert. Eccles. disp.* 2. *concluf.* 3. ait: *cùm quotannis Bulla Cœnæ excommunicet Magistratus, persuasissimum cuique esse debet, SS. Pontifices hanc consuetudinem, quam corruptelam vocant, æquo animo non sufferre, & consequenter neque expressè neque tacitè in eam consentire.* Eodem modo loquitur Malderus *p.* 4. *q.* 96. *art.* 4. Et reverâ si considerentur ea, quæ cùm ex eadem Bulla Cœnæ, tum ex Bulla Urboni VIII. suprà retuli *n.* 231. *§. Hinc est*, non apparet, quomodo dici possit, SS. Pontifices per suam scientiam & tolerantiam consentire.

304. Video, dici posse, saltem consuetudine temporis immemorialis immunitati Ecclesiasticæ derogari, cùm juxta communem DD. ex ea præsumatur titulus, imò sit ipsa instar tituli, ac idcirco ex ea præsumi privilegium & concessionem Pontificiam; hâc autem habitâ jam non agi contra dictam immunitatem. E contrario tamen notum est inprimis, hæc locum duntaxat tunc habere, quando capacitas est in possidente, & privi-

legium tale est, quod concedi soleat. At capacitas jurisdictionis Ecclesiasticæ (quæ requiritur ad judicandos Clericos) non est *in* laicis, nec per privilegium Pontificium dari solet. Constat secundò, præsumptioni locum non esse, ubi alia in oppositum stat præsumptio. At stat hìc in oppositum præsumptio: nam Jura suprà allegata damnant quamcunque consuetudinem immunitati illi contrariam, & prætextum cujuscunque privilegij; unde præsumunt illud non dari, nisi clarè probetur. Constat tertiò, consuetudine à Juribus reprobata & consequenter irrationabili, qualis hæc de qua loquimur, à Theologis & Canonistis, ac plurimis Legistis censetur, non posse induci privilegium, ut post alios notat Suar. *in Defens. Fid. L. 4. c. 34. n. 16.* Hinc passim contra Covarruv. Virum cœteroqui doctissimum, insurgunt DD. quòd vim consuetudini aliquam tribuerit, non quidem universim contra immunitatem Eccles. sed in nonnullis particularibus materiis, & objectis: quia Jura, dum damnant hanc consuetudinem, non loquuntur de ea, quæ abrogat totam immunitatem Clericorum (talis enim nunquam dabatur, nec unquam attentata fuit) sed etiam de ea, quæ fuit inducta in materia particulari, ut legenti patebit, & manifestum est præcipuè ex *C. 8. de Judic.* quod integrum sic legitur: *Clerici verò, maximè in criminalibus, in nullo casu possunt ab alio, quàm ab Ecclesiastico Judice condemnari, etsi consuetudo regia habeat, ut fures à Judicibus secularibus judicentur.* Hæc ex Legibus & Doctoribus in medium attulisse, uti nec alijs, ita nec mihi apud sapientes rerum æstimatores vitio erit: absolutum verò de prædicta consuetudine aliáve simili particulari judicium ferre, non meum, sed aliorum, ac præcipuè summæ Sedis esto.

305. Illud non difficulter concedunt quidam DD. si agatur de bonis regalibus, & Clericus actione reali super ijsdem conveniendus sit, conveniri posse coram Judice seculari: eò quòd concessa videantur sub conditione, ut controversiæ super ijsdem ortæ seculari judicio terminentur. Verùm non explicant, quid nomine Regalium Bonorum intelligant. Si hoc nomine veniunt

Bona

Bona Feudalia, quibus annexa sunt regalia, v. g. merum imperium, jus cudendæ monetæ &c. patet ex dictis *àn. 289.* circa illa Clericos conveniri actione reali posse coram laico Feudi Domino. Si verò intelligantur bona à Rege vel Principe profecta & donata Ecclesiæ, negandum est, quòd seclusâ consuetudine à SS. Pontifice approbatâ actio realis circa illa Clericis coram Judice seculari intentari possit; nam omnino gratis supponitur, quòd sub dicta conditione in Ecclesiam translata sint, præcipuè si ex ijsdem ipsa fuit fundata. Sicut enim contractus initus censetur juxta ea, quæ ipsi naturâ insunt, nisi expresso pacto contrahentium aliud statuatur: ita Princeps transferens bona in Ecclesiam, censendus est, nisi aliud exprimat, velle, ut sint penes Ecclesiam, qualia per se esse debent, nimirum libera â jurisdictione seculari; præsertim quia beneficium Principis amplè interpretandum est, maximè in causa Religionis, juxta *L. sunt personæ ff. de Religiosis ac sumpt. funer.* Et cùm Principes Ecclesiasticis sæpe concesserint unà cum bonis jurisdictionem in laicos, à fortiori censendum est, quòd à jurisdictione laicorum eos voluerint eximere; cùm hoc minus sit, quàm illud, & annexum de se sit statui Ecclesiastico, non item illud.

306. Dixi: *præcipuè si ex bonis illis fundata fuit Ecclesia*, ut videlicet ex illis sumptus in Sacrificia, Vestes & Vasa sacra, reparationem ædificij &c. habeantur. Hujusmodi enim bona cùm sint propria Ecclesiæ, maximè sacra & religiosa sunt, & speciali jure sub dominio & patrimonio Christi constituta, ac propterea à dominio & potestate laicorum exempta & libera ab omnibus cùm extraordinarijs tum ordinarijs oneribus, cùm per se ordinentur ad spiritualem & supernaturalem finem, ac propterea eorum administratio pertineat ad spiritualem potestatem. *Can. secundùm 24. 23. q. 8. C. quæ in Ecclesiarum* & *C. Ecclesia S. Mariæ de Constitut. Can. nulli liceat* & *Can. Quicunque* 12. *q.* 2. Innocent. Henric. Boich. ac alij *in C. non minus de Immunit. Eccles.* Cardin. *in Clement. 1. de Vit. & honest. Cleric. q. 18.* & *in Can. Magnum ij. q. 1.*

*q.* 1. Innocent. *in C. cùm super de causa poss. & propriet. n. 3.* & *in C. verùm de For. comp. n.* 2. Afflict. *decis. 361. n. 22. & 23.* Ferrett. *tr. de Gabell. n. 448.* Nicol. Everhard. *Sen. consil. 42. per tot.* Germon. *de Sacror. immunit. l. 3. c. 17. n. 82. & 83.* Suar. *L. 4. Defens. Fid. c. 17. à n. 6. c. 19. n. 2. & 8. c. 20. n. 17. & c. 21. à n. 5.* Comitol. *in Responsa Moral. c. 70. & 71.* Sperelli *p. 1. decision. 35. n.* 1. Delbene *de Immun. Eccles. c. 5. dub.* 15. *à n.* 15. Si tamen bona eâ lege & conditione expressè concessa sint Ecclesiasticis à laicis, ut sub priori jurisdictione laicali maneant, concedendum est, litigari tunc super iisdem debere coram tribunali profano, si actio realis intentatur, uti sumitur ex *C. verùm de Condit. appos.* & *C. præterea 2. de Jure Patron.* ac tradunt cum Panor. Felin. Joan. Andr. ac Hostiens. Suar. *L. 4. Defens. Fid. c.* 14. *n.* 13. Gutierez *L.* 1. *Pract. qq. q.* 10. *n.* 1. Molina *de Just. tr. 5. disp. 6. n. 6.* Laym. *L. 4. Theol. Moral. tr. 9. c. 5. n. 4.* Pirhing. *ad L. 3. Decretal. tit. 49. n. 74.* König *eod. tit. n.* 29. Idem dicere videntur Molina *l. c.* ac alij de casu, quo bona transferuntur in Ecclesiam sine consensu Principis: tunc enim non præjudicari ejus jurisdictioni, eò quòd nemo transferre plus juris in Ecclesiam possit, quàm ipse habuerit, nec tollere jus quæsitum Principi, nisi iste suo consensu illo se se abdicet. Verùm hinc sequeretur, bona laicorum sine consensu Principis aut acquiri non posse, aut si absque eo consensu acquisita sint, manere ejusdem jurisdictioni subjecta & tributaria. Primum repugnat Juri Canonico *in C.* 1. *de Immun. Ecclesiar. in* 6. alterum quoque falsum esse ostendit præter alios Suarez *l. c. c. 20. à n. 23.* ubi *n. 29.* ad rationem oppositam respondet. Mihi non vacat immorari, cùm hîc agendi locus non sit de Immunitate Ecclesiastica Reali, sed solùm de Personali, ut dixi suprà *n. 221.* Illud addendum est, quòd si valeret consuetudo conveniendi Clericos actione reali coram Judice seculari, eâ tamen non obstante posse Clericum illâ actione conveniri etiam coram Judice Ecclesiastico, cùm iste in res æquè ac personas Clericorum fundatam habeat intentionem, & actio realis tam in loco rei sitæ, quàm in loco domi-

cilij

cilij rei conventi instituì possit, ita ut electio sit penes actorem, quo in loco convenire reum velit, ut observant Illust. D. Schmid & Prænob. D. de Bassis *Semicent. 2. qq. For. contr.* 14. *n.* 10. Quam ultimam rationem etsi *n. 216.* rejecerim, assertio nihilominus verissima est.

## §. X.

## *An Clericus ad Judicem Secularem trahi possit, si convenitur nomine laici.*

### SUMMARIUM.

307. *Proponitur opinio negantium, tametsi lis cum laico defuncto cœpta jam fuerit.*

308. *Eligitur opinio affirmantium, casu, quo Clericus fuerit successor universalis.*

309. *Clericus venditor emptorem laicum coram Judice laico defendere tenetur.*

310. *Maximè ideò, quia non in Clericum, sed in emptorem laicum fertur sententia.*

311. *Respondetur ad oppositа.*

312. *Si colonus Clerici vel inquilinus laicus conveniatur rei vindicatione, & Clericum dominum nominet, conveniri hic solum potest coram Judice Ecclesiastico.*

307. Quæstio est, an Clericus, si v. g. sit hæres laici, & coveniatur à creditoribus defuncti, respondere teneatur coram Judice laico. Supponunt DD. post Bartol. *in L. Hæres absens. ff. de Judic.* & Decium, Panor. Ant. Butr. *in C. quia de Judic.* ac alios, quos allegant, & sequuntur Covarr. *pract. qq. c. 8. n. 4.* ac Gaill. *L. 1. observ. 37. n.* 10. conveniri tantùm posse coram Ecclesiastico, si lis cum defuncto nondum cœpta fuit. Itaque controversum duntaxat est, an idem dicendum sit, si lis cum defuncto laico cœpta pendet. Asserunt post Panor. Imol. Felin. Rotam Roman. M. Anton. *L. 1. resol. 49. n. 2.* Bonacin. *de Legib. disp.* 10. *q. 2. pun. 1. §. 1. n. 25.* Duard. *in Bullam Cœnæ can. 15. n. 2.* Belletus *p. 1. Disquis. Clerical. fol. 274. n. 6.* Squillante *de*

*Privil. Cleric. c. 7. dub. 3. à n. 58.* ac alij, quos refert Delbene *c. 7. de Immun. Eccleſ. dub. 6. n. 6.* & Sperelli *Fori Eccleſ. deciſ. 7. n. 3.* ubi communem aſſerit, Clericum heredem laici non teneri proſequi coram laico Judice litem contra laicum cœptam & conteſtatam, ſed avocare eam poſſe, ac debere ad Forum Eccleſiæ: eò quòd ſemper militet ratio ſuæ exemptionis à foro ſeculari, ac præventio Judicis ſecularis ipſi nec tribuat, nec tribuere poſſit poteſtatem in Clericum.

308. Dicendum eſſe videtur, teneri Clericum litem cœptam proſequi coram Judice laico. Ita ſentiunt Barthol. Socin. *L. 3. conſ. 91. v. Circa ultim.* ubi ait eſſe communem, Covarr. *l. c. n. 2.* Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 1. q. 8. n. 46. ampliat. 17.* Cariolan. *in Bullam Cœnæ excomm. 16.* Reginald. *tom. 1. lib. 9. c. 33. n. 352.* Scaccia *L. 1. de Judic. cauſ. civ. & crim. c. 11. n. 23.* Carol. de Graſſis *de Effect. Cleric. effect. 1. n. 282.* ubi alios refert. Ratio eſt: quia hac ratione non tam Clericus convenitur, quàm defunctus, & ob cœptum & radicatum judicium coram uno legitimo Judice cauſa illi eſt obnoxia, in quemcunque tranſeat. Neque mutatur ejus conditio mutatâ perſonâ hæredis, durátque repræſentatio auctoris, & defuncti, haud ſecùs, quàm ſi vivus ſupereſſet, & judicium cum eo continuaretur. *L. ſi quis ff. de Judic. L. cùm quædam puella. ff. de Jurisd.* cùm hæreditas tranſeat cum ſuo onere. *L. æris alieni C. de Donat. ante nupt.* Unde corruit ratio pro contraria opinione allata: quia hîc non militat ratio exemptionis Clericalis, eo ipſo, quòd Clericus in tali caſu non tam in propria perſona, quàm laici defuncti, quem repræſentat, convenitur. Dixi autem, Clericum, ſi ſit hæres laici, proſequi debere litem coram Judice laico, coram quo cœpta fuit contra defunctum. Quòd ſi enim conveniatur ſolùm ut particularis ſucceſſor laici, v. g. tanquam emptor, legatarius, donatarius, juxta Baldum, Panormitanum, Decium, Puteum, Capycium, Moneta, aliósque complures, quos referunt & ſequuntur Alphonſ. de Eſcobar *c. 51. de Pontificia & Regia Jurisdictione*

*dictione n. 2.* & Mendo *de Jure Academico L. 3. q. 3. n. 22.* conveniendus solùm est coram suo Judice Ecclesiastico, tametsi coram laico Judice lis cœpta jam fuerit contra antecessorem seu auctorem laicum.

309. Similis est illa controversia, quâ quæritur, utrùm Clericus venditor laico emptori ita teneatur de evictione, ut eum coram laico Judice defendere debeat. Hoc quoque affirmo cum Panor. *in C. quoniam §. in alijs Ut lite non contest. n. 28.* Ant. Butr. *ibid. §. quòd si super.* Anchar. *in C. ea quæ de R. J. in 6. q. 17.* Corn. Dec. Bald. ac communi aliorum, quos sequuntur Covarr. *cit. c. 8. n. 3.* Fachin. *L. 3. contr. c. 38.* Molin. *tr. 2. de Just. disp. 380. n. 15.* Gaill. *lib. 1. observ. 37. n. 7.* Petr. Barbos. *in L. venditor. ff. de Judic.* Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 30. n. 8.* contra Gloss. *in C. Nullus Clericum 11. q. 1.* Castr. Aretin. aliósque complures, quos referunt Fachin. *l. c.* Barbosa *L. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 2. n. 115.* ac sequuntur Diana *p. 3. tr. 1. resol. 25.* Ranbek *Panopl. libert. Eccles. disp. 2. c. 2. controv. 2.* qui tenent, quòd Clericus possit, ac debeat vi immunitatis Ecclesiasticæ trahere laicum actorem evincere volentem ad Judicem Ecclesiasticum. Ratio nostræ assertionis est, quia juxta *L. 49. ff. de Judic.* venditor emptoris Judicem sequi debet. Neque obstat, quod nonnemo hìc respondet, hoc esse effatum Ethnici nihil scientis de Clericorum privilegijs: ille enim pronuntiavit secundùm lumen & æquitatem naturalem, ac deinceps hæc sententia per Imperatorem Christianum vim accepit, cui quia Ecclesiastici Superiores & Prælati, cùm facilè possent, non contradicunt, fatentur non violari immunitatem Ecclesiasticam, nec privilegium fori declinatorium ad talem casum extendi. Et erat sanè ratio extensionem non faciendi, ne videlicet præjudicium crearetur actori, habenti jus conveniendi emptorem apud Judicem laicum: præsertim cùm hæc defensio emptoris coram Judice laico tam parùm dedeceat Clericum, quàm parùm dedecet intentare laico coram Judice laico actionem.

310. Valida & hæc pro hac opinione ratio videtur, quòd

in venditorem, qui ab emptore laudatus liti assistit, non fertur sententia, sed in emptorem; neque dignitas venditoris attenditur, ut inde judicium immutetur; sicut non attenditur, quando ad defensionem rei Clericus coram laico testimonium dicit. Non ergo Clericalis dignitas per tale judicium despicitur, & æquè parùm, aut etiam minùs, quàm si ipse Clericus agat contra laicum coram laico: cùm in tali casu in Clericum sententia ferri à laico possit, quæ tamen non fertur in causa evictionis.

311. Neque obstat, quod ex *C. si diligenti de For. comp. cit. Can. Nullus 11. q. 1.* aliisque Juribus objiciunt, Clericum non posse conveniri coram Judice laico. Negatur enim suppositum, quòd in causa evictionis venditor propriè conveniatur, & reus sit: duntaxat enim emptorem conventum, & reum defendit. Illud tamen inde sequitur, & fatentur omnes, si Clericus sit emptor rei alienæ, & rem suam repetat dominus, aut sit venditor, & emptor re evictâ contra ipsum agere velit de evictione, conveniri debere coram Judice Ecclesiastico. Æquè parùm obstat, quod objicitur à paritate cum Fisco, qui ad suum Judicem causam avocare potest. Nam juxta communem DD. etiam Fiscus causam evictionis agere debet coram emptoris Judice. Ratio est: quia privilegia inducenda non sunt absque manifesto textu Juris, aut ratione. At quòd Fiscus non teneatur sequi forum sui emptoris, nullâ lege, vel ratione probatur: nam leges, quas afferunt Adversari, nihil aliud decidunt, quàm causas fiscales à Procuratore Cæsaris cognoscendas esse. At causa evictionis, quando fiscus est venditor, non est directè fiscalis, quia est causa emptoris, cujus defensionem venditor suscipit.

312. Notandum tamen hîc est, assertionem nostram non procedere, quando colonus Clerici, vel inquilinus; vel qui alio nomine possidet, rei vindicatione pulsatur, & Clericum tanquam dominum nominat, juxta *C. ult. Ut lite non contest. §. quòd si super, & L. 2. C. ubi in rem actio.* Nam tunc Clericus ejus defensionem suscipiens potest ac debet causam ad suum forum avocare, uti benè

nè tradunt Ant. Butr. *in cit. C. ult.* & Panor. *ibid. n. 10.* Ant. de Burgos. *ad C. ult. de Empt. & vend. n. 17.* aliíque. Eo enim casu Clericus est necessarius defensor suæ rei, tanquam dominus, & non tanquam procurator, judiciúmque in eum transfertur, colono ab instantia liberato. Unde novus adversùs eum libellus offerendus est, ut cum Bart. *in L. 2. C. ubi in rem act.* advertit Panorm. *l. c. §. in alijs n. 28.* E contrario quia emptor rem emptam possidet suo nomine, & non alieno, ut colonus, inquilinus, commodatarius, precariò habens &c. idcirco judicium in ipsum dirigitur: neque emptor laudato suo auctore absolvitur ab instantia, nec adversùs venditorem novus libellus offertur. Quæ causa est, quòd etiamsi agatur coram Judice laico, & venditor sit Clericus, non tamen iste dici poterit litigare coram Judice laico, sed tantummodo defensionem emptoris susçipere: sicut procurator, qui ex eo capite, quòd alium defendit, alieni fori non efficitur. Ex quo consequens est, gratis aliquos dicere, si lis contestata cum emptore jam fuerit, debere venditorem litigare coram Judice emptoris; secùs, si contestata nondum sit. Si tamen Clericus venditor ultrò susciperet in se judicium, & suo nomine causam prosequi vellet, malè & invalidè ageret, & Judex secularis eum admittere non debet, ut cum communi & recepta DD. observant Barbos. *l. c. n. 144.* & *148.* ac Oliva *l. c. n. 11.* quia tunc ultrò se subijceret potestati seculari contra decisionem *cit. C. si diligenti* & *C. significásti de For. comp.* Et in hoc sensu procedit sententia negans à Clerico posse defendi laicum emptorem in Judicio seculari.

## §. XI.

### *An Judex laicus aliquando contra Clericos procedere possit.*

SUMMARIUM.

313. *Judex secularis jurisdictionem exercere potest in Clericum actua-*

*actualiter degradatum, ipsique à Prælato Ecclesiastico traditum.*

314. *Item Assassinum, quamvis non degradatum.*

315. *Potest capere Clericum & punire, qui dimisso habitu & tonsurâ crimina patrat, ob quæ privilegium Clericale amittitur.*

316. *Nec non Clericum rebellem, vel proditorem capere & occidere, si aliter justitia obtineri & periculum averti non potest. Nunquam tamen jus dicere sibi possunt laici adversus Clericos, si iustitiam obtinere à potestate Ecclesiastica possunt.*

317. *Clericus in Minoribus, qui obtentis à Capitulo Cathedrali dimissorijs intra annum ordines non suscepit, judicari, præcipuè in criminalibus, à Judice seculari potest.*

318. *Clericus, qui coram seculari Judice sequestrum vel depositum accepit, cogi ab eo ad restitutionem non potest.*

319. *Nec puniri ab eodem ob falsum testimonium coram ipso depositum.*

320. *Absque licentia Prælati Ecclesiastici capi à Judice laico Clericus potest, qui vult malum sibi aliísve inferre aut aliud delictum committere, quod absque captura impediri nequeat.*

321. *Idque verum est, non solùm quando certum est, delictum esse committendum; sed etiam, quando solùm præsumitur, & meritò timetur.*

322. *Capi Clericus à Judice seculari potest, ut ad suum Prælatum statim deducatur, quoties deprehenditur in flagranti delicto, & de fuga est suspectus.*

323. *Clericus debitor de fuga suspectus detineri à Judice laico potest, si periculum sit in mora, ac bona habeat ultra congruam sustentationem, ac cum his aufugere paret.*

324. *Ut Clericus licitè capiatur à Laico Judice, vel puniatur, non sufficit licentia Prælati Ecclesiastici solùm interpretativa; nec licentia Prælati SS. Pontifice inferioris. Nisi periculum sit in mora.*

313. Non eò usque extendendum est privilegium Fori Clericis competens, ut nullo in casu jurisdictio in ipsos Judici seculari

lari competat. In nonnullis enim competere extra controversiam est. Nam, ut eos omittam, quos enarravi suprà *à n. 234. n. 289. n. 308.* tametsi Clerici privilegio fori gaudentes à Judice laico etiam pro crimine gravissimo judicari & condemnari nequeant, ut patet ex *C. nullus Clericum 2. de For. comp.* & cum Interpp. *ibi* tradunt Covarr. *pract. c. 32. n. 2.* Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 36. n. 35. v. scias tamen*, Boss. *in Pract. crim. tit de Foro Comp. n. 127.* certum tamen est primò, puniri ab eodem posse ab Ecclesiastico actualiter degradatos & ei traditos. *C. at si 4. C. cùm non ab homine 10. de Judic. C. ad abolendum de Hæret. C. Novimus de V. S. C. ad falsariorum de Crim. fals. C. 2. de Pœn. in 6.* Quandonam verò & quomodo actualis degradatio fieri debeat, non est hujus loci disquirere. Videri possunt Jul. Clarus *L. 5. sentent. §. fin. q. 36. à n. 30.* Covarrv. *L. 2. var. resolut. c. 20. n. 7.* Scaccia *de Judicijs c. 11. à n. 60.* Farinac. *in Praxi crimin. q. 8. à n. 70.* Augustt. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi p. 3. allegat. 110. à n. 10.* Sed nec illud hujus loci est decidere, an tunc Judex secularis stare debeat processui Judicis Ecclesiastici. De quo præter alios fusè Marta *de Jurisdict. p. 1. c. 51.* & *p. 4. casu 131.* & Oliva *p. 2. de Foro Eccles. q. 13.*

314. Secundò. Clericus Assassinus, seu is, qui pecuniâ acceptâ vel promissâ aliquem Christianum occidit, vel occidere conatur, capi à seculari Judice & puniri potest, etiam non præmissâ degradatione, uti communis Interpretum intelligit textum *C. 1. de Homicid. in 6.* Asserunt tamen præter alios Menoch. *L. 2. de arbitrar. cas. 360. n. 41.* Gabrielius *L. 7. Com. opin. tit. de Malefic. concluss. 1. n. 17.* & Covarr. *L. 2. var. c. 20. n. 10. v. Sextò.* quamvis aliàs non parùm indulgens potestati seculari, ac propterea ab alijs passim reprehensus, requiri ad Assassinatum ac perdendum propterea fori privilegium, ut quis operâ infidelis seu non baptizati ad occidendum usus fuerit. Alij præterea, & quidem communiter, teste Claro *l. c. n. 31.* necessariam autumant sententiam criminis declaratoriam à Judice sacro latam. De crimine nefando, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ,

idem

idem asserit Marta *de Jurisd. p. 2. c. 16.* Sed fallitur: quia eadem Bulla Pij V. quam allegat, & alia ejusdem Pontificis, requirit degradationem.

315. Tertiò. Judex secularis capere ac punire potest Clericum, si habitu & tonsurâ dimissâ crimina patret, in quæ statuta est privatio privilegij Clericalis: saltem præmissâ per Judicem Ecclesiasticum sententiâ criminis declaratoriâ. Covarr. *pract. c. 32. n. 2. v. Secundò*, Clarus *cit. q. 36. n. 77.* Marta *de Jurisd. p. 2. c. 36.* ac communis DD. per textum *C. Cùm non ab homine de Judic.* modò servetur forma & ordo *cit. C.* præscriptus. An verò requiratur trina monitio prævia, controversum est. Trinam requiri assero cum Covarr. *l. c.* Joann. Andr. ac Ant. Butr. *in C. Perpendimus de Sent. Excommun.* Alexand. *L. 1. consil. 8.* Fachineo *L. 9. controv. c. 28.* ac alijs: quia *C. in audientia 25. & C. contingit 45. de Sent. Excomm.* ac *C. ult. de vit. & honest. Cleric.* apertè requiritur trina.

316. Quartò. Princeps secularis Clericos conspirationi, rebellioni, ac proditioni se immiscentes, tanquam hostes, non solùm in conflictu, sed etiam post illum, si ratio justi belli id exposcat, occidere potest; multóque magis capere, & carceribus mandare, sive bellum sit offensivum sive defensivum. Idque potest eos etiam præveniendo, & quando conspiratio & rebellio nondum erupit aut effectum aliquem habuit, si quidem damnum vel privatum vel publicum aliter quàm hac ratione averti nequeat Ratio est: quia hæc procedendi ratio est potiùs defensio naturali Jure etiam privatis permissa, quàm punitio & vindicta. Potéstque contra hostem Reipublicæ dicto modo procedi, tametsi non sit subditus: rebelles autem & proditores pro hostibus habentur. *L. Amissione §. qui deficiunt. ff. de Capit. diminut. L. Proditores. ff. de Re milit. L. Postliminium §. Transfugæ. ff. de Captiv. & postlim. reversi.* Quòd si res moram patiatur seu nullum sit in mora probabile periculum, poterunt in custodia detineri, donec certior fiat Superior Ecclesiastiaus, & ab eo exigatur, ut

contra

contra ipsos procedat ad condignam satisfactionem & vindictam. Quod si facere is nollet, ipse Princeps jus sibi dicere potest, ut notat Oliva *p.* 3. *Fori Eccles. q. 17. n.* 121. ubi existimat, tametsi C. *si Judex laicus de Sent. Excomm. in* 6. aliisque Juribus præcipiatur, ut Clerici à Magistratu seculari capti mox remittantur ad Ecclesiasticum, in dicto tamen casu remissionem non esse necessariò faciendam, sed posse eos captivos detineri, donec appareat, utrùm procedat Ecclesiasticus: eò quòd Princeps tunc non procedat jurisdictionaliter, sed jure belli, & protectivâ potestate, nec conveniat Principi coram Ecclesiastico Judice litigare, & locum concedere multis dilationibus & appellationibus, quibus forsan effugere rei possent cum contemptu Regiæ potestatis & damno Reipublicæ. Non tamen, quamdiu obtineri justitia potest à potestate Ecclesiastica contra Clericos, jus sibi ipsis dicere possunt laici, neque ob negligentiam Judicis sacri inferioris causas illorum ad se trahere, quando absque moræ periculo Judex superior adiri potest, ut cum communi DD. observat Farin. *cit. q. 8. n. 46.* & Covarr. *Pract. c.* 35. *n.* 3. Nec obstat *Can. Filijs 31.* 16. *q.* 7. ubi Prælatis negligentibus dicitur implorandum auxilium Regis contra Clericos: quia solùm implorandum est ut protectoris & defensoris, qui curet causam decidi à superiore potestate Ecclesiastica, vel etiam in hujus defectum decidat. Pariter non obstat *Novell.* 88. & *Novell.* 128. *c.* 11. quia Justinianus nihil statuere contra immunitatem Clericorum & *C. qualiter 17. de Judic.* potuit. Videatur Pignatelli *tom. 2. consult. 62.* ubi fusè agit de pœnis eorum, qui detinent, incarcerant, aut hostiliter insequuntur S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, aliósque Præsules; & de obligatione Principum secularium pro causæ cognitione in manus SS. Pontificis eos remittendi.

317. Quintò. Clericus in Minoribus, si à Capitulo Cathedrali sede vacante reverendas seu dimissorias obtinuit ad suscipiendos alibi Ordines, eósque intra annum vacationis non suscepit, judicari, præcipuè in criminalibus, potest à Judice laico.

Diaz *in pract. crimin. c. 26. n. 2. v. advertendum*, Thom. Valasc. *allegat. 45. n. 19.* Suar. *de Censur. disp. 31. sect. 1. n. 20.* Sanch. *de Matrim. L. 7. disp. 46. n. 18.* Garcias *de Benefic, p. 5. c. 7. n. 9.* per textum Trident, *sess. 7. c. 10. de Reform. sic ordinati. si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant.* Quæ pœna per idem Concilium *sess. 23. c. 10. de Reform. v. pœnam quoque* extenditur ad eos, qui sede vacante impetrant dimissorias *non à Capitulo, sed ab alijs quibusvis in jurisdictione Episcopi, sede vacante succedentibus.* Et quamvis Navarr. *consil. 28. de Tempor. Ordin.* privationem privilegij non incurri ipso jure, sed necessariam esse sententiam existimet, eò quòd verbum *Gaudeat* denotat tempus futurum, sicut quando dicitur *excommunicetur*, vel *bonis, honore spolietur*, quæ verba pœnam infligendam, non actu inflictam & contractam significant, juxta Gloss. communiter receptam *in C. in pœnis 49. de R. J. in 6.* rectiùs tamen Sanchez *l. c. n.* 19. asserit, sententiâ opus non esse, sed privationem ipso jure & facto & cum effectu incurri: cùm Trident. *sess. 23. c. 6.* pariter utatur verbo *non gaudeat* circa Clericos in Minoribus Beneficium non habentes, & habitum & tonsuram non deferentes &c. qui tamen juxta communem DD. non gaudent privilegio fori, tametsi nulla sententia vel condemnatoria, vel declaratoria præcedat. Cùm hoc privilegium sit conditionatum, seu sub conditione *si formam à Jure præscriptam observent:* quâ conditione non impletâ cessat voluntas concedentis privilegium. Pariter privilegio fori non gaudent, sed seculari jurisdictioni plenè in omnibus (prævia tamen Judicis Ecclesiastici declaratione) subjecti sunt Itali, qui cum falsis literis dimissorialibus ab alieno Episcopo ordinati fuerint, ut in sua Bulla *Secreti* §. 4. statuit Urbanus VIII.

318. Sextò. Si Clericus coram Judice seculari accepit sequestrum vel depositum, cogi per eundem Judicem ad restitutionem potest, juxta Bald. *in L. acceptam C. de Usur. n. 4.* Jason. *in L. si fidejussor. §. fin. ff. qui satisdare cog.* Afflict. *decis. 24. n. 3.* Marant.

Marant. *p. 4. de ordin. Judic. distinct. 11. n. 26.* Surd. *consil. 180. n. 11.* ac alios, quos refert Tiraq. *de Retract. Convent. glossa 7. n. 10.* Verùm meritò refragantur alij, cùm hæc opinio, ut notat Oliva *l. c. q. 29. n. 15.* manifestè pugnet cum principijs & regulis Juris Canonici, docentibus, Clericos esse exemptos à seculari jurisdictione, præcipuè quoad suam personam. Unde Judices seculares cogere ad aliquid Clericorum personas nequeunt, nisi in casibus exceptis & suprà relatis, inter quos iste non reperitur. Et idcirco fatetur Tiraq. licèt illa in Gallia servetur, de Jure tamen contrarium dicendum esse. Et observat Marta *de Jurisd. p. 4. casu 104. n. 9.* si illa sententia (quatenus agit de coactione Clerici) observaretur, destructum iri omnes regulas jurisdictionis, tam per Jus Civile quàm per Canonicum dispositas. Neque obstat suscepti officij ratio: quia nec propter illud cogi Clericus à laico potest, ut cum communi tenent Covarr. *c. 33. Practic. qq. n. 6.* Aufrer. *in Clement. de Offic. Ordin. n.* 25. Jul. Clarus *L. 5. Sent. §. fin. q.* 36. *n.* 25. ubi asserit, contrarium non posse jure defendi, licèt in Gallijs observetur.

319. Septimò. Juxta Gloss. *in L. Nullum C. de Testib. v. Præscriptionem*, Cynum & Baldum *ibid.* ac Marsil. *ad L. ult. ff. de Jurisd. n. 152.* Clericus falsum testimonium dicens coram seculari Judice, puniri ab eodem potest: eò quòd *cit. L. Nullum* Zeno Imp. statuerit, non licere cuiquam testi allegare fori præscriptionem, quò minùs à Judice puniatur, apud quem falsum deposuerit. Puniri non quidem pœnâ corporali posse, posse tamen mulctâ pecuniariâ, tradidêre Federic. Senens. *consil. 93.* & Guiliel. de Benedict. *p. 1. repet. in C. Raimucius n. 434. v. Et Uxorem*; eò quòd persona Clerici non sit subjecta Judici seculari, bene tamen res ipsius; qua de causa si Clericus temerè coram laico litigavit, in expensas condemnari potest. Verùm contraria sententia asserens, hujusmodi Clericum ne quidem in ære à Judice seculari puniri posse, non tantùm verior est, ut putat Fachin. *L. 9. Controv. c.* 27. sed absolutè vera, tenetúrque à plerisque DD.

quos longo ordine adducunt, & sequuntur Covarr. *Practic. c. 18. n. 8.* Farin. *L. 1. Prax. crimin. tit. 1. c. 8. n. 26.* Decian. *tom. 1. Tract. crim. L. 4. c. 9. n. 22.* Clar. *l. c. q. 38. v. sed hîc quæro*, Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 128. n. 9.* Diana *p. 1. tract. 1. resol. 109.* Pignatelli *tom. 2. consult. 48. n. 4.* Cùm nullus Clericus distringi & condemnari debeat à Judice seculari. *C. Nullus Clericum 2. & C. si diligenti 12. de For. comp. C. 1. de Cleric. Conjug. in 6. Auth. statuimus C. de Episc. & Cler.* Ad *cit. L. Nullum* Respondetur, eam de alijs Fori præscriptionem habentibus accipiendam esse, quia Clerici exempti sunt à jurisdictione seculari tam Jure Canonico quàm Civili: quod exemptionis privilegium non abstulit, nec auferre voluit aut potuit Zeno Imperator. Quod de rebus Clericorum asserebatur, nullo Jure probatur, sed potiùs contrarium ex utroque Jure certum est. Accedit, quòd hîc delictum personæ spectari debet, quia Clericus etsi pecuniariâ solùm pœnâ mulctetur, infamiam tamen incurreret propter condemnationem & gravem pœnam, quam infligere non potest Judex secularis, cùm Clerici personam distringere & condemnare non valeat; quod tamen fieret, si Clericum punire in bonis posset. Neque obest, quod de condemnatione in expensas dicebatur: hæc enim necessariò consequitur ipsum judicium, quod Clericus coram laico contra laicum suscipit, quia sine ea justa sententia sæpè ferri non potest.

320. Octavò. Licèt Judex secularis Clericum capere nequeat, multóque minùs in carcerem detrudere, quin Sacrilegium & Excommunicationem *Can. si quis suadente 17. q. 4.* incurrat, ut tradunt omnes Catholici DD. & patet cùm ex Juribus suprà allegatis, tum ex *C. si verò alicujus 3. de Sent. Excomm.* & Bulla Cœnæ *Excomm. 11.* nisi licentiam vel mandatum habeat à Prælato Ecclesiastico *C. ut famæ de Sent. Excomm.* & *ibi* Gloss. *V. de mandato*, ac DD. sive generale, quod volunt sufficere Boss. Butr. Alciat. ac alij; sive speciale, quod requiri existimat Marta *de Jurisd. p. 4. casu 42. n. 15.* cum Anchar. Aretin. Decio,

Decio, ac alijs. Nihilominus absque dicta licentia capere Clericum potest, si hic vult malum sibi vel proximo inferre, aliúdve delictum committere, quod absque coërcitione & captura impediri nequeat. Panorm. *in cit. C. ut famæ n. 6.* & *in cit. C. 3. de Sent. Excomm.* Bossius *in Pract. Crimin. tit. de Captura n. 39.* Diaz *in Pract. Crimin. c.* 122. Menoch *de Arbitrar. casu 180. n. 2.* Patet ratio: quia quilibet non tantùm se suáque defendere contra injurias & damna potest, sed etiam proximum. Quod à fortiori procedit de Magistratibus, quibus cura incolumitatis & pacis civium ex officio incumbit.

321. Et quidem procedit assertio non tantùm, quando certum est, delictum esse committendum aut damnum inferendum; sed etiam, quando solùm præsumitur & meritò timetur. Exemplum dat Oliva *l. c. q. 22. n. 9.* si Clericus in platea noctu inveniatur cum armis horâ insolitâ: posséque tunc capi, ut suo Judici tradatur, tenet cum Guttier. *Pract. qq. L. 1. q. 12. n. 5. & 7.* Jul. Claro *cit. q. 36. n. 26.* ac alijs: eò quòd tunc præsumatur velle aliquod crimen committere. Capi tamen nec hoc, nec priore casu potest Clericus, ut à laico puniatur; sed solùm, ut ad Judicem Ecclesiasticum remittatur, ut citt. DD. observant, & ex hactenus dictis notum ac certum est.

322. Quin capi Clericus à Judice seculari potest, ut ad suum Prælatum statim deducatur, quoties deprehenditur in flagranti delicto. Panorm. *in cit. C. Ut famæ n. 6.* Felin. *in cit. C. 3. de Sent. Excomm. n. 2.* ubi dicit esse communem, Alciatus *in C. cùm non ab homine 10. de Judic. n. 63. & 64.* ubi pariter communem esse testatur, Menoch. *cit. casu 180. n. 23.* Jul. Clarus *l. c. q. 28. n. 6.* Farin. *cit. q. 8. n.* 122. Videtúrque hæc opinio consuetudine & observantiâ totius orbis esse recepta, ut ait Oliva *cit. q. 22. n. 10.* quia Ecclesiasticus Judex non procedit contra laicum ob captum Clericum, sed hunc de ejus manu recipit. Refragatur tamen Marta *cit. casu 42. n. 11.* cum Hostiensi, Decio, Aretino, ac alijs. Horúmque opinioni suffragari videtur text. *cit. C. Ut*

*famæ*, dum asserit, Clericos à laicis capi citra excommunicationis sententiam posse: *dum tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi sunt Jurisdictioni subjecti.* Nec non *cit. C. si verò 3. de Sent. Excomm.* per verba: *si* (laicus Clericum) *in stupro vel adulterio, quod committit cum ea* (fœmina) *quæ ipsum* (laicum) *ita proximâ consanguinitatis lineâ non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit à sententia illius excommunicationis immunis.* Verùm, quia durum est est in praxi à communi sententia, præsertim per consuetudinem roborata, discedere, idcirco eâ retentâ responderi ad *cit. C. Ut famæ* potest, ibi sermonem non esse de Clericis in flagranti crimine deprehensis, sed solùm de ijs, qui delictum jam patrârunt, & deferri vel accusari apud competentem Judicem possunt. Addi posset, licentiam tacitam Prælatorum Ecclesiæ semper adesse quoad Clericum in flagranti deprehensum, ne fugâ sibi consulat & delictum impunè ferat. Textus *cit. C. 3.* non videtur loqui de Magistratu & Officiali publico, sed solùm de privatis vindictam propriâ auctoritate quærentibus. Addendum tamen hîc est, nec à Magistratu laico Clericum capi posse in flagranti crimine deprehensum, nisi de fuga suspectum. Dec. *in cit. C. Cum non ab homine n. 12.* Farin. *l. c. n. 117.* Menoch. *l. c. n. 22.* & hoc teste Panorm. & cæteri Interpp. quia tunc cessat ratio capturæ, utpote quæ laicis solùm permissa est in defectum Ecclesiastici, & quando ejus judicium effugiturus esset delinquens, nisi à laico detineretur.

323. Nonò. Detineri potest Clericus debitor fugiens aut de fuga suspectus, ut volunt Innocent. *in cit. C. 3. de Sent. Excomm.* Panor. *in cit. C. Cum non ab homine n. 17.* & *in cit. C. Ut famæ n. 6.* Guttierez *Pract. qq. L. 1. q. 82. n. 2.* ubi communem esse affirmat, Farin. *l. c. n. 119.* cum Felin. Boss. Aretin. Bald. ac alijs, *arg. L. ait prætor. §. si debitorem. ff. quæ in fraudem credit.* dummodo, ut addunt, sistatur Episcopo, quàm primùm fieri potest; nec detineatur, si cautionem idoneam offerat, vel adsit copia Judicis Ecclesiastici,

stici, ac re ipsa subsit periculum damni creditoribus per fugam nascituri. Verùm hæc opinio difficilis est ex eo, quòd Clericus pro debito civili non potest incarcerari etiam à suo Episcopo, ut cum Germin. Franc. Lap. Panorm. Alciat. ac communi aliorum asserunt Gomez *tom. 2. var. Resolut. c. 13. tit. de Fidejussor. n. 18.* Gutierez *de Juram. Confirm. p. 1. c. 17. n. 4.* Covarr. *L. 2. var. c. 1. n. 9.* Menoch. *L. 1. de Arbitr. q. 88. n. 8.* Farin. *L. 1. Prax. Crimin. tit. 4. q. 27. à n. 65.* per text. *C. si Clericos de Sent. Excomm.* Habet insuper Clericus debitor beneficium Competentiæ, ita ut ultra id, quod commodè & salva sustentatione potest, cogi nequeat. *C. Odoardus de Solution.* & *ibi* Interpretes. Hinc frustra, ac consequenter malè ac illicitè, detineretur Clericus debitor; quia etsi Judici Ecclesiastico, ut fieri debet, sisteretur, nec iste tamen eum incarcerare posset, sed dimittere teneretur, ut discurrit Oliva *cit. q. 22. n.* 29. ubi ait, se nunquam vidisse practicari aut audivisse, Clericum fugientem pro debito civili per creditorem vel Judicem secularem fuisse detentum. Addit Andr. Siculus *in cit. C. cùm non ab homine*, omnes DD. errare, dum pro illa opinione allegant *cit. L. ait prætor §. si debitorem*, quòd illo §. non dicatur, licitum esse capere personam, sed quòd fugienti possit auferri pecunia, quam secum portat. Et reverâ *cit.* §. plus non dicitur. Responderi tamen pro communi opinione potest, tametsi Clericus ob debita civilia etiam à Judice Ecclesiastico incarcerari non possit, habeátque beneficium Competentiæ, detineri nihilominus in absentia Judicis Ecclesiastici posse, si nolit præstare cautionem de solvendo, quod salva sustentatione potest, bonáque habere videatur ultra sustentationem, ac cum illis aufugere paret. Cùm enim in hoc casu cogi à suo Judice ad solvendum possit, non apparet, cur non queat detineri vel à Judice seculari, vel ab ipso Creditore, si cum ipso fugiente spes solutionis obtinendæ abitura esset: neque enim mens Ecclesiæ esse videtur, ut ille cum damno creditorum fruatur privilegio Clericali, & delictum impunè ferat, quod committit cum re alijs debitâ se subducendo.

324. Duo

324. Duo ex unanimi DD. sententia hîc addenda sunt. Primum est, in prædictis casibus non sufficere licentiam Judicis Ecclesiastici solùm interpretativam, qualis v. g. foret, ut ait Delben. *c. 5. de Immun. Eccles. dubit. 1. n. 15.* si Princeps secularis longo temporis spacio sibi usurpâsset jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, tametsi probabiliter præsumeret, id ad aures SS. Pontificis pervenisse, & non fuisse reprehensum, ac propterea SS. Pontificem id tacitè approbare, *cùm multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitiâ non debeant tolerari,* ut dicitur, *C. Cùm jam dudum 18. de Præbend.* Alterum est, ad hoc, ut procedere adversùs Clericos possint laici, non sufficere licentiam Prælati SS. Pontifice inferioris, v. g. Episcopi, ut constat ex Bulla Cœnæ *can. 19.* & docent cum communi Gloss. *in C. Decernimus de Judic.* & *ibid.* Ripa *n. 34.* Jul. Clarus *cit. §. fin. q. 41. n. 5.* & 7. Quod tamen intelligendum est de casu, quo periculum non est in mora. An verò Clerici reconveniri coram Judice laico possint, & an prorogare in se jurisdictionem eidem valeant, infrà decidetur, quando de Foro Reconventionis & Prorogationis agam.

## §. XII.

## *In quo Ecclesiæ Foro singuli Clerici conveniendi sint.*

### SUMMARIUM.

325. *SS. Pontifex Jure Divino à Jurisdictione seculari exemptus est.*
326. *Nulli, etiam Ecclesiasticæ, Potestati est subjectus.*
327. *Nec quidem Concilio Generali, quibusdam casibus exceptis.*
328. *Ipsi tamen omnes Ecclesiasticæ personæ subjectæ sunt, vel mediatè vel immediatè.*
329. *Episcopi subjecti quidem sunt Archiepiscopis: non tamen quo. ad Confirmationem, causas criminales graviores, aliásque arduas.*

330.

330. *Clerici jure ordinario subjecti sunt Episcopo, in cujus Diœcesi sunt.*

331. *Regulares non exempti & Prælato Ordinis & Episcopo Diœcesis sunt subjecti: non tamen Legi Diœcesanæ.*

332. *Regulares etiam exempti tenentur observare Interdicta ab Episcopo lata. Et observare Festa Diœcesana.*

333. *In non paucis alijs casibus jurisdictionem in ipsos exercet Ordinarius.*

334. *Quidam tamen Regulares speciali privilegio etiam in exceptis quibusdam casibus eidem non sunt subjecti.*

325. Postquam hactenus declaravi, quâ ratione Clerici à foro seculari exempti sint, explicandum restat, coram quo Judice sacro cujusque Ordinis ac Gradûs Clerici conveniri debeant, cùm notum sit, uti tribunalia & fora secularium Magistratuum varia sunt, unúmque superius altero, ita quoque diversa esse Prælatorum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, ut S. Paulus dicebat *act. 20.* De SS. Pontifice, totius Ecclesiæ ac omnium Fidelium Capite, certum est, quòd sit nulli judicio & jurisdictioni seculari, etiam Imperatorum ac Regum subjectus, quidquid Hæretici summæ Sedis osores reclament. Et quidem exemptum esse ab hac jurisdictione Jure non tantùm humano, sed Divino quoque, tradunt omnes Catholici DD. Testimonia & rationes irrefragabiles congerunt Cajetanus *tom. 1. Opuscul. tr. 1. de Potestate Papæ c. 27. & in 2. 2. q. 67. art. 1.* & *ibid.* Bannes, Bellarm. *L. 2. de SS. Pontifice c. 26.* Valentia 3. *p. disp. 5. q. 11. pun. 1.* Driedo *de Libertate Christiana c. 9. & 15.* Suar. *L. 4. Defens. Fidei contra Jacobum I. Angliæ Regem c. 4. & 5.* Ita ut huic suæ exemptioni renuntiare & seculari potestati se subjicere ne quidem possit, tametsi velit, ut præter alios ostendit Suar. *l. c. c. 7.* ubi *c. 6.* & *L. 3. c. 24. usque ad 30. inclus.* doctissimè æquè ac fusissimè dissolvit ea, quæ ex S. Scriptura, SS. Patribus, Concilijs, facto Regum Judæorum, & Christianorum, aliísque undecunque accersitis rationibus contra

hanc Catholicorum doctrinam objecerat Rex ille, aliíque Heterodoxi objiciunt.

326. Sed neque ulli potestati Ecclesiasticæ subjectus est. Tametsi enim daremus, quod non pauci hodie Critici apud Cabassutium *in Notitia Ecclesiastica mihi fol. 80.* & Moreri *in Dictionario Historico V. Marcellin §. Telle est l' Historie*, existimant, commentitium esse Concilium illud Sinuessanum 300. Episcoporum, ubi Marcellino SS. Pontifici suam thurificationem Idolis factam detestanti acclamatum ab universis Patribus dicitur *Prima Sedes à nemine judicatur. Tu Reus, tu Judex, ex ore tuo justificaberis & ex ore tuo condemnaberis.* Tametsi, inquam, daretur, hæc omnia fabulosa esse, adsunt tamen alia, eáque indubitatæ fidei testimonia, quæ hanc veritatem comprobant. Ut enim alia omittam, quæ Suar. *cit. L. 4. c. 4. n. 4.* Emin. Card. Sfondrati sub nomine Eugenij Lombardi *L. 2. Regalis Sacerdotii §. 6.* ac alij producunt, in Concilio Romano sub Silvestro I. celebrato *can. 20.* dicitur: *Nemo judicabit Primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede justitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à populo Judex judicabitur.* Eadem habentur in V. Synodo Romana sub Symmacho. Eadem in VIII. Synodo Generali, quæ fuit Constantinopolitana IV. *can. 21.* Unde cùm tempore Leonis III. seditio contra ipsum Romæ orta esset, & Carolus Mag. ad eam sedandam illuc venisset, in Basilica S. Petri adstante populo, & Clero, omnium Episcoporum, qui eò ex tota Italia & Francia convenerant, sententias & vota de vita & moribus Pontificis rogaret, ab omnibus una voce responsum est, *Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Caput, à nemine (Laico præsertim) judicari debere.* Quo audito Carolus quæstionem omisit. Ita refert Platina in vita Leonis, & habetur pariter tom. III. Conciliorum. Et certè si Papa Christi Vicarius est, ineptum videtur, ut qui omnium Judex est, ab ullo judicetur, uti ait Ummius *disp. 4. ad Proceff. judic. thesi 7. n. 34.* At absque controversia, nisi quam malè movent Hæretici, Pontifex Romanus est Christi Vicarius.

327.

327. Quòd si conveniri coram aliquo tribunali humano posset, conveniendus foret coram Concilio Generali. At huic subjectus non est, quia eodem superior, uti præter alios fusè demonstrat Eugenius Lombardus *l. c. tot. libro 2.* Docent tamen I. communiter Theologi, ut ait Jul. Clarus *L. 5. Sent. §. fin. q. 35. n. 2.* accusari coram Concilio Generali & judicari ab eodem posse, si ut privata persona labatur in hæresin, patétque ex VIII. Synodo Generali *art. 7. Can. Audivimus 24. q. 1. Can. Si Papa dist. 40. Can. Novatianus 7. q. 1. Can. Didicimus* & *Can. Achatius 24. q. 1. Can. Oves 2. q. 7.* II. Si dubius est Pontifex, quia videlicet in Schismate creatus est, nec constat ex pluribus electis, quis eorum sit legitimus, judicium est penes Concilium Generale, uti decisum est in Concilio Constantiensi *Sess. 4. & 5.* Idémque dicendum est III. Si Pontifex intrusus sit aut invalidè electus. Quandonam verò electio SS. Pontificis sit valida, nostrum non est hîc decidere. IV. Si Pontifex aut legibus injustè aut vi Ecclesiæ disciplinam, jura &c. evertere niteretur, aut aliorum bona & jura injustè invaderet, & rogatus ac monitus non desisteret, omni ratione, ac armis etiam & bello, compesci posset: cùm id exigat defensio naturali Jure permissa. Turrecremata *L. 2. c. 100.* Bellarm. *de Concil. auctorit. L. 2. c. ult. ad 2. argum.* Eugen. Lombardus *cit. L. 2. §. 14. n. 4.* V. Si causa aliqua, præsertim Fidei, tam gravis esset, ut sine Concilio Universali decidi non posset, v. g. quia spes non esset, decisionem in aliqua controversia à solo Pontifice factam (quamvis ea etiam absque Concilio sit infallibilis) receptum non iri, teneretur Concilium adhibere, ut ex SS. PP. probat Lombardus *l. c. n. 5.* VI. Si in materia, præsertim Fidei, solus Pontifex contra omnes Concilij Patres sentiret, teneretur illorum votis accedere, & si contrarium definiret, definitio, tanquam temeraria, nec debito examine & inquisitione veritatis nixa, doctrinæ Concilij cederet, uti volunt Panorm. *p. 2. Consil. q. 1.* Card. Monilianus *de Conciliis Oecum. c. 33.* Lombard. *l. c. n. 6.* multis tamen, ac meritò, refragantibus. Quamvis autem non teneatur ma-

joris partis sententiam amplecti, ut benè monet magnus Theologus Melchior Canus *L. 5. de Locis Theolog. c. 5. §. Verùm scrupulus hic existit*. imò juxta complures DD. nec omnium: nunquam tamen Romanus Episcopus contra Patres Concilij verè sentientes dixit, ut idem Canus ait.

328. Quemadmodum verò SS. Pontifex manens Pontifex nec ipsis Concilijs Generalibus subjectus est, & suprema potestas spiritualis à solo Deo, non ab homine, poterit judicari, ut dicitur *Extravag. Unam Sanctam de Major. & obed. inter com.* ita ipsi omnes alij Clerici & Ecclesiasticæ personæ vel mediatè vel immediatè subjecti sunt. Immediatè quidem Cardinales & Patriarchæ. *Can. ult. dist. 22.* An solus Pontifex, & non vocatis alijs Cardinalibus, eos punire & deponere possit, dubium est. Posse concludit Clarus *cit. q. 35. n. 11.* Negat Decian. *Tract. Crimin. L. 4. c. 15. n. 4.* cum alijs, quos allegat. Si Jus scriptum spectetur, certum est, non esse necessariò adhibendos Cardinales, tum quòd nullo canone id cautum est, tum quòd non sunt Judices & Collegæ SS. Pontificis, sed Consiliarij. De consuetudine, de qua cit. DD. loquuntur, certum pariter est, eam vigere, etiam quoad causas longè minores. Sed quòd SS. Pontificem obliget, & sequenda sit, nec ratione aliqua, nec Jure probatur. Et siquod Ecclesiasticum extaret (nam Divinum vel Naturale vel positivum omnino gratis fingeretur) eidem ipse derogare posset.

329. Archiepiscopi conveniendi sunt coram Primate. *C. Antiqua 23. de Privileg.* Primas verò coram SS. Pontifice vel ejus Legato in Provinciam misso. Episcopos subjectos esse Metropolitæ seu Archiepiscopo, cujus sunt Suffraganei, receptum est inter DD. patétque ex *Can. quorundam dist. 34.* ubi tamen dicitur, cum toto Concilio Metropolitano judicandos. Hodie juxta Trident. *sess. 13. c. 18. de Refor.* & *sess. 24. c. 5. de Reform.* causæ ipsorum criminales graviores non nisi coram SS. Pontifice cognoscuntur & terminantur: quemadmodum etiam aliæ causæ arduæ & graviores ad summam Sedem deferendæ sunt, & Confirmatio, quæ olim

à Me-

à Metropolitanis concedebatur, hodie non nisi ab eodem Pontifice datur, cui & juramentum obedientiæ & fidelitatis præstant, quod illis olim præstabant. Habet tamen Archiepiscopus etiamnum Jurisdictionem in Episcopos, ut ijs præcipere possit, quæ ad ipsorum officium spectant, atque ad executionem compellere, etiam per censuras. *C. quia cognovimus 10. q. 3. C. Pastoralis princ. de Offic. Ordin. in 6. C. Venerabilis de Sent. Excomm.* Gloss *in C. De ijs 13. dist. 12. v. Adstringat.* Laym. *in C. Romana 1. de supplend. neglig. Prælat. in 6. n. 1.* Wagnereck *in C. Romana 1. de Offic. Ordin. in 6.* cum communi DD. Hinc I. eos vocare potest ad consecrationem alterius Suffraganei. II. Injungere, ut servari faciant, quod servatur in Metropolitana. *C. Dilectus 30. de Simonia.* Rectè tamen hîc monet Marc. Anton. Genuens. *c. 70. n. 21.* solùm injungere posse, ut servent ea, quæ de Jure servanda sunt, v. g. ut subditi caveant à labe Simoniaca, de qua *cit. C. 30.* sermo est: neque enim mens erat Pontificis, cogere Episcopos ad ea omnia servanda, quæ vel peculiari statuto vel consuetudine servantur in Ecclesia Metropolitana. III. Convocare singulis saltem triennijs ad Synodum Provincialem. Trident. *sess. 24. c. 2. de Reform.* IV. Curare, ut in suis Ecclesiis resideant, & super eorum absentia inquirere. Trident. *sess. 23. c. 1. de Refor.* V. Compellere, ut justitiam administrent. Panorm. *in C. si quis contra Clericum de Foro comp. n. 40.* Quaranta *V. Archiepiscopi auctoritas n. 90. v. 14.* Marc. Anton. Genuens. *l. c. n. 3.* VI. Compellere ad habendam quot annis Synodum, *C. Sicut de Accusat.* constituendum Oeconomum, *Can. in nova 16. q. 7. Can. cùm simus 9. q. 3.* & Archipresbyterum ruralem, *C. fin. de offic. Archipresbyt.* ac erigendum Seminarium, Trid. *sess. 23. c. 18. de Refor.* De quibus præter alios fusè Aug. Barbos. *L. 1. Juris Eccles. c. 7.*

330. Clerici Episcopo inferiores in sua quisque Diœcesi forum Episcopi habent. *C. si quis Clericus 1. & C. cùm contingat 13. de Foro comp.* ac DD. *ibi.* Nisi sint sub alio Prælato proprium territorium ab Episcopo exemptum & jurisdictionem quasi Episcopalem habente. *cit. C. cùm contingat & C. cùm Episcopus 7. de Offic.*

*Offic. Ordin. in 6.* aut ſpeciali privilegio ſint exempti, aut alius quispiam, v. g. Capitulum Cathedrale, Decanus, vel Archidiaconus, jurisdictionem in ipſos contra Epiſcopum præſcripſerit: poſſe enim hoc fieri apertè ſumitur ex *C. Irrefragabili 13. de Offic. Judic. Ordin.* docéntque *ibi* Panorm. *n. 1.* & *in C. Paſtoralis eod.* ac alij. Quamvis nec conſuetudo, nec præſcriptio efficere poſſit, ut omne jus corrigendi adimatur Epiſcopo, quin ſe immiſcere poſſit & ſupplere negligentiam eorum, qui jurisdictionem præſcripſerunt: nam talis conſuetudo eſſet irrationabilis, quia pernicioſa Eccleſijs; imò contra inſtitutionem Officij Epiſcopalis, quod ſe ad totam Diœceſin ſeu omnes Diœceſanos extendit. Habet enim Ordinariam & Generalem in ſua Diœceſi Jurisdictionem, ita ut poſt confirmationem per literas authenticas acceptam, licèt non conſecratus, aut nondum Sacerdos, exercere omnia poſſit, quæ ad jurisdictionem pertinent, uti ſunt judicare, punire, cenſuras ferre, ab ijsdem abſolvere, jurisdictionem in interno & externo foro delegare, gratias & privilegia concedere, diſpenſare in votis, juramentis, legibus, in quibus de Jure vel conſuetudine id permiſſum eſt Ordinarijs, à Vaſallis juramentum exigere, Beneficia Eccleſiaſtica conferre, inveſtire, præſentatos inſtituere, electos confirmare &c. *C. 1. & 2. de Translat. Epiſc. C. tranſmiſſum 15. de Elect.* & *ibi* Gloſſa magna communiter recepta *v. Talibus*, Innocent. *ibid.* Sanchez *L. 7. Moral. c. 32. n. 67.* Suar. *L. 4. de Legib. c. 4. n. 9.* ubi cum S. Thoma *in 4. diſt. 40. q. un. art. 4. quæſtiunc. 2.* & Panorm. *in C. Accedentibus de Exceſſib. Prælat. n. 4.* addit, quòd etiam nondum conſecratus, aut nondum Sacerdos, concedere poſſit Indulgentias, cùm tamen iſta conceſſio videatur actus maximè ſpiritualis inter omnes actus jurisdictionales.

331. Circa Regulares diſtinguendum eſt inter Exemptos, & non exemptos. Iſti duplex Forum habent, ſeu duos Superiores, Ordinis ſui Prælatum & Epiſcopum: hoc tamen diſcrimine, quòd Prælato Ordinis obedire tenentur ratione voti obedientiæ, in ijs videli-

videlicet, quæ ad Regulares observationes & disciplinam Monasterij pertinent. Ac idcirco in his magis est obediendum Prælato, quàm Episcopo, juxta doctrinam S. Thomæ *in 2. dist. 44. in fin. in expos. literæ ad 3.* Innoc. *in C. quanto 7. de Offic. Judic. Ordin. n. 2.* & Panorm. *n. 5.* & explicant *Silvester V. Obedientia q. 9.* Sanchez *L. 6. Moral. c. 1. n. 12.* Neque in his immiscere se debet Episcopus; nisi constet de negligentia, absentia, vel injuria Prælati. *C. Ad aures 5. de Tempor. Ord.* Episcopo verò Regulares subsunt, non ratione voti, sed, ut alij Clerici, ratione jurisdictionis legalis, vi cujus parendum est ejus mandatis, citationi, visitationi, correctioni &c. Unde in ijs, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam attinent, & quoad punitionem criminum graviorum, præsertim quæ depositionem merentur, propriè ac directè eosdem subjectos habet: cùm etiam ipsi Prælati non exempti in his ipsi subsint, uti advertunt Silvester *l. c. q. 10. dicto* 2. Panorm. *in C. si quis contra de Foro comp. n. 51.* Sanchez. *l. c.* ac alij. Legi tamen Diœcesanæ Regulares etiam non exempti non subsunt. *C. Dilectus de Offic. Judic. Ordin.* Quæ exemptio à Lege Diœcesana potissimùm in eo consistit, quòd ex redditibus suæ Ecclesiæ incorporatis non tenentur, uti alij Beneficiati Diœcesis, Cathedraticum, subsidium Charitativum, aliáque hujusmodi Episcopo solvere. Tenentur tamen Monasteria ratione visitationis procurationes solvere. *C. Sopitæ 15.* & *C. Venerabili 24. de Censibus.* Quartam item Canonicam, seu funeralium, sicubi in usu est. Trident. *sess. 25. c. 13. de Reform.* Et quamvis Episcopus, quando Monasteria vel per se, vel per alios visitat, de statu Regularium, & Regulari observantia diligenter inquirere debeat, & quæ seu in spiritualibus seu temporalibus corrigenda videntur, reformare: delinquentes tamen per Prælatum regularem juxta regulam puniri æquius est. *arg. C. ult. de Statu Monach.* Imò Alviset *de Privileg. Regular. sect. 3. §. 4. n. 2.* ne quidem puniri ab Episcopo posse existimat cum Chassaing. *tr. 1. c. 4. propos. 7.* ex doctrina Lapi, & Cardin. *in Clement. Archiepiscopo 2. de Privileg.* asserens, ita cen-

censuisse & declarâsse S. Congreg. Cardin. Trident. Illud certum est, quòd in causis majoribus & criminalibus, præsertim quæ depositionem postulant, cognitio judicialis potiùs ad Episcopum, quàm ad Prælatum Regularem, spectet. Gloss. *in C. quando v. ſ Prælati de Foro compet.* Navarr. *L. 2. consil. 6. de Foro compet. edit. 2.*

332. Regulares Exempti, quales sunt Ordinum Mendicantium, ac complurium aliorum, tametsi foro & jurisdictioni Episcoporum per se subjecti non sint (idcirco enim Exempti dicuntur) statuit tamen S. Synodus Tridentina *sess. 25. c. 12. de Regular.* ut *Censuræ & Interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur.* Idémque dicendum de Festis Parochiæ ac votis publicis civitatum, secundùm Navarr. Sanch. Portell. ac alios apud Alviset *l. c. c. 9. n. 1.* Non tamen recipiendum videtur, quod addit, cùm in præfato decreto Tridentini nullæ sint appositæ non obstantiæ, ac aliàs non teneantur Regulares recipere mandata Episcoporum, ideò eos non teneri observare ab illis constituta, si absit periculum scandali; sed solùm, si ex eorum neglectu scandalum nasceretur, aut quando ex legitima consuetudine fuerunt ab antiquo recepta, & sub obligatione peccati mortalis. Non, inquam, hoc recipiendum est: tametsi enim S. Synodus non addiderit clausulam *non obstantibus privilegijs &c.* constat nihilominus ex citatis verbis de ejusdem voluntate: neque opus est illâ derogativâ privilegiorum, quando de Regularibus fit expressa mentio, & ipsi explicitè in aliquo decreto comprehenduntur. Aliud esset, si decretum mentionem eorum expressam non faceret, tunc enim sub universalibus terminis sine illa derogatoria non comprehenderentur.

333. Possunt præterea Episcopi contra Regulares exemptos in certis casibus in Jure expressis, saltem ut Sedis Apostolicæ Delegati

egati procedere, quos paucis referendos putavi, omissis quibusdam, qui aut incerti sunt, aut cum ijs, quos afferam, coincidunt. I. Regularis extra Monasterium seu Conventualem domum, aut residentiam degens, ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato visitari, corrigi, ac puniri potest. Trident. *sess. 6. c. 3. de Reform.* & *sess. 7. c. 14. de Refor.* Bull. *Suscepti Regiminis* Clem. VIII. Existimat verò Sanchez *L. 7. de Matrim. disp. 33. n. 23.* Episcopos non posse censuras ferre in Regulares exemptos, nisi hoc eis specialiter concessum sit: idque ob privilegia Mendicantium, ne à quovis Ordinario loci excommunicari, suspendi, ac interdici possint. *arg. C. 1. de Privil. in 6.* II. Si Religiosus sine licentia sui Superioris, à suo Conventu recedat, etiam prætextu accedendi ad suos Superiores, nisi ab ijs vocatus sit, ab Ordinario loci, tanquam desertor Instituti, puniendus est. Trident. *sess. 23. c. 4. de Reform.* Exipi tamen debet: nisi ex justa & gravi causa ad Superiorem Prælatum se conferat, v. g. quia ab immediato Prælato injustè gravatur, ut benè observant Navarr. *Comentar. 2. de Regular. n. 61.* & Rodriq. *tom. 1. Regular. q. 30. art. 3.* III. Contra Regulares, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, & in Conventibus non habitant, Ordinarius procedere potest. Trident. *cit. sess. 25. c. 4. Reform.* Quin si extra Monasterium ad quævis studia se se conferant absque Prælati licentia, & consensu maioris partis Conventûs, ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt. *C. 2. Ne Clerici vel Monachi in 6.* De quo uberiùs Sanchez *tom. 2. in Decal. lib. 7. c. 8. n. 72.* IV. Si Regularis exemptus in Monasterio degens, extra claustrum deliquerit, ita ut populo scandalo sit, potest Episcopus tempus præfigere ejus Prælato Regulari, intra quod Reus severè puniatur, & de punitione Episcopus certior fiat. Sin id intermittit Prælatus Ordinis, à Superiore suo officio privandus est, & Regularis, qui deliquit, ab Episcopo puniendus. Trident. *sess. 25. c. 14. de Regular.* De quo fusè August. Barbosa *p. 3. de Offic. Episc. alleg. 105. n. 19. & 20.* V. In civilibus causis mercedum & miserabilium personarum Regula-

res, etiam exempti, si extra Monasterium seu Conventum Regularem degant, coram loci Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, conveniri, & ad solvendum justitia exigente compelli possunt. Trident. *sess. 7. c. 15. de Reform.* VI. In causa Hæresis, aut similibus criminibus, ad tribunal Sacræ Inquisitionis pertinentibus, Regulares exempti subsunt jurisdictioni Episcoporum tanquam delegatorum Sedis Apostolicæ, si in ijs locis Inquisitores non sint. *C. ad abolendam 9. in fine de Hæreticis.* Bulla Urbani VIII. quæ incipit. *Cùm sicut accepimus.* VII. Si Regularis alterius Parochiæ Sponsos sine proprij Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, donec ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Trident. *sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.* ubi expresè mentionem facit etiam Regularium, nec distinguit inter exemptos & non exemptos. VIII. Ordinarij locorum per censuras compellere possunt quoscunque Regulares, ne quidquam ex bonis Novitij accipiant, & ut acceptum abeunti ante Professionem restituant. Trident. *sess. 25. c. 16. de Regular.* IX. Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, etiam per censuras, compellere possunt Moniales etiam exemptas ad servandam clausuram. Neque ipsis post Professionem ex Monasterio egredi concessum est, nisi ex causa legitima ab Episcopo approbanda. Trident. *sess. 25. c. 5. de Regularib.* X. Episcopi, ut Sedis Apostolicæ delegati, procedere possunt, etiam per censuras, contra Regulares exemptos, si in Oratorijs privatis aut horis non debitis celebrent: eósque cogere, ut quascunque superstitiones ablegent. Trident. *sess. 22. decreto de vitand. & observand. circa celebrat. Missæ.* XI. Ordinarij locorum etiam Regulares exemptos, si Ecclesias curatas quantumcunque exemptas obtineant, compellere possunt, si ipsis videatur, etiam per censuras, ut diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus plebem sibi commissam salutari verbo pascant. Trident. *sess. 5. c. 2. de Refor.* XII. Ad Synodum, quæ ab Episcopis in-

instituitur, exempti omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, accedere tenentur. Ratione verò Ecclesiarum Secularium, annexarum Monasterijs exemptis, quicunque illarum curam gerunt, Synodo interesse coguntur. Trident. *sess. 24. c. 2. de Refor.* XIII. Regulares etiam exempti ad publicas processiones vocati tenentur accedere, exceptis ijs, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt. Controversias quoque, quæ super præcedentia in Processionibus aut mortuis sepeliendis quandoque oriuntur, componere Episcoporum est. Trident. *sess. 25. c. 13. de Regular.* XIV. In Regulares Confessarios & administratores bonorum Monasterij Monialium, etiam exemtarum, potestas Episcopis competit, juxta Bullam *Inscrutabili* Gregorij XV. Potéstque juxta eandem Episcopus unà cum Prælatis seu Superioribus Regularibus electioni Abbatissæ vel Præpositæ per se vel per suum delegatum præsidere. XV. Regulares etiam exempti, si sint testamentorum executores, ab Episcopo compelli possunt ad rationem ipsi reddendam, &, si malè versati fuerint, ab eodem puniri, juxta *Clem. un. de Testam.* De quo August. Barbos. *p. 3. de Offic. Episc. alleg. 82. n. 34.* XVI. Regularis, quando habiturus est concionem in propria sui Ordinis Ecclesia, benedictionem petere debet ab Episcopo, si hunc contingat esse præsentem. At si vult in alienis Ecclesijs prædicare, licentiam ab eodem accipere debet. Trident. *sess. 5. c. 2. de Refor.* Quòd si errores & scandala disseminaverit, potest ei Episcopus interdicere munus concionandi; si hæreses, contra illum procedere secundùm Juris dispositionem, de qua *cit. C. ad abolendam de Hæret.* Trident. *cit. sess. 5. c. 2.* XVII. Si Regulares etiam exempti excommunicationem contrahunt, v. g. quia Clericis aut laicis Sacramentum Extremæ Unctionis aut Evchariſtiæ ministrant, vel matrimonia solemnizant sine licentia speciali Parochi, vel à censuris absolvunt, à quibus non possunt, possunt ab Episcopo denunciari excomunicati. *Clement. Religiosi 1. de Privileg.* XVIII. Non possunt Regulares novum Monasterium erigere absque licentia Episcopi. Trident. *sess. 25. c. 3.*

*de Regularib.* XIX. Regulares, etiam exempti, suscepturi Ordines examinari possunt ab Episcopo. Trident. *sess. 23. c. 12. de Reform.* Nec ad confessiones secularium audiendas admittuntur, nisi ab eodem approbati. Trident. *cit. sess. c. 15. de Reform.* Neque suscipere possunt Officium Parochiale, nisi ab Ordinario approbati. Trident. *sess. 24. c. 8. de Reform.* Et quando illud administrant, sunt subditi eidem quoad ea, quæ ad illud Officium spectant. Idem Trident. *sess. 25. c. 11. de Regular.* & *C. Volentes 1. de Privileg. in 6. §. fin.* Quæ dispositio locum habet etiam in eo, qui residet in suo Monasterio, exiénsque inde ac rediens administrat Parochiam. XX. Nemini etiam Regulari, licitum est sine speciali privilegio vel Ordini vel privatæ personæ concesso librum aliquem imprimere & edere de rebus sacris, ac ad pacandas & dirigendas conscientias pertinentibus, nisi cum approbatione Ordinarij & licentia sui Superioris, addito Auctoris nomine & cognomine, juxta decretum Concilij Lateran. sub Leone X. celebrati *sess. 10.* & Trident. *sess. 4. decreto de Canon. script.* Ubi eadem dispositio extenditur ad manuscripta non evulganda. De quo fusè Augustt. Barbosa *p. 3. de Offic. Episc. allegat. 105.* & Rodriq. *tom. 2. qq. Regular. q. 104. art. 1. & seqq.* XXI. Non est permissum Regularibus pulsare campanas die Sabbathi Sancti, antequam sint auditæ in Ecclesia Cathedrali aut Parochiali, juxta Constitutionem Leon. X. in Concil. Later. quæ incipit *Sacro approbante.* De quo Gavant. *Comment. super rubric. Missæ, & in Enchirid. Episc. V. Campanæ*, Barbosa *cit. allegat. 101.* nisi ex consuetudine immemoriali aliud fuerit observatum, ut monet Tambur. *tom. 1. de Jure Abbatum disp. 15. q. 7. n. 28.* XXII. Addunt aliqui, Regulares etiam exemptos coram Ordinario loci, ubi contraxerunt, deliquerunt, aut res sitas habent, conveniri posse, juxta *cit. C. Volentes 1. de Privileg. in 6.* Verùm contrarium declaratum est ab Innocentio IV. in Bulla *Cùm aliàs duxerimus*, & Benedicto XI. in Bulla *Inter cæteras*, quas refert Alviset *l. c. sect. 4. dub. 21. n. 7. & 8.* Videantur ea, quæ dixi suprà *n. 139.*

334. Sunt tamen etiam in nonnullis ex allatis modò casibus quidam Religiosi exempti. Sic Canonici Regulares Congregat. Lateran. Olivetani, ac alij, non tenentur ad Processiones accedere, nisi Festo Corporis Christi, ut ex varijs decisionibus & constitutionibus refert Alviset *l. c. à n. 25.* Religiosi verò Societatis Jesu juxta Bullam Gregorij XIII. *Quæcunque Sacrarum Religionum* ab ijsdem omnino sunt exempti. Circa eòsdem præcipit Gregorius XIII. in Bulla *Pium & utile* editâ 22. Septembr. anno 1582. omnibus Episcopis & alijs Antistitibus præsentibus & futuris, *ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis, habuerint, quidquam prædictorum requirant, vel exigant: sed ipsos etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorúmque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officijs, & cæremonijs Ecclesiasticis, idoneitate, proprij Ordinarij licentiâ, & alijs in alijs requisitis, ad Minores, ac etiam extra tempora à Jure statuta, tribúsque Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis, ad Sacros, etiam Presbyteratûs Ordines, promoveant, ac si illi omnibus requisitis præditi essent.* Cujus tamen privilegij communicationem alijs Regularibus negat ibidem Pontifex. Et quamvis illud revocatum à Sixto V. in Bulla *Sanctum & Salutare* fuisse cum Miranda & Rodriquez asserat August. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi allegat. 7. in fine*, id tamen, ut benè notant Tiberius *in Instruct. Ordinand. q. 58. §. 6. v. Petes* 1. Pirhing. *ad Titulum de Scrutin. in Ord. faciend. n. 5.* ac alij, ex verbis prædictæ Constitutionis colligi non potest: & licèt revocatum fuisset, fuisset tamen innovatum ac de novo concessum à Paulo V. in Bulla *Quantum Religio Societatis* editâ anno 1606. pridie nonas Septembris, quâ omnia & singula privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta, à Prædecessoribus Pontificibus eidem Societati principaliter vel per communicationem concessa, perpetuò confirmantur & de novo conceduntur. Alia similia privilegia ijsdem Regularibus concessa enarrare hujus nec loci nec temporis est.

# CAPUT II.

## De Foro Privilegiato Laicorum.

### §. I.

### *Quodnam sit Forum Competens Principum ac Ordinum S. R. Imperij.*

SUMMARIUM.

335. *Declaratur status Quæstionis.*
336. *Forum, ubi conveniantur, habent etiam summi Principes.*
337. *Triplex Ordo Subditorum S. R. Imperij distinguitur. Omnes Status Imperij sunt subditi immediatè Imperio; at non vicissim omnes immediatè subditi sunt Status Imperij.*
338. *Principes & Principali dignitate fulgentes in prima instantia non coram Imperiali Camera, sed coram Austregarum Judicibus conveniendi sunt.*
339. *Austregarum Judices videntur habere Jurisdictionem solum delegatam.*
340. *Decidere possunt causas etiam Criminales; non item Matrimoniales, aut Feudales*
341. *Affertur modus, quo Princeps judicio Austregarum convenit Principem.*
342. *Octo sunt viæ, quibus Principes ab alijs immediatis Imperij subditis, non tamen Principibus, conveniuntur.*
343. *Iisdem vijs procedendum est, quando Electores ab hominibus Imperio mediatè subjectis conveniuntur.*
344. *Princeps Imperij ab aliquo, qui Imperio subjectus non est, conventus coram Imperatore aut Camera Imperiali, causam avocare ad judicium Austregarum non potest.*
345. *Princeps Prælatos, Comites, aliósque Imperio immediatè subjectos, convenit duobus modis, qui explicantur.*

346.

346. *Duobus item Prælatus, Comes, Nobilis, alium Prælatum, Comitem, Nobilem.*

347. *Prædicti à Civitatibus Imperialibus immediatè in Camera Imperiali conveniuntur.*

348. *Ipsæ quoque Civitates Imperiales tam à mediatis quàm ab immediatis Imperij subditis in prima etiam instantia coram Imperiali Camera conveniuntur, nec judicijs Austregarum gaudent.*

349. *Si unus immediatè subjectus Imperio, alter mediatè; aut unus gaudens privilegio Austregarum, alter immediatè Cameræ subjectus, ejusdem litis sint consortes, simul in Camera conveniuntur. Principes aliíque Imperio immediatè subjecti suos subditos in eadem Camera conveniunt.*

350. *Quatuor universim casibus privilegio Austregarum gaudent, qui Imperio immediatè subjecti sunt.*

351. *Non possunt inviti immediatè coram Imperatore conveniri.*

352. *Subditus à Principe tanquam à Judice Ordinario gravatus extrajudicialiter, appellat ad Judices Austregarum: ad Cameram verò Imperialem, si ab eodem gravatus fuit tanquam privato, v. g. in aliquo contractu.*

353. *Austregis locus est, si plures immediatè subjecti Imperio unâ actione conveniantur.*

335. Cùm hîc agamus de Foro singulari, non est locus dicendi de Laicis, qui in loco Domicilij forum sortiuntur, seu territoriali domino, sub quo degunt, subjecti sunt, quia speciali privilegio ab ejus jurisdictione non sunt exempti. Igitur solùm de ijs agendum est, qui vel ipsi territorium habent, & jurisdictionem ab alio Superiore independentem, vel in alterius quidem territorio sunt, eidem tamen non subjecti, quales sunt ipse supremus Imperij Princeps, & alij ibidem quidem degentes, at nemini alteri, nisi Supremo illi Capiti, subjecti.

336. Cùm Princeps summus, ut ait Ulpian. *L. 31. ff. de Legib.* solutus sit legibus (nisi quas ipse sibi per pacta cum subditis & conventio-

ventiones, dicit) ac præcipuè Imperator, propter excellentiam & majestatem, quam eminenter continet Imperatoria Dignitas, idcirco non est mihi animus, sed religio dicere de Foro, in quo conveniri queat Imperator, aut Rex Romanorum, aliíque Supremi Principes. Posse etiam istos judicari & ex gravissimis causis Imperiali ac Regio throno privari, asserunt præter reliquos Juris Publici DD. Schraderus *de Feudis p. 4. c. in. 19.* Sinoldus *de Vicarijs Imperij thesi. 6. lit. C.* Reinckingk *L. 1. de Regim. seculari classi. 2. c. 2. n. 177.* Nec desunt complura hujus privationis exempla, seu, ut vocant, præjudicia. A quibus tamen, quásque ob causas, id fieri queat, meum non est dicere, cùm hîc aliquid pronunciare, & privatum judicium interponere velle, à prudentissimis periculosum censeatur, ut ait Forstner. *in Notis Polit. ad Cornel. Tacit. L. 1.* Videantur ex Publicistis Sinold. *l. c. thesi 7. & 8.* Buxtorf. *ad auream Bullam conclus. 81.* Reinckingk *l. c.* Sprenger. *de moderno Imperio Romano Germanico c. 2.* Carpz. *de Lege Regia c. 1. sect. 8. & c. 14. sect. 6.* Ex alijs Juristis Jul. Clar. *L. 5. Sentent. §. fin. q. 35. n. 6.* Bald. Paul. Castr. Roland. à Valle, aliíque, quos citat Tuschus *V. Imperator conclus. 32.* & Delbene *de Immun. Eccles. c. 10. dubit. 18.* Ex Theologis Bellarm. *contra Barclaium*, Suar. *L. 3. Defens. Fidei c. 22. & tribus seqq.* Azor *p. 2. Institut. Moral. L. 11. c. 5. q. 6.* Diana *p. 1. tr. 2. resol. 123.* & Eugenius Lombardus seu Emin. Card. Sfondrati *Regularis Sacerdotij L. 1. toto*, eruditissimè totum id, quod dici hîc potest, pertractans. Ex Canonistis Interpretes *in C. Novit. 13. de Judic. C. licet 6. de Vot. & voti redempt. cit. C. Venerabilem 34. de Elect. cit. C. ad Apostolicæ de Sent. & re judic. in 6. Clement. un. de Jurejur. Extrav. un. Ne Sede vacant. Extravag. Unam Sanctam inter comm. de Major. & Obed. Extravag. Meruit de Privil. C. per Venerabilem Qui filii sint legitimi. Can. Si Imperator 11. dist. 96.* In causis quoque civilibus Imperator Judicem agnoscit, & quidem inter subjectos Imperio seu Electores, ut patet ex aurea Bulla *c. 5.* magis tamen ex liberali sua voluntate & conventione cum Electoribus & reliquis Imperij Statibus

tibus initâ, per longam consuetudinem firmatâ, quàm ex necessitate: cùm impossibile videatur, ut quis sit summus Monarcha, & simul coram alio, præcipuè subdito, in jure judicióque comparere teneatur. Et hîc quoque meum non est dicere, quis in his causis sit Judex Imperatoris: cùm quæstio sit æqualis illi controversiæ, quæ magnis partium studijs post mortem Ferdinandi III. Imperatoris de Vicariatu Imperij agitata fuit Anno 1657. & 58.

337. Igitur Suprema Potestate Seculari venerabundo silentio præteritâ, & de illis loquendo, qui proximo eam gradu secuti, non domicilij, ubi sunt, sed speciali foro gaudent, quales sunt, qui Romano Imperio immediatè sunt subjecti, so dem heiligen Römischen Reich ohne Mittel unterworffen seyn/ triplicem eorum ordinem distinguo. Primus est Principum & Principali Dignitate illustrium der Chur-Fürsten/ Fürsten/ und Fürsten-mässigen. Secundus Prælatorum, Comitum, Baronum, Nobilium. Tertius Civitatum Imperialium. Vultejus *ad L. 1. C. ubi Senator. n. 31. & seq.* Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. p. 1. c. 3. mem. 3. à n. 6.* Mindan. *L. 1. de Processib. c. 16. n. 2.* Sive sint solùm subditi immediatè Imperio, sive etiam ejusdem Status. Nam potest aliquis esse immediatus Imperij subditus, ita scilicet, ut nullum Superiorem præter Cæsarem recognoscat, quin sit Status Imperij, seu votum & sessionem in Comitijs Imperialibus habeat. Quanquam enim quilibet Imperij Status Imperio immediatè subsit, non tamen vicissim omnis immediatè subjectus Imperio est simul Status Imperij. Nam hujusmodi Status non sunt Nobiles immediati, de quibus Blumen *in Processu Camerali tit. 26. n. 49. & tit. 27. n. 45.* Nec non quidam Comites & Barones immediati. *Capitul. Leopold. §. 40. v.* Grafen und Herrn/ so in den Reich-*Collegijs* keine *Session* oder Stimme haben. Nec non quædam Monasteria, de quibus Schubh. *c. 3. de Austregis n. 27.* & Blumen *cit. tit. 26. n. 44. & 49.* Qui verò Proceres sint Status Imperij, præter alios docent Reinckingk *L. 1. de Regim. secul. class. 4. c. 21. & seqq.* & Blumen *cit. tit. 26. & 27.* qui *tit. 26. n. 48.* ait, esse infallibilem ac firmis-

simam hanc propositionem: *Quicunque in subscriptionibus Recessuum Imperij invenitur, ille est Status Imperij.* Quandoquidem nemo ad ejusmodi subscriptiones admittitur, qui in Comitiis Sessionem & Votum non habet. Non tamen, ut idem benè advertit, sequitur: *Hic vel ille in subscriptione hujus vel illius Recessûs non invenitur, ergò non est Status Imperij.* Quanquam procedat hæc argumentatio: *Iste in nullis subscriptionibus Imperij invenitur, ergò non præsumitur esse Status.*

338. De primi Ordinis viris ut primo loco, tanquam post Imperatorem Regémque Romanorum præcipuis, agam, notum est ex Ordinatione Camerali, & fusè declaratur à Gaillio *L. 1. observ. 1. n. 19.* Cothman. *L. 1. consil. 31. à n. 2.* Reinckingk *L. 2. de Regim. secul. classs. 2. c. 16.* ac alijs mox allegandis, eos in prima instantia coram Camera Imperiali conveniri non posse. Quamvis enim jurisdictio Cameræ fundata sit in omnibus Imperij Civibus & Statibus, qui Imperatoriæ jurisdictioni subsunt. *Ordin. Camer. p. 2. tit. 7.* Etiam Electoribus. R. J. de anno 1584. §. folgends aber. Cùm Camera sit Consistorium summi Principis, Gaill. *L. 1. observ. 84. n. 5.* Mynsing. *cent. 4. observat. 6.* & Majestatis suæ judicium Ihrer Majestät Cammer-Gericht / R. J. Norimbergæ anno 1542. §. und wiewohl / ideóque Majestatem Imperatoriam quoad contentiosam jurisdictionem repræsentet. Gaill. *cit. observ. 1. n. 1.* Quia tamen mediati subditi Imperij non statim in Camera conveniuntur, sed vel primam vel secundam vel quandoque tertiam instantiam habent, antequam ad Cameram deveniant (nisi subditi à suo domino conveniantur tanquam refractarij, vel etiam alia ex causa: quo casu statim in Camera forum sortiuntur, per ea, quæ tradunt Mynsing. *cent. 5. observ. 1.* Hartmannus Hartmanni *tit. 1. de Judic. observ. 1. n. 7. & 8.* Mindan. *L. 1. de Processib. c. 17. n. 13.*) idcirco ne personæ immediatè Imperio subjectæ deterioris essent conditionis, & statim Supremo Cameræ Judicio personas suas & causas gravissimas committere cogerentur, Imperatoris & Proçerum Imperij unanimi

nimi consensu constitutum est *Ordin. Camer. p. 2. tit. 2. & 3.* ut immediati Cives Imperij primæ instantiæ loco, sive ab immediatis sive à subditis & mediatis conveniantur, coram Judicibus Austregarum forum sortiantur.

339. Judicium Austregarum, der Außträgen / (sic dictum, quòd ibi lites à delectis Judicibus componantur & decidantur durch rechtlichen Austrag) diversimodè constituitur, pro diversorum Statuum, qui ibi conveniuntur & conveniunt, conditione ac dignitate, de quibus mox dicetur. Utrùm Austregarum Judices sint Ordinarij, an Delegati, hîc controvertitur. Pro Delegatis eos habent Vultejus *ad L. 1. C. de Jurisd. om. Judic. n. 86.* Mindan. *l. c. c. 19. n. 4.* Stephani *l. c. n. 44.* Roland. *de Commissar. p. 1. lib. 1. c. 5. n. 2.* & *L. 3. c. 5. num. fin.* Gaill. *cit. observ. 1. n. 52.* & *observ. 33. n. 3.* Mynsing. *cent. 2. observ. 52.* Caspar. Leipold. *de Concurr. Jurisdict. q. 15.* ac alij passim; eò quòd recusari possunt, causásque solùm singulares decidunt, nec si suis Consiliarijs & Curiæ eas subdelegant, ad ipsos, sed ad Cameram appellatur, habéntque ferè præfixum certum decidendæ causæ tempus, nec sententias à se latas exequi, sed executionem ad Cameram Imper. remittere debent, possúntque, si suspecti sunt, recusari, ita ut omninò removeantur; nec suam jurisdictionem habent immediatè à Lege vel Principe, sed ex nominatione, electione, & requisitione quà actoris quà rei. Quæ omnia potestatem delegatam, non ordinariam, denotant. Unde corruit ratio Boceri *c. 7. de Jurisdict. n. 26.* & Blumen *de Processu Camer. tit. 27. à n. 12.* Ordinariam Jurisdictionem eis tribuentium ex eo, quòd eam habent ex constitutione Imperij. Alias ipsorum rationes dissolvit Stephani *l. c. à n. 40.*

340. Causæ autem, quæ Austregarum judicio deciduntur, sunt Civiles, ut patet ex Ordin. Camer. *p. 2. tit. 4. prin.* Idem contra Vultejum in *L. 1. C. Ubi Senator. n. 48.* de Criminalibus tradunt Mindan. *L. 1. de Proceß. c. 9. prin.* & Ummius *disp. 4. ad Proceß. Judic. th. 10. n. 51.* eò quòd verba Ordin. Camer. *p. 2. tit.*

2. & *tit. 4. prin.* Sprüch und Forderung sint satis generalia, & litis ac negotij nomine etiam causæ criminales veniant. *L. Judiciorum. ff. de Accusat. L. in criminibus C. de Jurisdict.* Cujac. *L. 24. observ. 16. & L. 9. observ.* 21. Quin & causas Matrimoniales Judicibus Austregarum decidendas committunt Mindan. *l. c. c.* 10. *mem. 2. prin.* Vultejus *l. c. n. ult.* & Ziegler. *in Commun. Conclus. §. Austregæ conclus. 2. n. 1.* Verùm hanc opinionem multis ac benè rejicit Reinckingk *L.* 3. *de Regim. secul. & Eccles. class. 1. c. 10. à n. 42.* quamvis cæteroquin acerbus SS. Pontificum & Catholicæ Ecclesiæ hostis. Estque inter Catholicos extra omne dubium, has causas ad solum Ecclesiæ forum spectare, ut infrà fusiùs dicetur. Illud facilè concedo, sicut alios Judices Ordinarios, ita & Austregarum, judicare posse de quæstionibus meri facti à matrimonio dependentibus, v. g. utùm hæc illáve proles ex his parentibus sit genita; item de dote, donatione propter nuptias, successione hæreditaria, alimentis &c. Pariter ad Austregas non pertinet causa Feudalis. De hac enim sibi Imperator reservavit cognitionem *p. 2. Ordin. Camer. tit. 7.* si controversia incidat super Ducatu, Principatu, Comitatu. Sed nec de reliquis Feudalibus cognoscere queunt Austregarum Judices: quippe quæ habent speciales suos ex Jure Feudali Judices, vel ipsum dominum, vel pares Curiæ. *L. 2. feud. tit. 16. & ibi vulgò DD.* Sitamen Vasallus dominum recognoscere nolit, séque ejus vasallum neget, Austregis locum unà cum Camera Imperiali facit Mindan. *l. c. c. 19. mem. 9.* Non tamen apparet, cur non solis Judicibus Austregarum cognitio tunc relinquenda sit, sicut in alijs causis ad ipsos pertinentibus, cùm in tali casu nec Dominus Feudi, nec Pares Curiæ judicent.

341. His ita de Austregarum judicio, quantum ad propositum nostrum necesse videbatur, in genere constitutis, singillatim explicandum est, quomodo ibi conveniantur immediati subditi Imperij. Itaque juxta Ordinationem Cameræ Imperialis *p. 2. tit.* 2. si ij, qui primi Ordinis sunt, id est, Electores ac alij Dignitate Prin-

Principali fulgentes, ab aliquo ejusdem Ordinis, seu Principe, conveniendi sunt, Princeps Actor illi Principi, quem vult convenire, libellum mittit actionis, quâ experiri cogitat; ipsúmque simul requirit, ut se submittat judicio, mit Ersuchung jhm darumb Rechts zupflegen. Quo facto requisitus Princeps intra quatuor septimanas à facta requisitione seu litis denuntiatione computandas, nominare tenetur quatuor Principes regentes, sive qui sint cum imperio, partim Ecclesiasticos, partim Seculares, ex diversa tamen domo & familia. Ex quatuor nominatis Actor eligit unum pro Judice, & de ejus electione Reum in scriptis certiorem reddit, quem uterque quatuordecim exinde diebus pro suscipienda causa requirit umb der Sachen Annehmung und Tagsetzung. Quòd si Reus vigore Constitutionis requisitus intra dictas 4. hebdomadas Principes non nominaverit Actori, poterit iste causam per viam protractæ, vel denegatæ justitiæ ad Cameram Imp. transferre *cit. tit.* 2. §. *ult.* cùm eo ipso, quòd Reus Ordinationi non paret, privilegio Austregarum renuntiâsse censeatur, ac propterea res ad primævam naturam ac ordinarium Cameræ judicium revertatur *arg. L. 2. C. si contra jus vel utilit. publ.* & *L. 2. C. si adverſ. rem jud.* Judex verò ex quatuor â Reo nominatis electus ab actore, & requisitus, officium suscipere etiam invitus cogitur, certo loco, die, consiliarijs suis certis, neutri parti suspectis, qui causam cognoscant, designatis: nisi renuendi causas gravissimas habeat. Quòd si ante decisionem causæ moriatur, Actor ex reliquis nominatis Principibus alium eligere poterit. *Ordin. Cam. p. 4. tit.* 2. §. darauff *v.* und ob der Erkorn / coram quo processus apud priorem institutus continuetur. Quamvis hodierna consuetudine coram Successore hujusmodi Judicis ex consensu litigantium continuari soleat, teste Vulteio *in L.* 1. *C. ubi Senator. n.* 33. Quin posse ab ipso hujusmodi Judice, si se moriturum causâ nondum terminatâ videat, aut vivus regimine decedat, alium ex tribus nominatis subrogari, qui eâdem, quâ ipse, ratione, deducta repetendo, non deducta persequendo, procedat, contendunt Wumbser. *t. 1. observ.*

*13. n. 6.* Ummius *disp. 4. ad Proceſſ. Judic. th. 8. n. 42.* aliíque. Per mortem verò Imperatoris jurisdictionem electi hujusmodi Judicis, etiam causâ adhuc integrâ, non extingui, censet idem Ummius cum Mindano.

342. Quòd si, qui primi Ordinis sunt, videlicet Principes, conveniantur à secundi Ordinis, nimirum à Prælatis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus; vel etiam à tertij, seu Civitatibus Imperialibus, octo modi seu viæ, quibus id fieri possit, *cit. Ordin. Cam. p. 2. tit. 4.* præscribuntur, quarum unam pro arbitrio Actor eligere, semel tamen electam prosequi, & Reus sequi tenetur.

Prima est: ut Prælatus, Comes, Nobilis immediatè Imperio subjectus, & Civitas Imperialis, Electorem, aliúmve Principem conventurus, ab eo petat sibi jus reddi per ipsius Consiliarios novem, non suspectos (qualis ex. gr. foret, qui controversiæ causam dedisset. *cit. tit. 4. prin.*) & juramento, quo ipsi Reo obstricti sunt, solutos, quorum quinque sint Equestris, reliqui quatuor Jureconsultorum Ordinis, suis Rei sumptibus, & salvo, ut vocant, conductu eundi & redeundi partibus concesso. Erítque tunc locus judicij in aula Principis Rei, & causa decidenda intra dimidium annum, vel ad summum intra anni unius & diei spacium à productione libelli computandum. Aliàs causa ad Cameram devolvitur. Quemadmodum etiam, si coram Consiliarijs reus se sistere judicio recusat, per viam denegatæ Justitiæ actori supplicanti, & instrumentum desuper confectum exhibenti, in Judicio Camerali succurritur. *Ordin. Cam. cit. p. 2.* §. dieſelben/ubi etiam *tit. 6. prin.* appellatio in hoc casu permittitur. Non tamen reconventio hîc locum habet. *cit. tit. 4.* §. dieſelben.

Altera via est: ut Actor, si mavult, ex novem dictis Consiliarijs septem aut quinque eligat, qui dicto modo causam tractent. *cit. tit. 4.* §. zum anderen. Tertia: ut Elector, aliúsve Princeps tres non suspectos Principes nominet, ex quibus actor, quem volet, eligat, qui juxta dictam Ordinationem procedat. *cit. tit 4.* §. zum dritten

Quarta: ut coram Commissario, per Actorem à Cæsare impetrando

petrando, qui minimùm Prælatus aut Comes sit, causa ventiletur & expediatur. *cit. tit.* 4. zum vierdten.

Quinta: ut Actor novem personas integræ vitæ & existimationis nominet, ac vicissim Princeps Reus novem è suis Consiliarijs aliisve designet, & ex his tres, & ex illis ab Actore designatis duos eligat, & sic illi quinque causam examinent, & suâ sententiâ decidant. *cit. tit.* 4. §. zum fünfften. Sexta: ut uterque, videlicet tam Actor quàm Reus, duos non suspectos, honestos, & graves viros constituant, coram quibus in prima instantia secundùm Ordinationem procedatur. Et quatuor illi dissentientes jus habeant ex voluntate & consensu partium optandi quintum, qui sit instar arbitri. Et si super illo quinto optando non consentiunt, Cæsar ad utriusque partis, vel etiam unius, instantiam communibus litigantium sumptibus arbitrum designet, qui secundùm æquitatem & conscientiam litem dirimat. *cit. tit.* 4. §. zum sechsten.

Septima: ut Actor ex Principis conventi Consiliarijs quinque seligat, qui, sicut de novem dictum est, procedendi, & pronuntiandi facultatem habebunt. Ita tamen, ut Reus, priusquam illi quinque seligantur, unum aut duos suorum Consiliariorum, quorum operâ pro sui juris defensione utatur, excipiendo sibi reservare valeat. *cit. tit.* 4. zum sibenden.

Octava: ut Elector accusatus novem ex suis Consiliarijs, ex quibus quinque sint Ordinis Equestris, nominet, coram quibus causa principalis in prima instantia terminetur, ijsdem priùs juramento (priori remisso) obstrictis de justè secundùm utriusque partis producta judicando: ita ut utraque pars quatuor, & si testes sunt examinati, post rotuli publicationem duo insuper, nec ampliùs, producta singulis quaternis septimanis von vier Wochen zu vier Wochen / à die exhibiti prioris scripti proximis, duplicata exhibeat & concludat, & si quid novi in ultimo scripto à Reo in præjudicium Actoris objcitur, non attendatur. *cit. tit.* 4. §. zum achten. Hìc quoque, uti in modo proximè antecedenti, locum non habet Reconventio. *cit. tit.* §. so dann die Partheyen *in fin.* Appellatio

latio tamen semper admittitur. *Ordin. Cam. p. 2. tit. 6.* Ex quo patet, octavam hanc rationem à prima diversam non esse, nisi quoad modum procedendi. Cæterùm in Actoris arbitrio est, quonam ex dictis modis Principem convenire velit. *cit. tit. 4. §. pen.* nisi forsan consuetudine aliud receptum sit. Hartmann. *L. 1. observ. 1. n. 9.* Zanger. *p. 2. de Except. c. 1. n. 407.*

343. Si Principes conveniuntur ab hominibus Imperio mediatè subjectis, iisque vel proprijs subditis (inter quos omnes, tametsi Nobiles, numerantur, qui ejus jurisdictionem agnoscunt, & Landsassen dicuntur) vel à non suis, sed aliorum subditis, eadem ratio juxta *Ordin. Cam. cit. 4. §. fin.* tenenda est, quam modo à secundi generis personis tenendam adversus Principes dixi. Testatúrque Mynsinger. *cent. 5. observ. 1. n. 2.* in quamplurimis causis judicatum à Camera Imperiali fuisse, à Principe requisito non posse cogi subditos, ut coram suis Principis Consiliarijs desuper deputatis agant, sed posse ipsos alijs ordinarijs remedijs uti: nisi Princeps probet, se hoc juris ex consuetudine habere, ut penes actores non sit electio, sed conveniri ipse debeat coram suis Consiliarijs. Idémque tradit Gaill. *L. 1. obser. 1. n. 19.* videlicet, si Civitas Municipalis, seu non immediatè Imperio, sed alicui Principi subjecta, ipsum Principem Dominum suum in jus vocet, conveniri eum debere coram suis Consiliarijs, vel posse subditos eligere unam ex octo vijs *p. 2. ordinat. tit. 4.* præscriptis & modò enarratis. Idem docent Cothmann. *Jur. Responso 32. à n. 12.* Mindan. *de Processib. L. 1. c. 17. n. 9.* Umm. *de Proceſſ. Judic. disp. 4. th. 8. n. 44.* Schvvanman. *L. 1. Proceſſ. Cameral. c. 1. n. 27.* Hartm. Hartmanni *L. 2. pract. observ. tit. 1. in addit.* aliique. Quod tamen duntaxat verum est, si solus Princeps conveniendus sit: nam si cum ipso alius lite pulsandus esset, qui privilegio Austregarum non gauderet, ad Cameram deveniendum foret. Cothman. *l. c. n. 18.* Mindan. *L. 3. de Proceſſ. c. 4. n. 6.* Umm. *l. c.* Videantur ea, quæ dicuntur infrà *n. 352.*

344. Si denique contra Principem Imperij extraneus seu extra

extra Imperium constitutus disceptare velit, juxta Mind. *l.c.* & Math. Stephani *L. 2. de Jurisd. p. 1. c. 3. mem. 3. n. 25.* rectè eum convenit in Camera Imperiali. E contrario contendit Vultejus *in cit. L. 1. C. Ubi Senator. vel Clariss. n. 44.* & Gilhausen *c. 1. Arbor. Judic. p. 1. §. 8. n. 4. v. si verò.* non posse convenire coram Camera, sed solo Imperatore, utpote qui de Jure communi est Principum Imperij Ordinarius. A fortiori asserunt, quòd in tali casu non possit Princeps conventus causam revocare ad Judicem privilegiatum Austregarum, cùm extraneus non teneatur Ordinatione Imperij, & Austregæ sint stricti Juris, ac propterea ultra casum in Ordinatione expressum non extendendæ. Verùm non apparet, cur avocatio ista fieri non possit. Nam in actione & accusatione non forum Actoris, sed Rei consideratur, & extraneus æquè ac indigena forum Rei sequitur, neque Jura, dum hoc forum ab Actore sequendum dicunt, inter commune & privilegiatum forum distinguunt, aut utrùm Actor sit indigena an extraneus. Hinc Judæi quoque, & infideles alij, Clericum convenire nequeunt, nisi coram competente ejus Judice Ecclesiastico, nec extraneus quisquam, v. g. Italus aut Hispanus, Germanum Nobilem Imperio immediatè subjectum coram Electore aut Duce, in cujus territorio habitat. Cùm igitur in prima instantia forum Austregarum sit forum competens immediatorum Imperij subditorum, consequens est, eos ibi esse conveniendos etiam ab extraneis. Non igitur valet, quod illi dicunt, extraneos non teneri Ordinationibus Imperij: etsi enim regulariter loquendo ijsdem non teneantur, tenentur tamen, si hic delinquant, contrahant, aut quasi contrahant suscipiendo judicium contra locì subditum, & si contra hunc agant, tenentur statutis & consuetudinibus Curiæ, ubi litigant: aliàs sequeretur, quòd subditos Imperij, neque coram Imperatore aut Camera Imperiali convenire tenerentur, sed ad suum, Actorum videlicet, Judicem reos trahere possent, aut arbitri eligendi essent. Nihilominus adhuc dicendum videtur, extraneum, seu

eum, qui non est Imperij subditus, conveniendo immediatum Imperij subditum non teneri sequi judicium Austregarum. Cùm enim in Ordinatione Camerali, ubi de Austregis agitur, mentio solùm fiat de subditis Imperij, quomodo videlicet hoc judicio immediati aut ab immediatis aut à mediatis conveniendi sint, ejúsque dispositio sit stricti Juris, ut dictum est, & à Jure communi exorbitans, idcirco non est extendenda à subditis Imperij ad extraneos. Quod maximè procedit in sententia, quæ tenet, jurisdictionem Judicum Austregarum esse solùm delegatam: cùm mandata jurisdictio non extendatur ultra personas expressas, & jurisdictio dictorum Judicum mandata ab Imperio tantùm sit ad personas Imperio subjectas. Quòd verò extraneus immediatum Imperij subditum coram Imperatore convenire tenetur, tametsi ipse Legibus Imperij subjectus non est, inde provenit, quia ex Jure communi & ubique gentium recepto, quin ipsa naturali ratione constat, quemlibet coram suo Superiore & Magistratu ordinario conveniendum esse, nec posse trahi ad alium, qui ejus Judex non est.

345. Jam verò secundi quoque Ordinis Status, de quibus paulò antè *n.* 337. si conveniuntur à primi Ordinis, seu Principibus, privilegio primæ instantiæ gaudent, juxta formam in *Ordin. Cam. p.* 2. *tit.* 3. præscriptam, ubi duo modi proponuntur. Primus est, ut accusatus ad denuntiationem & requisitionem Actoris tres Electores, Principes, vel Principali Dignitate eminentes, non suspectos nominet, ex quibus Actor sibi unum, coram quo actionem proponat, eligere possit. *Ordin. Cam.* 2. *tit.* 3. §. oder soll der Churfürst.

Alter: ut Elector vel Princeps, qui est Actor, ab Imperatore impetret sui Statûs Commissarium minimè suspectum, nec à Rei domicilio ultra 12. milliaria habitantem. *cit. tit.* 3. Alterutrum ex his modis eligendi arbitrium est penes Actorem.

346. Si autem conveniendi sunt à sui Ordinis adversario, seu ab alio Prælato, Comite &c. rursus duplex modus id faciendi in

eadem

eadem *Ordin. Camerali p. 2. tit. 5.* proditus est, quorum alterutrum Actor eligat. Primus: ut Reus ad denuntiationem & requisitionem Actoris nominet tres Electores, Principes, vel Principali Dignitate eminentes, non suspectos, nec ab Actore ultra duodecim milliaria dissitos, ex quibus idem Actor, quem maluerit, eligere valeat. Secundus: ut Actor ab Imperatore Commissarium impetret Reo minimè suspectum, & ultra duodecim milliaria ab eodem non dissitum, sub quo secundùm Ordinationis formam causa decidatur. *cit. tit. 5. §. oder wo ihm.* Utile verò est, ut monet Schvvanmann. *L. 1. Processs. Camer. c. 3. n. 8.* & Ummius *l. c. th. 9. 64.* si Actor plures Commissarios impetret, & illis conjunctim & separatim cognoscendi potestatem tribui faciat: ne si forsan unus moriatur, cum multo temporis & sumptuum dispendio alium quærere cogatur.

347. Si denique conveniantur ab ijs, qui tertij sunt Ordinis, videlicet à Civitate aliqua Imperiali, immediatè jn Camera Imperiali conveniuntur: quia hic casus nullâ speciali decisione definitus est, ac idcirco dispositioni Juris communis relictus. Mindan. *L. 1. de Processs. c. 18. memb. 3.* Stephani *l. c. n. 36.* Eadem est ratio, quando conveniuntur ab alijs Civitatibus vel personis Imperio mediatè tantùm subjectis; sive sint proprij ipsorum subditi, sive alieni: quia Reus & Actor immediatè Imperio subjecti esse debent, ut privilegium Austregarum locum habeat. *cit. tit. 5. & tit. 27.* Mynsing. *cent. 1. observ. 89.* Zanger. *p. 2. de Exception. c. 1. n. 356.* Hinc Nobilis Landsassus, seu mediatè solùm subditus Imperio, alium Nobilem, Civitatem, Comitem, vel Baronem eidem immediatè subjectum, in Camera convenit, & non coram Austregarum Judicibus. Gaill. *cit. observ. 1. n. 17.* Sixtin. *de Regalib. L. 1. c. 8. n. 66.* Nolden *de Statu Nobil. c. 17. §. 2. n. 53.* Gilhausen *l. c. n. 8.* Mynsing. *l. c.* ubi testatur, crebrioribus sententijs ita judicatum in Camera fuisse. Cur verò Prælati ac Nobiles immediatè Imperio subjecti ab alijs mediatè subjectis conveniantur, ut modò dictum est, coram Camera, Principes verò

coram Auſtregarum Judicibus, juxta dicta *n. 343.* alia differentiæ ratio dari vix poterit, quàm quòd Statibus & Ordinibus Imperij ita viſum eſt. Ita autem viſum forſan fuit propter eminentiam Principalis Dignitatis: quemadmodum ob ſimilem rationem à ſententia Præfecti Prætoris non erat licitum appellare, ſed tantùm ſupplicare Principi. *L. un. C. de Sent. Præf. Prætor.* & *L. un. §. His cunabilis. ff. de Offic. Præfecti prætor. junctâ Lege ſi quis. de precib. Imper. offer. L. 1. ff. à quib. appell. non lic.* & *L. 1. ff. de Poſtulando.*

348. De Civitatibus Imperialibus, quas tertium Ordinem inter immediatos Imperij ſubditos conſtituere dixi ſuprà *n.* 337. dicendum eſt, eas non ſolùm à ſuis ſubditis & civibus, ſed etiam alio quocunque mediato vel immediato Imperij ſubdito, in prima inſtantia conveniri in Camera Imperiali, nec judicijs Auſtregarum gaudere. Gaill. *L. 1. obſerv. 1. n. 20.* Mindan. *l. c. c. 19. mem. 10.* Ummius *l. c. n. 48.* Sixtin. *l. c. n. 65.* Stephani *l. c. à n. 37.* Roding. *L. 1. Pandect. Cameral. tit. 4. n. 13.* Author *Deciſion. Camer. v.* Außtrag ſeyn. contra Fichard. *L. 2. conſil. 129. q. 3.* & Gilhauſen *l. c. n. 3. & 6.* Ratio eſt: quia nullus eſt textus, qui ipſis Auſtregas conceſſerit, & in exorbitantibus non eſt extenſio concedenda. Everhard. *in Topic. leg. loco 79. n. 14.* Sunt tamen nonnullæ Civitates Imperiales, quæ primæ inſtantiæ & Auſtregarum privilegium habent vel longiſſimi temporis præſcriptione vel ſpeciali gratiâ Imperatoriâ. Tales eſſe dicuntur Argentina, Dünkelſpihla, Eslinga, Fridburgum, Gelnhuſium, Hala Suevorum, Memminga, Mülhuſium Thuringorum, Norimberga, Ratisbona, Reütlinga, Schweinfurtum &c. de quibus Matth. Wehner. *L. 6. Symphor. c. 7.* Ummius *l. c. n. 48.* Stephani *l. c. n. 38.* Blumen *Proceſſ. Cam. tit. 26. n. 53.*

349. Id pariter dicendum de caſu, quo plures ejusdem litis ſunt conſortes, & unus immediatè, alius tantùm mediatè Imperio ſubjectus eſt; aut unus privilegio Auſtregarum gaudet, alter in prima etiam inſtantia in Camera conveniendus eſt: nam propter

pter causæ continentiam uterque simul in Camera Imperiali convenitur. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 4. Gaill. *L.* 1. *observ.* 32. *n.* 2. Roding. *l.c. à n.* 6. Mindan. *de Proceſſ. L.* 3. *c.* 4. *mem.* 6. Cothomann. *L.* 1. *consil.* 32. *n.* 18. Civitates quoque Provinciales seu mediatè Imperio subjectæ à Domino Provinciæ, & subditi à Comitibus, Baronibus, Nobilibus immediatis, in prima instantia coram Camera Imper. conveniuntur. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 1. Ac universim dicit Additionator Hartm. Hartmanni *L.* 1. *observ.* 1. *n.* 7. decisum esse, quòd Imperij Principes suos subditos in Camera convenire debeant. Idémque testatur Mynsing. *l.c.* nisi videlicet privilegio vel consuetudine alicubi receptum sit, ut eos conveniant coram suis Consiliarijs, aut Præfectis & Officialibus.. Addit tamen idem Mynsing. *l.c.* decisum in Camera fuisse, Principem, si hoc sibi jus ex usu & consuetudine competere dicat, teneri ad hoc probandum.

350. Ex dictis patet, quòd immediati Imperij subditi, quibus privilegium Austregarum competere hactenus dixi, non semper, & quotiescunque judicio Austregarum conveniendi sint, sed in quatuor duntaxat casibus isthoc privilegio gaudeant. Primus est: si Princeps Principem (hac voce latiùs sumptâ non tantùm pro Principibus simpliciter sic dictis, sed etiam pro Electoribus, Ducibus, Marchionibus &c.) convenire intendit. *Ordin. Cam. p.* 2. *tit.* 2. Secundus: si Princeps vult convenire Prælatum, Comitem, Baronem, aut Nobilem immediatum. *cit. Ordin. p.* 2. *tit.* 3. Tertius: si Princeps conveniendus sit ab inferioribus Principe, nimirùm Prælatis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Civitatibus. *cit. Ordin. tit.* 2. *p.* 4. aut ab alijs mediatè Imperio subjectis, sive proprijs suis sive alienis subditis. *cit. p.* 2. *tit.* 4. §. *fin.* Quartus: si Prælati, Comites, Barones, Nobiles immediati invicem judicio contendere velint. *cit. p.* 2. *tit.* 5.

351. Sequelæ aliæ nonnullæ inde deduci, uti & quæstiones plurimæ moveri possent. Sed præterquam quòd multæ ex dictis decidi facilè possunt, ad nostrum propositum sufficerat præ-

cipuas propoſuiſſe. Aliquæ tamen non erant omittendæ. Prima eſt: an Ordines hoc privilegio non obſtante in Aula Cæſarea conveniri poſſint. Solummodo de reſtringenda Cameræ Imperialis, non autem de minuenda ordinaria Cæſaris jurisdictione, in conceſſione privilegiorum primæ inſtantiæ Auſtregarum actum eſſe, fusè tuetur Tob. Paurmeiſter *L. 2. de Jurisdict. c. 4 à n. 130.* Contrarium tenent Roſenthal *de Feud. c. 10 n. 12.* nimirum non poſſe Imperatorem neglecto Auſtregarum judicio mit für Beygehung der Austrag / cauſas in prima inſtantia ad ſuam Aulam trahere; tum quòd Auſtregarum Judices perſonis in Ordinatione Cameræ expreſſis indulti ſint per viam contractûs, cui Imperator contravenire non poſſit: tum quòd eadem militet ratio quoad Aulam Cæſaream, quæ pugnat quoad Cameram, nevidelicet quoad inſtantias immediati Imperij ſubditi ſint deterioris conditionis, quàm mediati; imò major videatur eſſe ratio quoad illam, quàm quoad hanc, cùm judicium Cameræ ſit ſubjectum Reviſioni & Syndicatui, non item Aulæ Imperatoriæ judicium. Addit Reinkingk *l. c. n. 12.* hanc opinionem ſtabilitam fuiſſe in Pacis Germano Suecicæ Oſnabrugæ factâ conſtitutione *c. 5. n. 20. §. Viſitatio* per verba: *Cæterà in Aulico non minùs, quàm in Camera Imperialis judicio, privilegium primæ inſtantiæ, Auſtregarum jura & privilegia de non appellando, Statibus Imperij illibata ſunto.* Verùm, ut benè monet Roſenthal *l. c. n. 34.* hæc ſimiliáque Cæſareæ Majeſtatis & Statuum Imperij iudicio humiliter ſubjicienda ſunt.

352. Altera quæſtio eſt: an ſubditus extrajudicialiter à ſuo Principe alióve immediato Imperij ſubdito gravatus ad Cameram appellare poſſit, an verò ad Auſtregas provocare teneatur. Deciſum à Dominis Cameræ eſſe ait Mynſing. *cent. 4. obſervat. 43. n. 3.* appellationes extrajudiciales non eſſe recipiendas in Camera contra eos, adversùs quos ipſa non habet jurisdictionem immediatam: eò quòd non ſint propriè appellationes, ſed magis provocationes ad cauſam & Judicem ſuperiorem, ad quem provocati

cati tenentur venire. Refértque Auctor *Decision. Cameral. in prin.* & §. *subditus si à Principe*, ac §. *fin.* multa præjudicia & cassus rejectarum à Camera hujusmodi appellationum & processuum cassatorum. Ex quo consequens esse videtur, cùm illi, qui gaudent privilegio Austregarum, in prima instantia non possint conveniri in Camera, non posse contra eosdem immediatè ad illam appellari, sed adeundos priùs Austregarum Judices esse. Verùm distinguunt Gaill. *L.* 1. *observ.* 120. *n.* 1. & 2. Mindan. L. 1. *de Processib. c.* 20. Ern. Cothmann. *L.* 2. *consil.* 55. *à n.* 111. & *consil.* 31. *n.* 23. & Reinkingk *l. c. à. n.* 30. Vel enim Princeps tanquam Ordinarius loci Judex & vi ac potestate jurisdictionis appellantem extrajudicialiter gravavit mandando, inhibendo, sequestrando, vel pœnas pecuniarias imponendo, &c. vel solùm tanquam pars & velut privatus, puta in aliquo contractu vel negotio, quod cum subdito habet? Si primum: ab hujusmodi gravamine extrajudiciali non obstantibus Austregarum privilegiis ad Cameram appellandum esse asserunt. Si secundum: adeundos Austregarum Judices. Et ita decisum esse ait Rinkingk *l. c.* in R. J. Ratisbonæ *Anno* 1597. §. Wann aber & §. darumb setzen und wollen wir.

353. Tertiò quæritur, an primæ hæ instantiæ, seu Austregæ locum habeant, si plures Imperio immediatè subjecti unâ actione conveniantur? Affirmant, & meritò, Mindan. *L.* 1. *de Proceſſ. c.* 18. *n. ult.* Umm. *l. c.* Schvvanmann. *L.* 1. *de Proceſſ. Camer. c.* 4. *n.* 8. cùm enim omnes habeant hoc primæ instantiæ privilegium, non sunt absque causa illô privandi. Quia tamen vix singuli peculiariter intra constitutum spatium vigore Ordinationis Judices nominare queunt, nec facilè intra breve tempus super ijsdem consentire, idcirco si ex narratis supplicationum liquidum est, citra causæ divulsionem locum dari non posse primis instantiis cum omnibus suis requisitis (quæ strictè & præcisè observari debent) causa ob continentiam in Camera Imper. recipienda, & processus decernendi sunt, uti docent Schvvanmann. *l. c.* §. *Cæterum*, Denais

nais. *Jur. Camer. tit. 97. §. 2.* ac alij. Quæ ſententia approbata fuit per Deputationis Receſſum *anno 1600. §. bey* Unſern. Eodem Receſſu §. *25.* concluſum fuit, ſi quis immediatus cum ſuis miniſtris & ſubditis conveniatur, fundatam eſſe Cameræ jurisdictionem. Niſi miniſtri ſubditíque ſolùm gravent nomine ſui domini, ita ut ipſi non ex facto proprio condemnari, ſed geſta miniſtrorum domino præſtanda ſint, ut habetur *cit. Receſſu* §. gleicher maſſen/ & *cit. Ordinat. tit. 4. prin.* Cothmann. *l. c. n. 32.* Schvvanmann. *l. c. n. 9.* Denais. *l. c. §. 3.*

## §. II.

## *Quodnam ſit Forum Competens Studioſorum.*

### SUMMARIUM.

354. *Studioſi conveniri non poſſunt niſi coram Rectore Magnifico, Epiſcopo, vel Domino loci.*
355. *Affertur ratio hujus privilegij.*
356. *Adverſarios ſuos coram ipſorum Judice competente conveniunt.*
357. *Declaratur, quinam Scholarium & Studioſorum nomine veniant.*
358. *Ut quis gaudeat Studioſi nomine & privilegio, requiritur, ut ſit Matriculæ Univerſitatis inſertus.*
359. *Et ut ad bonas Literas incumbat in Schola aliqua publica & approbata.*
360. *Nec vetitis ſe artibus tradat.*
361. *Gaudent hoc privilegio etiam illi, qui in patria ſua & loco domicilij docent aut diſcunt.*
362. *Nomine Magiſtri, coram quo conveniendi ſunt Studioſi, intelligitur Rector Magnificus & Senatus Academicus. Per Dominum intelligitur Princeps, cui Academia ſubjecta eſt.*
363. *Optio, quam habent Studioſi inter Dominum, Magiſtrum, & Epiſco-*

*Episcopum, per se & seclusâ consuetudine non tollitur per Juramentum, quod præstant Academiæ.*

364. *Proponitur opinio negantium & affirmantium, Magistratui Academico competere Jurisdictionem Criminalem.*

365. *Videtur competere solum ex speciali privilegio Principum.*

366. *Conveniuntur Studiosi coram Rectore Magnifico etiam propter contractus alibi celebratos.*

367. *Et propter delicta alibi patrata.*

368. *Discutitur, quid tenendum sit circa negotia & lites cœptas ante Studia Literarum.*

369. *Studiosi, si ab Academia post contractum celebratum aut delictum perpetratum ad aliam Academiam migrant, à priore Rectore citari & revocari possunt.*

370. *Gaudent privilegio Fori per quinquennium, ex quo ab Academia abierunt.*

371. *Clerici Studiosi, si habent requisita ad gaudendum privilegio Fori Clericalis, non possunt citari & judicari à Rectore Academico Laico.*

372. *Privilegio Fori Academici gaudent etiam Uxores Professorum & Studiosorum.*

373. *Nec non Viduæ.*

374. *Item Liberi, quamdiu sunt in patria potestate.*

375. *Eodem gaudent Notarij Academiarum, Bidelli, Nuntij, Ostiarij. Quoad Magistros Exercitiorum, Typographos, Bibliopolas, Bibliopegos, & Famulos Academicorum, spectandæ sunt consuetudines, privilegia Principum, & conventiones cum loci Magistratu.*

376. *Privilegio Fori Academici non gaudent Fidejussores Academicorum.*

377. *Declaratur, quando hoc privilegium amittatur.*

354. Inter Privilegia Scholarium seu Studiosorum, quæ magna sunt & multa, ita ut Petr. Rebuff. *L. 2. de Privileg. Scholasticorum* ea extendat ad centum & octoginta, Horat. Lucius *tr.*

*de Privileg. Scholastic.* ad centum, non minimum est Privilegium Fori, concessum ab Imperatore Friderico I. Ahenobarbo seu Barbarossa, in Authentica *Habita quidem super hoc diligenti*, latâ in Comitijs apud Roncalias seu in Campis ad Padum haud procul Placentiâ in Italia *1158. mense Novembri* & relata *ad tit. C. Ne Filius pro patre.* Errant autem (ut hoc obiter dicam) Rebuff. Sichard. ac alij, qui eam Friderico II. tribuunt: hic enim non nisi anno 1218. imperium cepit, Fridericus verò I. anno 1152. & illud demum anno 1190. finijt in Cydno Ciliciæ flumine, quo submersus est, eámque Constitutionem fecit, ut dictum est, anno 1158. Igitur Scholares vi hujus Authenticæ conveniri nequeunt coram ordinarijs, sed solùm *coram Domino, vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo*, optione ipsis concessa, ut unum ex his, quem maluerint, eligant, coram quo conveniantur, cùm aliàs in potestate Actoris sit, inter plures partis Reæ Judices unum vel alium, quem velit, eligere pro excutiendo debitore ejúsve bonis. *L. 2. §. Scævola 3. ff. de eo, quod certo loc. L. 19. in fin. & L. 50. ff. de Judic.* Panor. *in C. licet n. 36.* & *C. Dilecti. 10. de For. comp.* Bartol. *in L. ult. C. ubi in rem actio.* Quâ de causa mercatores, licèt ex consuetudine multorum locorum habeant suos Consules, qui fungi dicuntur jurisdictione ordinaria in causis ad mercaturam pertinentibus per ea, quæ notat Salycet. *in L. ult. C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 3.* conveniri nihilominus possunt coram Magistratu loci ordinario ad arbitrium creditoris. Stracha *de Mercatura tit. Quomodo in caus. merc. proced. p. 1. à n. 7.* Matth. Coller. *p. 2. de Process. execut. c. 1. n. 52.* Si tamen Scholaris semel unum ex illis elegerit, non potest variare & reprobare, quod approbavit. *arg. L. in arenam. ff. de Testam. inoffic.* tum quia per electionem semel factam jus acquiritur adversario, quod ei auferri nequit. *arg. L. hujusmodi §. Stichum. ff. de Legat. 1.* tum quòd optione datâ regulariter non licet nisi semel optare. *arg. L. Serv. ff. de Legat. 1.* tum denique quia malitijs hominum occurrendum est, quibus indulgeretur, si illi possent iden-

iden-

identidem variare, & actorem eludere. *arg. L. 3. §. 1. ff. de eo, quod cert. loc.* Rebuff. *l. c. privileg. 153. v. ad hæc si semel.*

355. Rationem Imperator, quâ motus fuit, ad hoc privilegium concedendum, his verbis expressit: *Quis eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt..* De Professoribus, quibus idem privilegium, & à fortiori, concessum est, hanc insuper rationem affert, quòd eorum *scientiâ totus illuminatur mundus, & ad obediendum* Deo, *& omnibus ejus Ministris vita subjectorum informatur:* addens, se propterea dignum existimare, ut *quadam speciali dilectione eos ab omni injuria defendat.*

356. Itaque sicut Clerici, si observent ea, quæ juxta Tridentinum ad gaudendum Fori privilegio requiri dixi suprà *à n. 234.* habent proprium Forum Ecclesiasticum, immunes à Seculari; ita pariter Studiosi, si Albo seu Matriculæ Academicæ adscripti sint, gaudent sui Fori privilegio, & coram alio Judice alióque in Foro conveniri non possunt. Quod Fori privilegium inter cætera, quibus gaudent, esse præcipuum ait Mendo *de Jure Academico L. 3. q. 2. n. 7.* & pro illo semper acriter esse decertandum, ut servetur illæsum. Quòd si Studiosus est actor, forum Rei sequi debet: nisi super hoc aliqua Academia sit munita speciali privilegio, quali munitam esse Academiam Salmantinam testatur Mendo *l. c. n. 9.* vel, uti vult Alphons. de Escobar. *tract. de Pontif. & Regia Jurisdict. in Studijs General. c. 41. à n. 4.* Studiosus, quamvis agat, Rei tamen partes sustineat, nimirum si ab alieno Judice contra eum procedatur, aut aliquâ injuriâ sit affectus. Quin idem Mendo *n. 17.* absolutè asserit, quòd Studiosus actor possit suum adversarium trahere ad tribunal Academicum.

357. Verùm hæc in genere dicta, aliquantò accuratiùs expendenda, & explicanda sunt, cùm varijs difficultatibus sint in-

voluta. Itaque dubitatur I. Quinam Scholarium nomine veniant, & quid requiratur, ut quis Scholarium privilegio, & præcipuè hoc, de quo agimus, Fori gaudeat. *Scholarium*, uti & *Scholasticorum*, verbum ambiguum esse liquet ex *L. ult. & tot. tit. C. de Privileg. Scholarum*, & notat ibi Cuiacius. Erátque olim vox *Schola* propria militiæ, diversæque ibi Scholæ dabantur, quæ erant quædam Collegia & Societates Militum, nimirum Equitum, Peditum, Scutariorum, Sagittariorum, Clibanariorum &c. in quibus singuli in armorum usu exercebantur. Hinc illud Vegetij *L. 2. c. 21. per diversas cohortes & diversas Scholas milites promoventur.* Et passim in Codice Theodosiano & Justinianeo de Scholis militiæ inermis, Scholis Fabricensium, Schola Societatis, Sacrarum Largitionum, & similibus agitur. De quibus plura Gutherius *de Offic. Domûs Augustæ L. 2. c. 14.* & *L. 3. c. 10.* Filesac. *L. 1. select. c. 3.* Meursius *in Glossar. Græco Barbaro V. Scholarij.* Literariam verò Scholam eam dicimus, in qua bonæ Literæ traduntur, addiscuntur, & exercentur. Eósque, qui in ea discendo se occupant, per antonomasiam *Scholares* vocamus. Et quanquam etiam ij, qui artem addiscunt equitandi, gladiandi, saltandi &c. *Scholares* nominentur, frequentiùs tamen hoc nomen ijs datur, qui *Scholam* Literariam cæteris nobiliorem frequentant. Olim quidem *Scholares* dicebantur, qui in *Schola* addiscebant; Scholastici verò, qui causas defendebant, & inter se disceptabant; ut patet ex *L. 2. C. Theodos. de Concussione Advocat.* & *Scholasticè dicere* etiamnum idem est, ac rem per controversiam disputare. Nihilominus *Scholasticorum*, *Scholarium*, & *Studiosorum* nomina usu passim recepto idem sonant.

358. Ut autem quispiam *Scholaris* nomine & privilegio gaudeat, certæ quædam conditiones requiruntur. Prima est, ut Albo seu Matriculæ Universitatis sit insertus, ut omnes DD. fatentur. Hanc conditionem suppleri non posse, nisi à Principe, ajunt Escobar *l. c. c. 32. àn. 3.* & Mendo *l. c. q. 8. n. 58.* eò quod Leges & Statuta Principum Academias fundantium de ea extent,

tent, & legis revocatio & dispensatio ad solum Principem spectet. *L. 9. C. de Legib.* Imò censet Escobar, hanc dispensationem concedi, & defectum inscriptionis, quam *Immatriculationem* dicimus, suppleri non posse à SS. Pontifice; eò quòd illa respiciat temporalem gubernationem Academiæ, & non singulos Studiosos, ac quoad regimen politicum & temporale soli Principi territoriali subjecta sit Academia. Sed cùm facilè fieri possit, ut quis per errorem & oblivionem Albo Academico non inscribatur, ac nihilominus Scholaris ab Academia agnoscatur, talémque se quoad reliqua gerat, non apparet, quomodo tunc iste defectus obesse ipsi possit, tam quoad hoc aliáque privilegia, quàm quoad jus petendi examen, & Gradum Literarium.

359. Secundò requiritur, ut ad Literarum Studia incumcat in Studio, ut vocant, Generali & Academia approbata. Bald *in proœm. Digest. §. & hæc tria n. 10. prin. Lectur.* Petr. Gregor. *L. 18. de Republ. c. 1. à n. 3.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 56. à n. 21.* Et, ut Scholas frequentet discendi gratiâ. Salicet. *in cit. Auth. Habitâ n. 30.* Pacius *ibid. c. 4. n. 10.* Rebuff. *de privil. Scholast. privil. 141. & seq.* Horat. Lucius *eod. tr. privil. 73.* Besold. *Dissertat. de Studios. c. 2. arg. L. Si duas 6. §. 4. ff. de Excusat. L. 1. C. de Collegiat. L. Qui sub prætextu C. de SS. Eccles.* Censet quidem cum nonnullis Ummius *disput. 4. ad Proces. Judic. th. 12. n. 63.* si quis privato Marte non inutiliter militet, ipsum non temerè ab hoc privilegio excludendum esse, cùm illo gaudeant Licentiati adhuc in Academijs commorantes, quamvis publicas lectiones non ampliùs frequentent. Sed hoc multis, & benè, confutat Mendo *l. c. n. 62.* certúmque esse non immeritò existimat, eos, qui Academiam non frequentant, neque in foro externo nec in conscientia gaudere privilegijs Studiosorum: eò quòd mens Imperatoris, & Principum nullatenus fuerit aut sit, ea concedere privatos intra Lares discentibus, sed solùm illis, qui publicis & Scholis & Magistris dant operam: quia aliàs cessaret ratio ac finis, quem illi sibi in erigendis Academijs præfixerunt, nimi-

rum ad hæc publica Literarum emporia tam ſubditos quàm exteros attrahendi, honorem artibus & ſplendorem Univerſitatibus conciliandi, per Profeſſores publicâ auctoritate & judicio ſelectos Juventutem inſtituendi, eámque per concurſum & æmulationem plurium, per varias eásque publicas ac ſolemnes literarias exercitationes, examina, Graduúmque collationem accendendi ad excolendum doctrinâ animum &c. Cæterùm notant Pacius *in cit. Authent. c. 9. n. 4.* & Matth. Stephani *L. 3. de Jurisdict. p. 2. c. 10. n. 9.* cùm Authentica ſit generalis, atque adeò ad omnes Scholares pertineat, privilegium ibi conceſſum non limitari ad Univerſitates, ſed extendi ad omnes Scholares, etiam ubi nullus eſt Univerſitatis Rector. Ex qua ſententia conſequens eſt, quòd privilegio Fori gaudeant & à jurisdictione Magiſtratûs Civici exempti ſint etiam illi, qui in Gymnaſijs & Lyceis, quæ veræ Univerſitates & Academiæ non ſunt, literis dant operam.

360. Tertiò requiritur, ut bonis literis, non arti alicui furvæ & illicitæ, v. g. Necromantiæ, ſe impendant. Cùm perdant privilegia, qui vetitæ hujusmodi arti ſe addicunt, ut tradunt Salicet. *in cit. Auth. n. 2. & 11.* Bald. *ibid. n. 27.* Horat. Lucius *tr. de privil. Schol. in fin.* Rebuff. *eod. tr. privil. ult.* Petr. Gregor. *l. c. c. 7. v. vult.* Adhibenda tamen eſt diſtinctio cum Eſcobar *l. c. c. 32. n. 64.* & dicendum, ſi quis bonis ſimul malísque artibus ſe impendat, non eo ipſo privatum eſſe Scholarium privilegijs, quamvis privandus ſit; nullâ verò ratione illis gaudere, ſi malas duntaxat tractet. Addunt Ummius *l. c.* ac alij, illos quoque indignos hoc Fori privilegio eſſe, quibus, ut ajunt cum Oldendorpio, literæ plus in patinis quàm in paginis ſapiunt. Quin eos, qui Matriculæ adſcripti Scholas quidem frequentant, & lectionibus aſſiſtunt, non tamen addiſcendo, ſed perſtrependo, confabulando, ac alios interturbando, ait Mendo *l. c. n. 65.* peccare mortaliter, & nullo Studioſorum privilegio gaudere. Quod ne nimis rigidum ſit, intelligendum eſt de caſu, quo grave damnum aut injuria alijs inferretur per petulantiam frequenter aut cum contemptu aliorum, præcipuè Profeſſorum, exercitam.

361.

361. Dubitatur II. An tantùm illi hoc Fori privilegio gaudeant, qui extra patriam docent aut discunt, seu Studiorum causâ peregrinantur. Ita quidem affirmat Pacius *l. c. c. 4. n. 8.* quòd dictus Imperator illud concedat ijs, *qui causâ Studiorum peregrinantur, & amore scientiæ exules facti sunt.* Sed longè verius est, nec consuetudo dubitare permittit, eos quoque gaudere, qui in sua patria, v. g. Ingolstadij, docent, aut discunt. Umm. *l. c. n. 64.* Matth. Stephani *de Academ. c. 5. n. 34.* Hunnius *in cit. Auth. Habita c. 1. q. 5.* Carpz. *L. 2. Respons. Jur. Saxon. respons. 32. n. 20.* Limnæus *de Jure Publ. L. 8. c. 9. n. 50.* Cùm certum sit, rationem Constitutionis, quæ affertur *in cit. Auth. V. Dignum*, convenire etiam in patria degentibus. Et quanquam isti non eadem, quæ peregrini, pericula & sumptus subeant, non tamen ista, aut certè non sola, causam Constitutioni dederunt, sed maximè utilitas ac ornamentum, quod Reipublicæ ab illis accedit, & labores, quos ipsi pro ea suscipiunt. Accedit, quòd Imperator respexit ad majorem numerum eorum, qui tum temporis non eâ commoditate literis operam dare poterant in patria, sed peregrinari cogebantur. Quo ipso tamen Studentes vel Docentes in patria neutiquam excludere voluit, ut notat Limnæ. *l. c.* Quemadmodum à privilegijs, quæ alijs certi Statûs aut Ordinis hominibus, v. g. Nobilibus, Religiosis, Militibus, data sunt, non excluduntur particulares quædam personæ, in quibus una alteráve ratio concessi privilegij cessat.

362. Dubitatur III. Quis nomine *Magistri & Domini*, coram quo conveniri Studiosos posse asserit Imperator, intelligatur. Multa hîc inter DD. disceptatio est, ut videre licet apud Gloss. Bald. Salycet. Pac. Oldendorp. Sichard. Donell. Rebuff. ac alios *in cit. Auth.* & Petr. Gregor. *L. 32. Syntagm. c. 8.* & *L. 18. de Republ. c.* 10. & *L. 4. de Appell. c. 13. n.* 1. Scip. Gentil. *L. 3. de Jurisd. c.* 17. Petr. Heig. *p.* 2. *q.* 11. *n.* 3. Horat. Lucium *privil. 64.* Rebuff. *privil.* 152. Zasium *in L. si convenerit. ff. de injur. n. 22.* Quamvis *Magistri* nomine intelligatur quicunque Præceptor,

ceptor, adeò ut etiam Doctor Juris, qui docet, vocetur Magister *L. qualem 19. §. 2. ff. de Receptis, qui arbitr. recep.* Et Magistros, seu Doctores, & Præceptores, jurisdictionem in suos Studiosos habere tradant Bald. *in cit. Auth. n. 58.* & Salycet *ibid. n. 23.* Imperator tamen hoc nomine vel solum Rectorem Academiæ intellexit, ut volunt Scipio Gentil. *l. c.* Umm. *l. c. n. 65.* ac alij; vel certè per Statuta & consuetudinem tota jurisdictio Rectori, & toti Senatui Academico, ubi ad hunc causa defertur, vel ob gravitatem deferenda est, attributa fuit. Gilken *in cit. Auth. n. 62.* Matth. Stephani *L. 3. de Jurisd. p. 2. c. 10. n. 6.* Æquè controversum est, quis sit ille *Dominus*, ad quem juxta *Auth.* Reus Scholaris causam trahere potest. Accurs. *ibi*, & Pac. *q. 9. n. 3.* ac teste Ummio, communis DD. censent, *Dominum* & *Magistrum* pro Synonymis ab Imperatore fuisse posita, ac per *Dominum* significatum Magistrum. Sed obstare videtur particula disjunctiva *vel*, quâ sicut distinguitur Episcopus loci à Magistro, ita ab isto Dominus. Sic enim textus habet: *eos coram Domino, vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat.* Neque textus extat, quo *Domini* nomine Præceptor veniat. Unde idem Ummius existimat, *Domini* nomen hîc denotare Magistratum, in cujus Civitate Cœtus docentium & discentium vivit: malè omnino (saltem si loquamur de consuetudine, quæ tamen Authenticam illam interpretatur) si nomine Magistratûs intelligit Magistratum Civium, & non solum Principem, cui Civitas & Universitas subjecta est.

363. Notant verò communiter DD. privilegium optionis seu electionis inter Dominum, Magistrum, & Episcopum, ab Imperatore concessum Scholaribus, tolli per juramentum, quod Rectori, dum ad Universitatem accedunt, præstant, nec isto semel emisso declinari ejus forum ampliùs posse. Unde Stephani *l. c. n. 9.* & Sichard. *in cit. Auth. n. 17. in fin.* per ista juramenta Authenticæ & sic privilegijs Studiosorum multùm derogari asserunt. Verùm refragantur Ummius *cit. n. 65.* Mendo *l. c. q. 10. n. 74.*

*n. 74.* ac alij, ajúntque, his juramentis majorem subjectionem non promitti Universitati & Rectori, quàm debeatur illis seclusis, ac idcirco nihil detrahi privilegio Authenticæ. Ratio dari potest: quia ad ea, ad quæ aliunde jam tenemur, novô vinculô & arctiùs per juramentum aut votum obstringi possumus, juxta Covarr. *in C. quamvis pactum p. 1. q. 7. in fin.* Cajetan. *2. 2. q. 88. art. 5. dub. ult.* Suar. *tom. 3. de Religione L. 2. c. 18.* Vasq. *1. 2. q. 72. art. 6. disp. 98. c. 3. n. 7.* ac communem Theologorum: nec propterea ad plus & extensivè magis tenemur, sed solùm, ut loquuntur, magis intensivè. Nec ex eo, quòd Domino territoriali, seu domicilij, juramentum subjectionis & fidelitatis præstamus, coram ipso solo & non etiam coram alio conveniri possumus. Nec juramentum ad non cogitata extenditur: multò minùs aufert, quæ Jure communi concessa sunt. Hæc licèt de se vera sint, semper tamen consuetudo attendenda est, quæ sicut Leges, ita & Juramenta interpretatur.

364. Dubitatur IV. Utrùm hoc privilegium Scholarium ad omnes omnino causas etiam criminales se porrigat; an verò solùm ad civiles. Ad criminales quoque porrigendum censent Gloss. *ibi V. si litem.* Bart. *n. 4. in fin.* Horat. Lucius *l. c. privil. 65. & 69.* Clarus *L. 5. Sentent. §. fin. q. 35. n. 23.* Mendo *l. c. q. 2. n. 8.* testans de communi *DD.* Escobar *l. c. c. 40. n. n. 2.* ubi ait, contrariam Hispanorum legem *L. 2. tit. 31. partit. 2.* fuisse abrogatam consuetudine & Pontificijs ac Regijs constitutionibus. Rationem dant: quia nomine *Litis* ac *Negotij*, quorum meminit Authentica, etiam criminales causæ veniunt, ut dixi suprà *n. 316.* Multis alijs rationibus hanc opinionem stabilit Scipio Gentilis *L. 2. de Jurisdict. c. 17.* quamvis postea, sed absque lege, id restringat ad infimum meri Imperij gradum. Contrarium sustinent, solúmque in Civilibus Academico Magistratui jurisdictionem in Studiosos, & his Fori privilegium competere, contendunt cum Bald. Angel. Paul. de Castro, Cujac. *in cit. Auth. circa fin.* Sichard. *n. 20.* Pacius *n. 13.* Lucas de Penna *in L. 2. C.*

*de Privil. Scholar.* Jason *in L. 3. ff. de Constit. pecun. n. 52.* Donell. *L. 17. c. 20.* Petr. Heig. *p. 2. q. 11. n. 7.* Vultejus *ad L. 10. C. Ubi causæ fiscal. n. 3.* existimans, Rectorem Academiæ in criminalibus jurisdictionem non habere, præterquam si ex speciali privilegio eam acquisierit. Quam opinionem Ummius *l. c. n. 66.* ait esse contra commune DD. votum, & notissimam Germaniæ consuetudinem. Ratio potissima, quæ pro ea affertur, est, quòd nunquam in generali concessione jurisdictionis Imperium merum comprehendatur. *L. quæcunque 1. ff. de Officio ejus, cui mand. est jurisd.* Verùm ibi solùm sermo est de mandata seu delegata jurisdictione: illa autem, quam Imperator concessit Academijs, est Ordinaria. Neque ex *L. 1. C. Ubi Senatores vel Clariss.* probatur, ut vult Heigius *l. c. n. 10.* quòd forum privilegiatum nunquam se extendat ad causas criminales. Nec ad rem facit, quod de Bononiensi Academia ex Horatio Lucio adducit, & ex Bodino *L. 3. de Republ. c. 7.* de Parisiensi, eas in Criminalibus forum privilegiatum non habere: nam nec Pontifex Bononiensis, nec Rex Galliarum Parisiensis Universitatis supremi domini, illâ Imperatoria Constitutione obligantur: ac idcirco mirum non est, si eâ non attentâ suis Academijs hanc jurisdictionem non concesserunt. Quin Parisiensi competit Criminalis Jurisdictio, & supremus meri Imperij gradus, si verum est, quod ex Petr. Denais refert Thomas Michaël *tr. de Jurisdict. thesi 96.* Præfectum Urbis Paris. quòd duos Scholares suâ sententiâ damnatos suspendi jussisset, coactum fuisse, eos de furca tollere, cadavera osculari, & honorificè sepelire. Alias rationes, quas Vultejus ac alij ad excludendam ab Academicis criminalem jurisdictionem adducunt, fusè dissolvit Gilhausen *c. 1. Arbor. Judic. Crimin. n. 119.*

365. Ex pugnantibus hisce opinionibus præplacet anterior. Nihil tamen decidendum existimo: præcipuè, quòd DD. quando mentionem faciunt de particulari quapiam Academia, à qua criminalis jurisdictio exercetur, ferè dicunt, ipsi competere ex privilegio Principis. Et Serenissimus Bavariæ Dux in Decreto

ad

ad Academiam Ingolstadiensem dato anno 1642. 30. Augusti ait, se anno 1605. jurisdictionem Criminalem eidem dedisse, & hoc privilegium, tametsi posset, revocare tamen nolle: exceptis criminibus enormibus & atrocioribus, quæ ad ipsum referri debeant, ut habetur in alio ejusdem Sereniſſimi Decreto anno eodem 1642. 24. Julij.

366. Illud tamen ex Jure communi nullâ ratione admittendum existimo, quod complures tradunt cum Baldo *in cit. Auth. n.43.* Saliceto *n. 27.* Pacio *c. 9. n. 14.* tunc solùm in loco Universitatis conveniri Studiosos ratione debiti posse, si ibi contractum sit. Quia sic nullum aut certè exiguum privilegium ex cit. Authent. proveniret, cùm commune omnibus sit, ut ratione contractûs in loco contractûs respondere teneantur, ut diximus suprà *n. 168.* Ut igitur aliquid speciale tributum ipsis dicatur, uti dicendum est, fateamur oportet, quòd indistinctè coram Rectore Academico conveniri debeant, si super aliquo negotio lis ipsis moveatur. Quod ipsa Constitutionis verba satis indicant. Accedit ratio, quam dedi suprà *n. 169.*

367. Sed & illud rejiciendum videtur, quod cum Baldo, Accursio, ac Vultejo tenent Scipio Gentilis *l. c.* ac alij, omne privilegium tolli per delictum, adeóque facinorosum Scholarem ibi conveniendum esse, ubi crimen perpetravit. Contrarium enim tenet communis DD. quoad personas privilegium Fori habentes clausum in Corpore Juris, ut dixi suprà *n. 139.* Et quidem è loco Academiæ remittendum esse Studiosum ad locum delicti, vix est, qui asserat. Cessavítque per consuetudinem delinquentes remittendi necessitas, etiam quoad eos, qui nullo privilegio muniti sunt, ut dixi *n. 146.* An verò ex loco delicti remittendi sint delinquentes Studiosi, difficilis resolutionis quæstio est. Consentiendum esse censeo (nisi alicubi aliud receptum sit) ijs, qui dicunt, ad locum Academiæ, si petantur, aut ipsi Rei remitti petant, remittendos esse: quòd id clarè decisum videatur cit. Authent. ubi sic Imperator: *decernimus, ut nullus de cætero tam audax*

*audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cujuscunque Provinciæ delictum sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum ijs inferat.* Ubi notanda maximè sunt verba *ob alterius cujuscunque Provinciæ delictum*: ut adeò in altera quacunque provincia & loco, quàm ubi proprium Forum singulare habent, conveniri nequeant. Neque ista accipienda sunt de privatis tantùm hominibus, velut solùm ab his inferri Scholaribus vis vel molestia nequeat, cùm sint universim concepta, ac proinde etiam de Judicibus, quos exprimere debuit Imperator, & non solùm Dominum, Magistrum, ac Episcopum, si præter hos alijs jurisdictionem in illos reservâsset. Quæ ratio sufficere poterit omissâ illâ, quam adducit Engel. *tit. de Foro Comp. n. 29.* à militia Armata ad Togatam.

368. Quin asserunt Rebuff. *de Privil. Scholast. privil.* 153. Horat. Lucius *eod. tr. privil. 66.* & Bologninus *in cit. Auth n.* 220. tametsi considerato Jure communi Fori privilegium non extendatur ad ea, quæ gesta sunt ante privilegium, juxta *L. si quis posteaquam ff. de Judic.* & *L. cùm quædam puella. ff. de Jurisdict.* posse tamen Studiosos vi Authenticæ ad Forum suum competens Academicum trahere causas natas ante incepta Studia, & sic non teneri ob delicta vel debita antè contracta respondere, nisi coram Academia. Quem in finem adducunt verba Authenticæ paulò antè recitata. Addunt quidam apud Alphons. de Escobar *l. c. c.* 70. conveniendum pariter in Foro Academico esse, tametsi sit hæres alicujus, cum quo lis cœpta jam fuit & pendet in alio foro. Verùm hoc privilegium ipsis etiam Clericis probabiliùs non competit, ut dixi suprà *n. 308.* Si tamen Studiosus sit successor particularis, v. g. emptor, legatarius &c. admittendum videtur cum Mendo *cit. q. 3. n.* 22. & Escobar *l. c. c.* 51. *n.* 2. conveniri non posse, nisi coram Rectore Academico, tametsi cum auctore seu antecessore lis jam fuerit cœpta: quia hoc ipsum de Clericis tradit communis DD. de qua suprà *n. 308. in fine.* Quod ipsum tamen

men restringendum videtur cum Escobar *l. c.* in casu, quo res alienata fuisset in Studiosum contra prohibitionem *titul. ff. & C. de Litigosis, & tit. de Alienatione judicij mutandi causâ facta:* tunc enim non gauderet suo foro. Nihilominus etiam in hoc casu cognoscit Rector Academicus, utrùm fraus in contractu intervenerit, & res litigiosa fuerit, vel alienata judicij mutandi causâ: ut constet, an ipse sit Judex. Cùm universim, quoties de valore privilegij agitur, & utrùm in hoc illóve casu locum habeat, à Judice privilegiati causa cognoscenda sit. Similiter asserendum est, quòd Studiosus venditor suum emptorem coram Judice, coram quo lis super re empta movetur, defendere teneatur, nec actorem ad Forum Academicum trahere possit, ut dictum est de Clericis ab emptore laudatis *n.* 309. cum ea tamen limitatione, quam posui *n.* 312. In causa demum Feudali contra vel à Studioso mota adeundum esse Feudi Dominum vel Pares Curiæ, constat ex ijs, quæ suprà *à n. 288.* dixi de Clericis.

369. Dubitatur V. Coram quo Judice conveniendus sit Studiosus, si ab una Academia migret ad aliam, & in loco prioris contraxerit debitum aut delictum. Tradunt communiter DD. teste Ummio *disp. 4. ad Proces. Judicial. thesi 12. n. 66.* judicium ipsi subeundum esse in Academia posteriore, ad quam commigravit. Ego cum eodem Ummio non dubito, posse à Rectore prioris citari & ad judicium suscipiendum competentibus remedijs cogi: aliàs in arbitrio ipsius foret miserum actorem circumvenire, aliorsum eum & de loco in locum trahendo, mutando identidem, ubi se in una alteráve conventum iri existimaret, Academias. Nec hîc par est ratio inter ipsum aliósque Reos: hi enim conveniri possunt in loco Domicilij, tametsi absentes sint, Studiosus verò etiam in loco domicilij exceptionem sui Fori opponere potest. Videantur ea, quæ dixi *n. 187.*

370. Dubitatur VI. An Studiosi conservent privilegium, & conveniri coram Academia possint, quando ab illa recesserunt. Dicendum est, conservari Scholaribus sua privilegia per integ-

rum quinquennium, posteaquam ab Academia recesserunt. Ita Bald. *in cit. Auth. n. 23.* Ant. Gomez *in L. 2. Tauri n. 7* Bartol. Salicet. Didacus Perez, apud Mendo *cit. q. 3. n. 17.* Rebuff. *privil. 35.* Limn. *L. 8. de Jure Publ. c. 9. in fin.* Schneidevvin *ad §. Item Romæ Inst. de Excusat. Tutor. n. 6.* Carpz. *L. 2. Respons. Jur. Saxon. respons. 32. n. 21. arg. L. 3. C. de Primicer. L. 3. C. de Domestic. & Protector. L. 2. & 3. C. de Commeat. L. 5. in fin. ff. de Captiv. & postlim. reversi.* ubi id notant DD. & *C. ult. de Hæretic.* ubi Glossa *v. per quinque annos.* Dum tamen, ut communiter notant, animum revertendi ad Academiam retineant: qui animus per quinquennium præsumitur, nisi contrarium ex conjecturis sufficientibus arbitrio Judicis probetur. Unde consequens est, quòd mox perdant Forum Academiæ (nisi aliud alicubi consuetudine aut privilegio Principis receptum sit) si absolutis studijs ex Academia recesserunt, præsertim si examen ultimum subierunt, aut Gradum Literarium susceperunt.

371. Dubitatur VII. An Studiosus Clericus gaudens privilegio Fori Ecclesiastici, videlicet, si sit constitutus in Majore aliquo Ordine, aut habens Minores gestet Habitum & Tonsuram, conveniri possit coram Rectore Academiæ, si hic sit secularis. Respondetur: cùm juxta dicta suprà *à n. 225.* Clerici gaudeant privilegio Fori, vi cujus neque in Civilibus neque in Criminalibus (exceptis casibus, quos *n. 289. & seqq.* enarravi) coram seculari Judice conveniri queunt, consequens est, neque coram Rectore Academico seculari conveniri posse, sed causam eorum ab Ecclesiastico cognoscendam esse. Hinc cùm Sereniſſimus Bavariæ Dux suo Decreto anno 1642. 26. Martij sanxisset, ut in posterum præter Clericos non Regulares etiam seculares & conjugati Professores in Rectores Universitatis Ingolstadianæ assumerentur, addidit: da etwann in Rectoratu eines Verheyrathen Professoris, ein solcher Fall sich zutragen wurde / den ex defectu & incapacitate jurisdictionis ein solcher Rector nit abhandlen kunde / soll alsdann ein solcher Fall einem Professori Clerico (welcher gleichwol auch Rectorabilis ist) committirt

tirt und durch ihn abgehandlet werden / ingestalten es dann auch bißhero in dem Gegenspill geschehen / und observirt worden / wann sub Rectoratu Professoris Clerici ein Criminal casus eingefallen / dessen Abhandlung und Verthätigung propter defectum jurisdictionis in causa criminali ihm nit zustunde / gleichfalls allzeit denen Professoribus secularibus überlassen und committirt worden. Quæ latinè sic sonant: Si forsan sub Rectoratu alicujus Professoris conjugati casus contingeret, quem ex defectu & incapacitate Jurisdictionis hujusmodi Rector decidere nequiret, causa ejusmodi alicui Professori Clerico (dummodo iste Rectorabilis sit) committatur & ab ipso decidatur. Quemadmodum è contrario factum ac observatum hactenus fuit, ut si sub Rectoratu Professoris Clerici casus criminalis incideret, cujus cognitio & decisio propter defectum jurisdictionis in causa criminali ad ipsum non pertinebat, is pariter Professoribus secularibus semper relinqueretur ac committeretur. Neque obstat, quod forsan nonnemo dicet, Academias, si quidem erectæ fuerint Auctoritate Apostolicâ, uti Catholicæ erectæ sunt, aut certè, postquam erectæ fuerunt, eâdem auctoritate confirmatæ sunt, sint Corpus quoddam Ecclesiasticum. Nam, uti tenent Bartol. Bald. Jason, Felin. Panorm. Socin. Maranta, Horat. Lucius, Scaccia, Decianus, Covarruv. Riccius, Cevallos, Silvester, Basil. Pontius, aliique apud Escobar *l. c. c.* 21. Academiæ, quæ in Principis secularis territorio sitæ sunt, & tum ab ipso tum à Pontifice confirmatæ, ab utroque privilegia habent, sunt Corpus quoddam mixtum, habéntque mixtam è profana & spirituali jurisdictionem, ita ut Ecclesiasticam exerceant in Academicos Ecclesiasticos, qui jurisdictioni seculari subesse nequeunt, & secularem in Academicos laicos, ut fusè probat Mendo *L. 1. de Jure Academico q. 8. §. 1. & 2.* ita videlicet, ut illa exerceri possit in Clericos privilegio Fori gaudentes solùm ab Ecclesiastico, illa verò in laicos tam à Clerico, quàm à seculari Rectore: cùm secularis potestas Clericum, si ea habeat, quæ ad fruendum privilegio Fori Clericalis requiruntur juxta dicta *n. 334. & seqq.*

nun-

nunquam absque Pontificia facultate judicare valeat; quam facultatem tametsi fateremur à SS. Pontifice laicis dari posse ad universitatem causarum (de quo videri potest Suarez *L. 4. Defensionis Fidei c. 2. n. 12.*) constat tamen, nunquam fuisse datam, & datam fuisse in causa aliqua particulari, nullum aut rarum exemplum proferri poterit. A secularibus verò Principibus dari non posse, cùm ipsimet eam non habeant, extra omne dubium est. Et licèt daretur, Academicum aliquod Corpus esse verè ac propriè Ecclesiasticum, non tamen sequitur, nec quisquam concesserit, cuipiam laico ex tali Corpore competere jurisdictionem in Clericos. Videatur Panormit. *in C. si diligenti 12. de Foro comp. n. 27. & seqq.* ubi fusè ostendit, nullam Rectori laico in Clericum Studiosum jurisdictionem competere: addens *n. 29.* si contra hunc agatur criminaliter, solius Episcopi cognitionem esse, juxta *Can. De persona 38. q. 11.*

372. Dubitatur VIII. Quinam præter Studiosos gaudeant privilegio Fori Studiosorum. Cùm uxor sequatur forum mariti, non solùm domicilii, sed etiam illud, quod marito competit ratione dignitatis, officij, artis, aut privilegij personalis, ut cum communi DD. notant Barbosa *in L. quia tale. 13. ff. solut. matrim.* & Hilliger *in Donell. L. 17. Commentar. c. 12. lit. L.* ac statutum est *L. Eos qui 6. C. de Fabricensib. L. Ne ad diversa 4. C. de Silentiarijs & decurion. eor. L. Omnis. 2. in fin. C. de Episcop. & Cleric. L. Quotiens. 3. C. de Privileg. Scholar.* hinc uxor cujuscunque Academici, sive Professoris sive Studiosi, foro mariti gaudet. Quia *Mulieres* (dicebant Impp. *L. fin. C. de Incolis*) *honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus.* Itaque si lis cœpta fuerit ante matrimonium, poterit post illud causam trahere ad forum Academiæ ijs in casibus, in quibus maritus cœptas ante Studia lites trahere ad illud posset juxta dicta suprà *n. 367.*

373. Quod modò dictum est de Uxore Academici, extendendum est ad ejus Viduam: gaudet enim toto viduitatis tempo-

re

re privilegio Fori Academici: cùm commune sit Viduis, ut gaudeant Foro mariti defuncti. *cit. L. fin. C. de Incol. v. fin autem. L. Filij 22. §. vidua. ff. ad municipalem, L. quotiens. 3. C. de Privileg. Scholarum, Novellâ 22. c. 36.* Quod verum est, etiam si vidua Studiosi, & hic, si viveret, transacto Studiorum tempore amissurus fuisset Forum Academiæ: quia tempus mortis inspicitur. Idémque procedit, tametsi vir ante mortem ab Academia recesserit, sed intra quinquennium, de quo paulò antè *n. 370.*

374. Idem, quod de Uxoribus & Viduis Academicorum modò dicebam, pronuntiandum est de ipsorum Filijs & Liberis. Gaudent enim privilegio patris, ne iste à Studijs avocetur, si pro filijs coram alio tribunali conveniri & agere debeat. Et ita communis DD. apud Barbosa *in cit. L. Quia tale. ff. solut. matrim.* & Mendo *L. 3. de Jure Academ. q. 5. n. 33.* ubi addit, eo privilegio post mortem patris non ampliùs gaudere, eò quòd dicta ratio cesset. Ut autem filij etiam vivente patre hoc ejus privilegio fruantur, necesse est, eos esse in patria potestate, cùm quoad emancipatos cesset ratio privilegij, & pater non debeat agere pro filio emancipato. Quòd si in Academici potestate existant etiam Nepotes, & Pronepotes, etiam ipsi eodem privilegio gaudent. Quod tamen hodiernis moribus non procedit, juxta quos filij per matrimonium patria potestate solvuntur. Quænam verò alia privilegia competant hisce Uxoribus, Viduis, ac Filijs, non est hujus loci explicare. Videri possunt Escobar *l. c. c. 36. à n. 25.* Alciat. *in L. 1. C. de in jus vocando à n. 16.* Horat. Lucius *de Privileg. Scholast. c. ult.* Rebuff. *eod. tr. privil. 78.* Tiraquel. *de Nobilit. c. 18.* Menoch. *de Arbitrar. Judic. qq. casu 379.* Roland. à Valle *L. 2. consil. 86. n. 8.* ubi asserunt, competere ea, quæ maritis ac parentibus concessa sunt ratione dignitatis, v. g. ut non torqueantur ob indicia patrati delicti, non detrudantur in carcerem ob æs alienum. Et quæ concessa ijsdem sunt ob officium & munus docendi, v. g ut non teneantur hospitium præbere militibus, subire munia publica &c.

375. Notarij pariter, Bidelli, Nuntij, Oſtiarij Academici illo privilegio gaudent, uti cum communi tradunt Horat. Luciu *cit. tr. de Privileg. Scholaſtic. in fin.* Rebuff. *privileg. 166.* Moneta *de Conſervator. c. 7. à n. 13.* Marta *p. 4. de Jurisdict. caſu 111. à n. 13.* Eſcobar *l. c. c. 37. à n. 8.* Duennas *regul. 305.* Bolognin. *in Auth. Habitá. n. 15.* Hilliger ad Donell. *L. 17. c. 20. lit. K.* Rationem dant: quia iſti ſunt Officiales Academiæ, & in Corpus Academicum ſunt cooptati. Addunt aliqui Typographos, Bibliopolas, Bibliopegos, Magiſtros Linguarum, & Magiſtros, ut vocant, Exercitiorum, ſeu Artis gladiatoriæ, ſaltandi, equitandi; nec non famulos Profeſſorum ac Studioſorum Quos tamen alij ab hoc aliísque privilegijs excludunt: eò quòd iſti, exceptis Studioſorum famulis, ſuam operam non ſoli Academiæ, ſed etiam alijs impendant, æquè ac alij artifices. In Famulis verò Academicorum, quò privilegio hoc gaudeant, requirunt, ut matriculæ Academicæ ſint inſcripti, in loco Academiæ ijsdem inſerviant, & ſint ipſorum domeſtici. Unde dicendum eſt, ſpectanda hîc eſſe ſingularum Academiarum privilegia à Principe territoriali conceſſa, receſſus & conventiones cum Civitate initas, & conſuetudines: quæ ſi deſint, non eſt, cur extenſio ad dictas perſonas fiat; tum quòd ratio, quam allegat Authentica, pro ipſis non pugnat; tum quòd privilegia, etſi alioqui amplianda, Juri tamen communi, præcipuè juri Ordinariorum Judicum, contraria, non ſunt facilè extendenda, eò quòd etiam Clericorum officiales & famuli foro Clericorum non gaudent.

376. De Fidejuſſoribus Academicorum affirmandum eſt cum Bald. *in cit. Auth. n. 25.* & Pacio *ibid. c. 4. n. 17.* Hering. *de Fidejuſſor. c. 23. n. 14.* Rebuffo *privileg. 152. limit. 2.* ac alijs, eos dicto privilegio non gaudere. Cùm fidejuſſores aliorum quoque privilegiatorum, horum privilegijs non fruantur, uti de fidejuſſore Clerici communiter tradunt DD. Si tamen creditor conveniat Studioſum, ob continentiam cauſæ etiam fidejuſſor ad Forum Academicum trahi poterit. Cæterùm ſi Studioſus fidejuſſit pro alio Studioſo,

dioso, certum est, conveniendum esse in Foro Academico. Quòd si unus sit ex una, alter ex alia Academia, in Foro Rei tractanda lis erit. Si autem Studiosus sit fidejussor alicujus non Studiosi, tenuerunt aliqui, debere illum suo Foro renuntiare, ut sit idoneus fidejussor, & tunc conveniendum esse coram Judice ordinario. Verùm suppositâ quorundam DD. sententiâ & consuetudine, vi cujus Studiosi suo Foro renuntiare nequeunt, ut infrà dicetur *n. 416. & seq.* statuendum est, fidejussorem Studiosum semper conveniendum esse coram Magistratu Academico, utpote cujus juris dictionem declinare nequit. Obiter hîc observandum est cum Rebuffo *l. c. privileg. 171.* & Mendo *l. c. n. 32.* Studiosum non esse cogendum dare fidejussores omnino idoneos, neque in contractu neque in judicio, sed quos invenerit & dare potuerit: si verò nullum invenerit, sufficere illi cautionem juratoriam. Ex quo inferunt, cogendos esse dominos ædium, equorum &c. ut eos ipsis locent, quovis fidejussore dato, aut cautione juratoriâ; dummodo Studiosus non sit notoriè pauper aut ignotus. Ac idcirco in quovis casu arbitrio Magistratûs Academici relinquendum esse, quæ sit sufficiens fidejussio vel cautio.

377. Dubitatur IX. Quandonam privilegium Fori Academici amittatur. Cessare hoc privilegium, ubi Studiosi quinquennio abfuerint ab Academia, constat ex dictis *n. 370.* Cessat pariter, si non habeant requisita, de quibus suprà *n. 358. & seqq.* aut si crimen committant, in quod in Statutis Academicis lata est pœna privationis, vel si eorum nomen propter aliud delictum à Magistratu Albô seu Matriculâ expungatur, vel jubeantur ut cessatores incorrigibiles Academiâ abstinere &c. aut si à vidua vel pupillo conveniantur, ut volunt Bald. *in cit. Auth. n. 61. & 62.* Oldendorp. *de Jure singular.* Ummius *cit. thesi 12. n. 66.* cum communi DD. de quo mox plura §. *seq.* Denique cessat hoc Forum, ut putant Vultejus *ad L. un. C. in quib. caus. militant.* & Ummius *cit. n. 66. in fin.* si Scholares de rebus, quas extra locum, in quo est Academia, tractant aliâ, quàm Studiorum contemplatione, nimirum propria-

rum rerum componendarum causâ, conveniuntur. Sed his obstant ea, quæ dixi *n. 169. 366. & seqq.* Vidua Academici amittit hoc Forum cùm ex dictis causis, tum ex secundis nuptijs, quas contrahit cum alio, qui Academicus non est, juxta *LL. cc. n. 372.* A Filijs, cùm exeunt è patria potestate, ut modò dictum est *n. 374.* Ab Officialibus Academiæ, quando suum officium dimittunt: cùm illo non gaudeant ratione personæ, sed Officij. An verò Studiosi, quamdiu tales sunt, possint renuntiare privilegio sui Fori, & Judici non suo prorogare jurisdictionem, infrà dicetur, ubi de Prorogatione agetur.

## §. III.

## *Quodnam sit Forum Competens Miserabilium Personarum.*

### SUMMARIUM.

378. *Habent Forum Privilegiatum Personæ Miserabiles.*
379. *Assignatur ejus concedendi ratio.*
380. *Gaudent hoc privilegio Pupilli, tametsi tutorem & defensorem habeant.*
381. *Et licèt non sint pauperes. Idémque est de Viduis.*
382. *Gaudent etiam Virgines, nisi patrem habeant, à quo defendi possint.*
383. *Item Feminæ, quæ habent Virum, à quo defendi nequeunt. Et Liberi habentes patrem inutilem.*
384. *Vidua impudicè vivens hoc privilegium amittit.*
385. *Quænam Persona sit censenda Miserabilis, Judicis arbitrio æstimandum relinquitur.*
386. *Non gaudent Foro Privilegiato, qui suâ culpâ miserabiles facti sunt.*
387. *Miserabilis Persona non gaudet hoc privilegio contra aliam miserabilem.*
388. *Non possunt Miserabiles Personæ suo Foro Privilegiato renuntiare.*

389.

389. *Eo gaudent etiam in cauſis criminalibus.*
390. *Gaudent etiam conſortes litis cum Perſona Miſerabili ſuſceptæ.*
391. *In Camera Imperiali Viduis & Pupillis non decernuntur proceſſus, niſi in caſu denegatæ Juſtitiæ.*
392. *Vidua ſpoliata contra ſpoliatorem etiam laicum immediatè adire poteſt Judicem Eccleſiaſticum tribus in caſibus.*
393. *Extra illos adeundus eſt contra laicum Judex laicus.*

378. Inter varia privilegia, quæ Viduis, Pupillis, aliísque fortunæ injuriâ afflictis & miſerabilibus perſonis competunt, ac numero ſedecim à Rebuffo *tract. de ſent. Proviſ. gloſſ. ult. art.* 3. referuntur, illuſtre eſt illud, quod eis Conſtantinus Imper. *L. ſi contra. un. C. quando Imperator inter Pupillos & Viduas* his verbis conceſſit: *Quòd ſi pupilli vel viduæ, aliíque fortunæ injuriâ miſerabiles, judicium noſtræ Serenitatis oraverint, præſertim cùm alicujus potentiam perhorreſcunt: cogantur eorum adverſarij examini noſtro ſui copiam facere.* Ex cujus Conſtitutionis privilegio id juris habent miſerabiles perſonæ, ut adverſarios ſuos è Provincia, in qua ſunt, ad Auditorium ſeu Curiam Imperatoris vel Cameram Imperij aliam evocare poſſint. Idque indiſtinctè, ſive oppreſſionem ſui metuant, ſive non: cùm Imperator addiderit particulam *Præſertim*, quæ æquivalet particulis *Maximè* & *Præcipuè*, quæ ſunt implicativæ, & non excludunt caſus alios contrarios, ſed involvunt, ut cum communi DD. tradunt Everhard. *in Locis argum. Legal. loco* 110. Sanchez *L.* 2. *de Matrim. diſp. 39. n. 6. & L.* 10. *diſp. 5. n.* 4. & Auguſt. Barboſa *tract. de Diction. uſu freq. dictione* 277. & per ſe notum eſt latinè ſcientibus. Et quamvis particula *Præſertim* aliquando ſumatur pro *Tantùm* vel *Duntaxat*, ut ex varijs Juribus & DD. demonſtrat idem Barboſa *l. c. in fin.* hoc tamen duntaxat procedit, quando ex ſubjecta materia vel aliunde conſtat, caſus contrarios & non expreſſos excludendos eſſe. Itaque ſi Imperio mediatè ſubjectus in judicio Imperatoris à Vidua, Pupillo, aliáve miſerabili perſo-

na conveniatur, excipere non valet de incompetentia Fori, nec opponere beneficium primæ instantiæ. Accurs. Vultej. & DD. *in cit. L. un.* Maranta *part.* 4. *Praxis Aur. distinct. 9. à n. 77.* Gaill. *L.* 1. *observat.* 1. *n.* 40. Quemadmodum verò dictæ personæ alios trahere immediatè ad Imperatorem, omisso Judice loci, possunt: ita ipsæ ab alijs invitæ eódem trahi nequeunt, ut habetur *cit. L. un.*

379. Ratio, quæ ad hoc privilegium concedendum Constantinum moverat, erat, quòd, ut ex S. Hieronymo dicitur *can.* 23. *23. q. 5. Regum officium est proprium facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupillóque & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium:* & quia Deus, cujus viva in terris Simulacra & Vicarij sunt Principes, peculiarem viduarum & pupillorum curam gerit, gerique mandat, ut patet ex *c.* 22. *v.* 22. Exodi, & *c.* 10. *v.* 18. Deuteron. *c.* 7. *v.* 10. Zachar. *c.* 1. *v.* 23. Isai. *c.* 5. *v.* 28. Jerem. *c.* 22. *v.* 3. Malach. *c.* 3. *v.* 5. Qua etiam de causa SS. Pontifices eos sub protectionem Ecclesiæ receperunt. *Can.* 1. *dist.* 87. ac protectioni Principum commendarunt. *Can. Administratores* 26. 23. *q.* 5. De quo mox plura *n.* 392.

380. Verùm etiam ex hac Constitutione Constantiniana, sicut ex illa Friderici I. Imp. Studiosis patrocinante, varia dubia nascuntur. Dubitatur 1. an Pupilli, qui Tutorem & Defensorem habent, hoc privilegio comprehendantur. Negat Paulus de Castro *in rubr. tit. C. quando Imperator.* Sed affirmandum est cum communi aliorum: quia Imperator generaliter loquitur, ac proinde etiam illos Pupillos suo privilegio donat, qui Tutores habent. Accedit, quòd Pupillus semper tutorem habet, qui ipsum defendat, nec unquam in judicio esse sine defensore potest. Unde si hoc beneficium restringeretur ad pupillos defensore carentes, aut nunquam aut rarò locus illi esset: quod dicere absurdum est, ut benè notat Vultejus *l. c. n.* 5.

381. Dubitatur II. Utrùm Viduis & Pupillis solùm pauperi-

bus

bus hoc privilegium competat, an etiam opulentis. De his dubitare videntur Bartol. *in cit. L. un.* Maranta *cit. distinct. 9. n. 195.* Speculat. Felin. ac alij, quos citat Vivius *Neapolit. decis. 521. n. 7. & 8.* dum ajunt, saltem pauperibus competere. Opulentos Pupillos & Viduas eo gaudere absolutè negat Rolandus à Valle *vol. 2. consil. 20. n.* 12. ubi ait, esse communem & indubitatam Juris conclusionem, quòd ad hoc, ut Vidua vel Pupillus illo *cit. L. un.* privilegio gaudeant, requiratur, ut sint pauperes. Sed fallitur: nam neque communis est hæc assertio, neque in Jure ullibi prodita. Itaque recipienda est sententia illud permittens etiam opulentæ Viduæ & Pupillo. Eam tenent Anton. Thesaur. *decis. 177. n. 3.* Vincent. de Franch. *decis. Neapolit. 100. n. 19.* ubi Neapoli ita judicari asserit, Gaill. *l. c.* Tusch. *lit M. conclus. 273. n. 14.* Covarr. *Pract. qq. c. 6. & 7.* Sperelli *in Decision. Fori Eccles. decis. 156. n. 53.* & ipse etiam Rolandus *vol. 1. consil. 76. n. 45.* aliique quamplurimi, quos citat Vivius *cit. decis. 521.* Nam nec Deus, nec Imperator, dum illis specialiter favent, ac faveri ab omnibus cupiunt, distinguunt inter pauperes & opulentos. Nec rationem Imperator sumit à paupertate; sed ex eo, quòd sint miseratione digni. At istâ dignus est omnis Pupillus & Vidua, quòd ille patrem, hæc maritum defensores amisit, ac ob imbecillitatem quà sexûs quà ætatis, judiciique infirmitatem, ob quam rebus suis præesse nequeunt, potentûm injurijs patent, tunc maximè, quando sunt opulenti.

382. Dubitatur III. An Virgines dicto privilegio gaudeant. Negant Felin. *in C. significantibus de Offic. Delegati n.* 8. Covarr. *Practic. qq. c. 7. n.* 2. Gaill. *cit. L.* 1. *observ. 1. n.* 42. Vultejus *l. c. n. 7.* Carpz. *L.* 2. *Respons. Elector. Saxon. respons. 19. n. 9.* Affirmandum videtur cum Azone *in Summa ad cit. Titul. C. quando Imperator*, & Cyno, Baldo, Afflict. Guidone Pap. ac alijs, quos refert & sequitur Sperelli *l. c. decis. 158. n. 3.* ac communem fatetur Covarr. *cit. c. 7. n. 2.* quia, ut ait Javolenus *L. Malum 242. ff. de V. S. §. 3. Viduam non solùm eam, quæ olim nupta fuisset, sed*

*eam*

*eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia Vidua sic dicta est, quasi vecors, vesanus, qui sine corde vel sanitate esset: similiter Viduam dictam esse sine duitate.* Limitandum tamen esse censeo: nisi patrem habeat, à quo defendi possit; tunc enim non censetur miserabilis. Hanc porrò ob causam privilegium isthoc Covarr. *l. c. n.* 3. ac alij extendunt ad Moniales & earum Monasteria. Quin etiam ad Monasteria Virorum Ordinis Mendicantis.

383. Dubitatur IV. An hoc privilegio gaudeat femina habens Maritum inutilem, seu à quo defendi nequeat, v. g. captivum, exulem, ad triremes damnatum. Affirmo cum communi DD. & Baldo *in L. fin. C. de Plagiarijs n.* 2. Felin. *l. c. n.* 8. Covarr. *cit. c. 7. n. 7. V. Est & hoc.* Vincent. de Franch. *decis.* 100. *n. 18.* Vivio *decis.* 199. *n.* 3. Gaill. *l. c. n.* 44. ubi benè adducit textum *C. 2. §. sed neque istud de Translat. Episcopi*, juxta quem Ecclesia habetur viduata, quæ Episcopum habet, sed inutilem. Idémque dicendum videtur cum Follerio ac alijs, de Liberis patrem habentibus perpetuò inutilem. Unde idem tenendum est de Femina, quæ sine sua culpa à viro separata est divortio: tum quòd sic virum habet inutilem, ac forsan inimicum magis quàm defensorem; tum quòd *L. vir mulieri. 64. ff. de Donation. inter Vir. & Uxor.* vidua dicitur, quæ à viro divortium fecit.

384. Dubitatur V. An Vidua impudicè vivens amittat dictum privilegium. Respondeo affirmativè cum Alexand. Jason. Dec. ac alijs, quos refert Sperelli *cit. decis.* 158. *n.* 21. & 26. Nec enim censendum est, Imperatorem voluisse hujusmodi Viduis favere contra monitum Apost. 1. *ad Timoth. c. 5. v.* 3. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* ubi *v.* 6. explicat, quæ verè vidua sit, dum ait: *quæ in delicijs est, vivens mortua est.* Hinc omnia privilegia, honores, & commoda prioris matrimonij amittit, ut in *L. his solis C. de Revoc. Donation.* tradunt Baldus, Salicet. & alij, ac Panorm. *in C. Uxoratus de Conversi. Conjugat. notab.* 2. cum plurimis, quos allegat Tiraquell. *de Nobilitate c.* 18. *n.* 13. Perditque

que legatum à viro relictum. Gloss. & Bartol. *in L. Fideicommissum C. de Fideicommiss.* ac alij apud Tiraquell. *l. c. n.* 14. Pariter admittendum non est, & non immeritò à castis mentibus auribúsque pudicis alienum esse dicit Bern. Græv. *L.* 1. *concluf.* 1. *considerat.* 1. *n.* 5. quod Vivius *Neapolit. decis.* 521. *n.* 5. & 6. aliíque non pauci tradunt, meretrices hoc privilegio gaudere. Etsi enim miserabilissimæ sint, uti omnes facinorosi, non tamen sunt miserabiles fortunæ injuriâ, ut requirit Imperator *cit. L. un.* Et absque dubio judicavit Constantinus, quod postea dixit Justinian. *Novell. 89. c.* 10. *§.* 5. *nos non damus luxuriantibus, sed pudicis legem. Non enim*, ut idem ait *Novell. 39. in fin. aliquid amplius habebit castitate luxuria:* uti haberet, si meretrix hoc privilegio gauderet, quo tamen non gaudent honestæ & justo thoro junctæ matronæ.

385. Dubitatur VI. Quinam præter Pupillos & Viduas nomine miserabilium personarum veniant. Cùm innumeros & modis propè innumeris fortuna siniſtra premere soleat, non tamen indistinctè omnibus, in quos illa sævit, videatur Imperator illud privilegium concedere voluisse, Judicis arbitrio relinquendum est, quænam in specie sint personæ miserabiles. Quam esse sententiam DD. receptissimam ait Menoch. *de Arbitrar. Judic. L.* 2. *cas.* 66. *n.* 1. & Mascard. *de Probat. concluf.* 1066. qui eo ipso supponunt, non quosvis, quos illa afflixit, eo beneficio Imperatorio gaudere. Procul dubio, ut ait Carpz. *l. c. n.* 11. eo nomine veniunt Furiosi, Cæci, Muti, Leprosi, alióve laborantes morbo, qui hominem ad negotium quodcunque gerendum reddit inhabilem. *arg. L. Morbus.* 113. *ff. de V. S. L.* 2. *§. si quis judicio. ff. si quis caution. L Quæsitum.* 60. *ff. de Re Judic. L. ob quæ.* 4. *§. illud. & L. ult. ff. de Ædilit. edict.* Quibus cum Gaillio *cit. L.* 1. *observ.* 1. *n.* 40. addendi sunt Senes decrepiti, item qui longo morbo exhausti & enervati sunt. Excluduntur autem ab Anton. Butrio *in C. significantibus de Offic. Deleg. n.* 22. & Carpz. *l. c. n.* 12. Captivi & Mercatores, qui in itinere gabellis gravantur. Quos tamen admittunt

Alexander *L. 7. consil. 130. in fine*, Rebuff. ac alij. Videri possunt Mascardus *l. c.* Tuschus *lit. M. conclus. 273.* Rebuff. *tract. de Sentent. provision. art. 3. gloss. fin.* Novarius *tract. de Privileg. miserab. person.* Tiraquell. *de Privileg. causæ piæ privileg. 4.* Utrùm autem Pupilli nomine hîc veniat etiam orphanus, seu minor 25. annis patre orbatus (quod asserit Covarr. *l. c. c. 6. n. 2.*) meritò dubitaveris: quia verè ac propriè non est pupillus, ac idcirco, si Imperator ipsum suo privilegio comprehendi voluisset, eum utique expressisset. Nec sola ætas minorennis, nisi paupertas aliæve calamitates incumbant, miserabilem facit, cùm non sit eâ judicij infirmitate, quâ pupilli, ac ferè feminæ.

386. Dubitatur VII. An miserabiles personæ hoc privilegio gaudeant, si suâ culpâ, v. g. luxu, gulâ, ludô, aut ob crimen, in paupertatem malúmve aliud se præcipitarunt. Non gaudere affirmant Andr. de Isern. *in Constitut. Neapolit. L. 1. tit. 37. n. 9.* Matth. de Afflict. *in cit. L. un. n. 28.* Rebuff. *ad Leges Regias tom. 1. tit. de Sent. provis. gloss. ult.* Hanc opinionem falsam esse censet Covarr. *Pract. qq. c. 6. n. 2.* §. *sed si quis*, addens, se ex ijs, quæ tradiderat *L. 2. Variar. resolut. c. 16. n. 9.* certò scire, eam nequaquam admittendam fore. Verùm ex ijs, quæ *cit. n. 9.* affert, nequaquam illius opinionis falsitas concluditur, ac ipsemet suam sententiam *cit. n. 2.* limitat primò quoad Viduam, quæ proprium maritum occidisset: huic enim minimè suffragari hoc privilegium, cùm huiusmodi homicidium directè tendat ad viduitatem. Limitat secundò *cit. c. 16. n. 9.* §. *Secundò* quoad eos, qui datâ operâ ex culpa ad causam paupertatis ordinatâ & præmeditatâ, ut privilegijs uterentur, in paupertatem inciderunt. Quam in rem benè adducit textum *L. penult. ff. de Jure Dot.* Limitat & addit tertiò *cit. n. 9.* §. *Tertiò*, privilegia à Jure concessa his, qui egestate premuntur, non esse servanda, quoties alteri fieret præjudicium, & ipsi ob culpam propriam aut scelus ad egestatem fuerint redacti. Verùm spectato Jure scripto absolutè tenenda videtur sententia Iserniæ. Tum quòd Imperator *cit. L. un.* hoc privi-

privilegium ijs concedat, qui fortunæ injuriâ sunt miserabiles, quâ ratione miserabiles non sunt, qui suâ culpâ & flagitio malum sibi cuderunt. Tum quòd delictum nemini debet patrocinari, nec ulli immunitatem præbere. *L. 1. C. Ubi Senat. vel Clariss. L. si ab hostibus ff. Solut. matrim. L. Relegatorum §. fin. ff. de Interd. & relegat. L. his solis. 7. §. de cæteris. C. de Revocand. donation. L. Eisdem pœnis C. de secund. Nupt.* Tum denique, quòd beneficium Competentiæ Clericis debitoribus concessum *C. Odoardus de Solution.* eisdem non competit, si ludo vel aliàs luxoriosè vivendo sua bona prodegerunt, ut post Bald. Ferret. aliósque tenent Carol. de Grassis *de Effect. Cleric. effectu 7. n. 151.* & Sperelli *in Decision. Fori Eccles. decis. 158. n. 17.*

387. Dubitatur VIII. An miserabiles personæ suo privilegio contra alios privilegiatos uti queant. Respondetur, non posse uti contra aliam personam miserabilem, eam trahendo in prima instantia ad Curiam Imperatoris. Ratio est: quia Vidua v. g. habet duos Judices, unum ex communi Jure, nimirum Judicem domicilij, delicti, contractûs, vel rei sitæ; alterum ex privilegio. *cit. L. un.* Poterit igitur æquale privilegium habens, v. g. Pupillus vel alia Vidua, alterutrum, quem maluerit, Judicem contra eam eligere, juxta *L. cùm Clericus C. de Episcop. & Cleric.* & *L. Decernimus propè fin. C. de Episc. Audient.* Estque communiter receptum, non posse quemquam uti suo privilegio adversùs alium par privilegium habentem, quando utrumque est speciale, & ex eadem causa concurrit, juxta *C. cùm causam de Præbend.* & Panorm. & DD. *ibi.* Accedit primò: quòd si privilegiatus contra alium par privilegium habentem uti suo privilegio posset, eúmque vi illius trahere ad Curiam Imperatoris, Regísve vellet, posset Reus privilegiatus æquali jure dicere, se quoque privilegium habere, vi cujus illuc trahi invitus nequeat, sibíque istud contra alium privilegiatum competere. Accedit secundò: quòd privilegium Actoris opponitur Juri communi; privilegium autem Rei, vi cujus in proprio foro conveniendus est, est Juri communi conforme,

cùm juxta vulgata Jura Actor sequi debeat forum Rei. Sed inter eos, qui paria habent privilegia, præfertur is, qui habet privilegium Juri communi consonum, juxta Baldum *in L. si quis in gravi. §. ult. & L. qui posthumos. ff. ad S. C. Syllan.* Decium *in C. in præsentia de Probation.* aliósque. Et ita hanc sententiam tenent communiter DD. quos refert & sequitur Vinc. de Franchis *decis. 188.* ubi eam dicit verissimam, Stephan. Gratiani *Discept. Forens. c. 182. n. 21.* & Covarr. *Pract. qq. c. 7. n. 5.* ubi benè inde deducit, quòd si miserabilis persona similem aliam conveniret coram Ordinario Rei Judice seu domicilij, Reus declinare hoc forum & causam avocare ad Curiam Imperatoris non posset: eò quòd Reus tunc sit in malitia, & Actor æquè privilegiatus eligat forum juxta Jus commune, ac idcirco præferendus sit. An verò miserabilis persona alium privilegiatum, diverso tamen privilegio munitum, v. g. Studiosum, trahere ad Curiam Imperatoris possit, controversum est. Negare videntur passim DD. ut patet ex ijs, quæ tradit Covarr. *l. c. n. 4. §. Primus etenim.* Asserit Carpz. *cit. respons. 19. n. 28.* ubi refert, causam cuidam Professori à quadam Comitissa motam, ab Electore remissam fuisse ad Academiam, quòd ille suum Privilegium Fori Academici allegârit, & privilegiatus non utatur suo privilegio adversùs privilegiatum. *L. sed & militis ff. de Excusat. tutor. L. assiduis §. Et ideò C. qui potior. in pignor.* Quæ opinio licèt probabilis sit, standum tamen esse videtur illâ priore cùm ob auctoritatem DD. tum quòd Imperator in concessione privilegij personis miserabilibus facta universaliter locutus est, nec ratio modò allata de persona miserabili contra aliam miserabilem agente pugnat pro alijs personis privilegiatis. Verùm decisio hujus quæstionis pendet ex illa universali, utrùm privilegiatus uti suo privilegio possit contra alium privilegiatum. Hujus autem examinandæ locus hîc non est. Videri possunt Suar. *L. 8. de Legib. c. 23.* Covarr. *in Regul. Possessor. p. 2. §. 2.* Salas *de Legib. disp. 17. sect. 14.* Eman. Rodriq. *qq. Regular. q. 9. art. 11.* Palao *tr. 3. disp. 4. pun. 8.*

368.

388. Dubit. IX. An miserabilis persona dicto privilegio renuntiare possit. Negat Glossa *in cit. L. un. v. Excedere*, quam communiter approbatam ait Gaill. *cit. observ. 1. n. 40.* ac valde notandum dicit Bald. *ibid. n. 3.* & communem ac inconcussam hanc esse sententiam existimat Sperelli *cit. decision. 166. n. 48.* eò quòd non ratione singularum personarum miserabilium, sed statui ipsarum & miserationis intuitu concessum fuerit, ac privilegia ex causa universali certi statûs ac conditionis hominibus concessa à singulis eorum abdicari nequeant, cùm non in specialem favorem, cui quivis privatus renuntiare potest, sed publicum cedant. Ex quo contra Covarr. *cit. c. 7. in fin.* ac nonnullos alios inferunt Natta *consil. 509. n. 15.* Petr. Barbosa *in L. Hæres absens prin. ff. de Judic. n. 162.* Nevizant. *in Sylva Nupt. L. 6. n. 38.* Sperelli *l. c. n. 51.* ac teste Thesaur. *Decis. Pedemont. 258. n. 2.* communiter alij, Viduam aliásque personas miserabiles cœpto jam judicio coram Judice suo posse causam ad Imperatorem avocare, eò quòd per litis contestationem & consensum tacitum in hunc Judicem, coram quo lis contestata est, non potuerit privilegio renuntiare. Mihi non videtur esse sufficiens ratio dicendi, quòd personæ miserabiles quemdam integrum Statum & Ordinem constituant (sicut constituunt Clerici & Religiosi) ac propterea suo privilegio, tanquam favori publico, reuùntiare non valeant. Cùm communis DD. ut infrà dicetur *n.* 417. hanc renunciationem concedat Studiosis, pro quibus tamen fortior urget ratio dicendi, privilegium Fori, quod habent, non esse singulis concessum quà privatis, sed toti Academiæ & Magistratui Academico, juxta ea, quæ afferam infrà *n. 416.* Si tamen ob auctoritatem DD. illam sententiam supponere placeat, videtur excipiendus esse casus, quo contra defunctum, cui Vidua Pupillúsve successit, lis cœpta jam fuit: tunc enim ab hærede coram eodem Judice continuanda erit, juxta ea, quæ de Clerico dixi *n. 308.* Quod tamen Barbosa *l. c. n. 165.* Oliva *p. 3. Fori Ecclesiast. q. 33. n. 8.* ac alij, tunc solùm admittunt, si in causa cum defuncto agitata jam fuerit concluſum.

389. Dubitatur X. Utrùm hoc privilegium locum habeat solùm in civilibus; an etiam in criminalibus causis. Etiam in his locum habere meritò asserunt Matth. de Afflict. *L. 1. Constitut. rubr. 37. n. 23.* Covarruv. *cit. c. 6. prin.* Thom. Valasco *allegat. 65. n. 50.* Oliva *l. c. n. 14.* eò quòd Imperator inter causas civiles & criminales non distinguat. Quod tamen Oliva solùm concedit, quando miserabilis persona accusat: secùs, si accusetur; quòd delinquentibus, ut ait, non fiant favores, nisi ex causa publica. Verùm etiam hîc procedit illud, quod modò dictum est, Imperatorem non distinxisse inter Civile & Criminale judicium. Majúsque damnum imminet in judicio Criminali quàm Civili: unde contra illud maximè muniendæ erant personæ miserabiles. Delinquentes favore quidem digni non sunt: sunt tamen accusati, qui sæpe sunt innocentes.

390. Dubitatur XI. An dictum privilegium prosit etiam consortibus litis cum miserabili persona susceptæ, aut suscipiendæ. Affirmandum censeo cum Valasco *l. c. n. 29.* Caldas *in L. si curatorem C. de in integr. restitut. n. 9. v. Implorandum.* Covarr. *cit. c. 7. in fin.* Oliva *l. c. n. 15. arg. si inter plures 1. ff. De quib. rebus ad eund. judicem eatur.* dummodo causa sit individua: secùs, si dividua fuerit. Gloss. *in L. un. C. si in communi ead. caus.* Caldas *l. c. n. 25. v. adversarii*, aliíque.

391. Quæ hactenus dicta sunt, de Jure scripto procedunt, & in Hispanijs, ac Gallijs observantur. Aliud in S. R. Imperio consuetudine receptum est: nam ipsimet Principes ac Status in suis Provincijs, in quas Imperator hodie absolutam potestatem non habet, causas Viduarum ac Pupillorum cognoscunt, ac idcirco omisso medio & in prima instantia Viduis & Pupillis non decernuntur Processus in Camera, nisi in casu denegatæ justitiæ, teste Gaillio *cit. observ. 1. n. 40.* Herman. Vulteio *in cit. c. fin. n. 21.* Bocer. *de Jurisdict. c. 3. n. 95.* Carpz. *l. c. n. 14.* Nihil tamen est, ut iste monet *n. 15.* quod Status Imperij, in suis territorijs jura Imperatoris habentes, impediat, ut Constitutionem Constantini salubri-

lubriter practicare non possint: quod ait docere ipsam experientiam. Et quamvis præteritis Imperij Statibus in prima instantia (secluso casu negatæ justitiæ) adiri nequeat Imperator etiam à miserabilibus personis, non tamen excludendæ videntur à Principis territorialis supremo tribunali, si hoc, omisso inferiore & immediato, adire velint: nisi aliud alicubi consuetudine receptum sit. Cæterùm antequam ea, quæ de privilegio Fori à Jure Civili personis miserabilibus concesso in medium afferenda videbantur, claudam, notandum est, quod Maranta *p.* 3. *Prax. Aur. n. 76.* & Sperelli *cit. decision.* 156. *n.* 57. asserunt, in Foro æquè Seculari ac Ecclesiastico in dijudicandis hujusmodi personarum causis secundùm Statuta Juris Canonici procedi.

392. Uti verò Jus Civile, de quo hactenus, speciali favore dignos judicavit Pupillos & Viduas, maximè quoad ipsorum lites & causas judiciales: ita pariter ijsdem Jus Canonicum patrocinatur. Sic juxta *C. Ex tenore* 11.. & *C. Licet ex suscepto* 10. *de Foro compet.* Ecclesiasticus Judex Viduis, imò & alijs, jus dicit, si in illo administrando negligens fuerit Judex secularis. Quin Vidua oppressa & spoliata, interdicto *unde vi* & remedio *Recuperandæ* vel *Redintegrandæ* agere etiam contra laicum spoliatorem immediatè coram Judice Ecclesiastico potest omisso seculari, uti patet ex *C. Ex parte B.* 15. *de Foro Compet.* ubi Honorius III. Archiepiscopo committit causam spolij Castri Segrens ad instantiam Viduæ Reginæ Angliæ contra quemdam Nobilem spoliatorem. Et ita *ad cit. C.* 15. & *Can. Si quis de potentibus 24. q. 3. C. super quibusdam in fin. de V. S.* & *C. significantibus de Offic. Deleg.* tenent Innocent. Zabarell. Barbat. Anton. de Butr. Panorm. Joan. de Imola, ac alij Canonistæ, Natta *consil. 590. n. 10.* Roland. à Valle *L. 2. consil. 20. n. 11.* & *22.* ac communi omnium consensu receptum fatetur Covarr. *practic. qq. c. 6.* §. *Imò* & *in hoc*, quamvis ipse dissentiat, ac etiam à Vidua spoliata contra laicum adiri non posse existimet Judicem Ecclesiasticum, nisi post denegatam à Judice seculari justitiam. In casu *cit. C. Ex tenore* ait, maximam fuisse negligentiæ

tiæ ſuſpicionem in Judice ob potentiam adverſarij Viduam ſpoliantis. Verùm hoc divinare eſt: nec enim hujusmodi ſuſpicionis in textu reperitur veſtigium. Cùm enim Nobilis ille, qui ſpolium commiſerat, potens quidem eſſet, Vidua tamen ſpoliata eſſet Regina, veroſimile non eſt, ſuſpectos ipſi eſſe potuiſſe Judices ſeculares, aut arbitros. Quòd ſi ex eo, quòd ſpoliator erat Nobilis, ſeculares Judices meritò ſuſpecti erant, dicendum erit, eosdem ſemper ſuſpectos eſſe debere Viduis quantumvis ſublimi gradu poſitis, ſaltem ſi potens ſit adverſarius: imò alijs Viduis ſtatûs medij & infimi ſemper debere eſſe ſuſpectos, ſi agant contra ſpoliatorem paris ſtatûs, cùm juxta Covarr. meritò fuerint ſuſpecti, tametſi adverſarius, contra quem Regina egerat, eſſet ipsâ longè inferior. Nec obſtat, ut idem Covarr. exiſtimat, textus *C. Novit.* 13. *de Judic.* ubi Pontifex profitetur, ſe nolle turbare jurisdictionem laicorum, ſed jurisdictione Eccleſiaſtica in laicos uti velle duntaxat in caſibus à Jure permiſſis: nam inter permiſſos hujusmodi caſus (quos numero undecim refert Innocent. *in cit. C. Licet ex ſuſcepto* 10. *de Foro compet. n.* 3. tredecim Anton. de Butrio *ibid. n.* 15.) eſt ille, de quo modò agimus, quando videlicet Viduæ opprimuntur & ſpoliantur etiam à laicis; cùm harum defenſio à Deo ſit demandata Eccleſiæ. Unde Pontifex *in C. ſuper quibusdam* 26. *de V. S.* §. *Cùm autem* ad quæſita Comitis Tholoſani reſpondens inter alia ait, teneri ipſum Viduis, Pupillis, Orphanis, & miſerabilibus perſonis in judicio Eccleſiaſtico reſpondere. Demùm tertiò Vidua pauper, id eſt, ſi Viduitas & Paupertas concurrunt, habet electionem fori, & laicos ad tribunal Eccleſiaſticum trahere poteſt etiam in civilibus & profanis cauſis, tametſi ſpoliata non fuerit, & nulla Judicis ſecularis negligentia interveniat, uti communi conſenſu tradunt Interpretes *in cit. C. ſignificantibus* 38. *de Offic. & poteſt. Judic. Deleg.* Natta *conſil.* 590. *n.* 9. Cenedo *qq. Canonic. q.* 14. *n.* 4. Sperelli *cit. deciſ.* 156. *n.* 14. ac alij.

393. Secluſis tribus caſibus modò enarratis, non poterit Vidua, Pupillus, aut quæcunque alia miſerabilis perſona, contra laicum

cùm neglecto ipsius Judice competente laico agere coram Ecclesiastico, tametsi juxta dicta *n.* 378. *& seqq.* omisso inferiore laico mox possit adire laicum supremum. Neque si ipsa Vidua aliáve miserabilis persona judicio pulsatur coram Judice laico, causam avocare potest ad tribunal Ecclesiæ, tametsi sit pauper, uti notant Innocent. *in cit. C. significantibus n. 2.* Zabarella *n. 3. v. & in hoc quidam.* Panorm. *n. 6.* Barbat. *n. 15. v. & subdit.* Petr. Barbosa *in L. 1. part. 1. ff. Solut. matr. n. 49.* contra Paul. de Castro aliósque apud Oliva *p. 3. de Foro Eccles. q. 40. n. 27.* qui absolutè tenent, posse Viduas, tametsi non pauperes, adire etiam contra laicos Judicem Ecclesiasticum. Viciſſim Judicem secularem, neglecto Ecclesiastico, adire etiam contra laicos nequeunt in causis merè sacris, aut mixtis, in quibus fuerunt à Judice Ecclesiastico præventæ. *cit. C. Ex tenore* & *ibi* Glossa *V. Ecclesiasticum Judicem,* Panorm. *n. 6.* Anton. de Butr. *n. 5.* & *C. Ecclesia S. Mariæ de Constitut. C. Decernimus 2. de Judic. C. cùm sit generale 8. de Foro comp.*

## §. IV.

## *Quodnam sit Forum Competens Militum.*

### SUMMARIUM.

394. *Varia Militum privilegia recensentur.*
395. *Solus Magister Militiæ jus ipsis dicit.*
396. *Tam in quacunque causa criminali.*
397. *Quàm in civili.*
398. *Declaratur, quid sit tenendum, quando ante susceptam militiam crimen commiserunt.*

394. Milites varijs privilegijs gaudere notum est cùm ex *L. sed & Milites prin. ff. de Excusat. Tutor.* tum alijs obvijs juribus. Sic v. g. pro debito in castris contracto non conjiciuntur in carcerem; condemnati ultrà quàm facere possint, non tenentur;

regulariter non torquentur, nec pœnis plebejorum ſubjiciuntur; veterani immunitatem à muneribus perſonalibus habent; ſi ſunt filijfamilias, ſuum faciunt peculium caſtrenſe; neque iſtud fratribus ſuis conferre tenentur; nec ſi arrogantur, arrogantis faciunt; tempora præſcriptionis & petendæ reſtitutionis in integrum ijsdem non currunt, dum ſunt in caſtris; teſtamentum validè condunt absque conſuetis ſolemnitatibus; commilitonis hæreditatem injuſſu patris adire poſſunt &c. De quibus præter alios fusè Acac. Enenkel *tract. de privileg. Milit.* Bocerus *de Bello & Duello p. 1. c. 16. & ſeqq.* Vultejus *ad L. 6. C. de Jurisdict. omn. Judic. L ult. C. de Ratiocin.* & *L. un. C. in quib. cauſ. militantes fori præſcript. uti non poſſ.* Illis autem etiam hodie fruuntur milites, qui Principibus, Dominis, ac Civitatibus ad honeſta & licita bella ſe obſtrinxerunt, ac ad ſigna jurârunt, publica merentur ſtipendia, ſtatuta, leges, ac conſuetudines uſúsque militares obſervant. Gaudent, inquam, veterum militum privilegijs, præſertim ſi ſub Romano Imperatore alióve ſupremo Principe militant. Bald. *in L. 1. C. qui bonis cedere poſſ.* Cyn. & Salicet. *in L. 1. C. de jur. & facti ignorant.* Roman. *conſil. 506. circa init.* Weſenbec *p. 1. conſil. 17. n. 17.* Mynſing. *Decad. 5. reſponſ. 46. à n. 9.* Vaud. *L. 1. variar. qq. c. 55.* Zaſius *tract. de ſubſtitut. c. 5. v. Hæc, quæ dixi.* Sichard. *in rubr. C. de Teſtam. milit. n. 9.* Schneidevvin. *ad Tit. Inſtit. de Teſtam. milit. n. 8.* Gaill. *L. 2. obſerv. 118. n. 2.*

395. Inter alia Militum privilegia illud eſt, quòd habent Forum ſingulare, & ſolus Magiſter militum ipſis jus dicit. *L. Magiſteriæ 6. C. de Jurisdict. omn. Judic. L. penult. C. de Pactis,* & *L. ſi quis poſteaquam 7. ff. de Judic.* Ubi tamen diſtinctione opus eſt: nam ſi criminaliter accuſantur, coram ſolo Magiſtro Militum ſe ſiſtunt. *cit. L. Magiſteriæ C. de Jurisdict.* & *L. 2. C. de Offic. Præfect. milit.* niſi antè in jus vocati alterius fori eſſe cœpiſſent. *cit. L. 7. ff. de Judic.* Permittitur tamen incarceratio & cuſtodia Rectori Provinciæ, qui captos Magiſtro militum remittere tenetur. *L. 1.*

*L. 1. C. de Exhibitione reor. v. omnino.* Vultejus *ad cit. L. Magisteriæ C. de Jurisdict. n. 7. 8. & 14.* Quo tamen casu nullum Imperij meri actum exercet, cùm incarceratio ex causa criminali eo fine facta, ut captus alteri remittatur, inter actus meri Imperij neutiquam referatur. *arg. L. Defensores 7. C. de Defens. Civit. Novell. 15. c. 6. §. 1. L. Divus Pius ff. de Fugitiv. L. 1. prin. v. simili modo ff. quando appell.* Bart. *in L. 3. n. 8.* & Alexand. *n. 22. ff. de Jurisdict.*

396. Sed & inter ipsa crimina distinguendum hîc est: nam si crimen est militare, soli Magistro militum concessa est animadversio in delinquentem. Si non est militare, sed commune, ut vocant, rursus distinguitur: nam si enorme est, Rectoris Provinciæ est, cognoscere & punire; Magistri verò militum, si enorme non est. Ita distinguit Glossa *in cit. L. Magisteriæ*, quam DD. communiter sequuntur, Vincent. de Franchis *decision. 88.* Donell. *L. 17. Comment. c. 20.* De consuetudine verò hodierna Duces belli de omni militum suorum crimine cognoscere, testatur Boër. *de Custod. Clau. n. 29.* & hoc ipsum docet praxis in Romano Imperio. Et idcirco cit. Lex observatur indistinctè, nisi alibi & non in loco militiæ deliquerint. Locum tamen non habet, nisi quoad milites actu militantes. Vincent. de Franch. *cit. decis. 88. n. 6.* Franc. Vivius *decision. 254.*

397. Sed & quoad causas Civiles eâdem *L. Magisteriæ* & consuetudine indultum est, ut milites non nisi apud suos Duces conveniantur. Quo tamen privilegio non gaudent, si conveniantur ex causa functionum publicarum seu tributorum. *cit. L. un. C. in quib. caus. militant.* & *L. fin. C. Ubi quis de Curiali*: aut si per Provincias sociantur, id est, mercaturæ causâ societatem Imperatoris consensu contraxerint: aut si prædia conduxerint vel vel à Fisco vel alijs. *cit. L. fin.* & DD. *ibi.*

398. Quæstio tamen difficilis supereſt, quid sit tenendum de eo, qui postquam præventus jam fuit ab aliquo Judice, miles efficitur & forum mutat. Difficultas nascitur ex *cit. L. siquis po-*

*steaquam 7. ff. de Judic.* & *L. qui cum uno 4. §. 5. ff. de Re milit.* Hîc enim dicitur, quòd reus capitalis criminis, si miles voluntarius factus est, capite sit puniendus, nec remittendus eò, ubi reus postulatus fuit. Illâ verò statuitur, quòd si quis, posteaquam in jus vocatus est, miles vel alterius fori esse cœperit, ibi nihilominus respondere teneatur, ubi in jus vocatus est, nec præscriptionem fori opponere possit. Estque universim receptum, quòd *ubi acceptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet*, ut dicit Paulus *L. 30. ff. de Judic.* Nec satisfacit responsio Cuiacij, agi *cit. L. 7.* solùm de causa Civili, solùm de Criminali *cit. L. 4.* Nam juxta *L. Absentem ff. de Pœnis* valet argumentum à causa civili ad criminalem, & quod dicitur *cit. L. 7. & 30. ff. de Judic.* ac *L. Hos accusare §. hoc beneficio ff. de accusat.* præventum in causa debere eo in foro respondere, ubi præventus fuit, non obstante, quòd forum interim mutârit, æquè procedit de causa criminali quàm civili, ut notant Bartol. *in cit. L. Hos accusare n. 3.* & *L. Uranus ff. de Fidejussor. n. 12.* ac *L. 1. ff. de Pœn. n. 3.* ac alij: neque enim Leges inter has causas distinguunt. Æquè parùm satisfacit, quod ait Bartol. *cit. n. 3. in L. 1. ff. de Pœn.* & Angel. *in cit. L. 7. ff. de Judic. n. 4. in fin.* quòd in causa criminali Judex, qui prævenit jurisdictionem, possit militem condemnare, executio autem facienda sit per Magistratum militum: nam si Judex, qui prævenit, est competens ad condemnandum, pariter erit competens ad exequendum, ut patet ex *L. cùm quædam puella 19. ff. de Jurisdict.* Unde præplacet, quod cum Oldrado, Alberic. & Fulgos. ait Petr. Barbosa *in cit. L. 7. n. 166.* specialiter statutum fuisse *cit. L. 4. ff. de Re milit.* ut miles voluntarius à suo Duce puniretur, tametsi alibi ob crimen grave accusatus & citatus fuisset ante susceptam militiam: quia graviter delinquit contra *L. un. C. de Reis postulatis*, qui postulatus criminis, antequam ostendat suam innocentiam, ad honorem militiæ aspirat, & voluntarius miles efficitur. Unde è contrario colligunt DD. quòd is, qui non voluntarius miles effectus, sed coactus, & susceptâ jam militiâ crimen

non

non commisit, remittendus sit, utpote dictâ ratione cessante, ad Judicem, qui prævenit jurisdictionem. Quemadmodum si crimen committat, postquam jam factus est miles, de eo accusari coram Magistro militum potest, sicuti accusari in proprio domicilio posset, si miles non esset: cùm miles censeatur habere domicilium ibi, ubi meretur stipendia. *L. Municeps §. fin. ff. ad Municipal. cit. L. Magisteriæ C. de Jurisdict. omn. Judic.* Baldus *in L. 3. ff. de Offic. præsid. n. 3.* Barbosa *l. c. n. 170.*

# PARS IV.

# De Foro Extraordinario.

## CAPUT I.

## De Foro Prorogationis.

### §. I.

### *Quid sit Prorogatio & quotuplex.*

SUMMARIUM.

399. *Ordo doctrinæ servandus proponitur.*

400. *Prorogatio Jurisdictionis est ejusdem extensio ad personas, causam, tempus, & locum, in quas, & quando, ac ubi, jure aliàs non competit, consensu partium facta.*

401. *Quadruplex est Prorogatio Jurisdictionis.*

402. *Judici Delegato prorogari Jurisdictio non potest à persona ad personam. Nec Judici Ordinario à tempore ad tempus.*

403. *Tametsi terminus per legem non fuerit præfixus Jurisdictioni, sed solùm instantiæ. Et licèt partes Prorogationem juramento confirment.*

399. Juxta ordinem, quem suprà *n. 9.* servandum statui, hic de Foro Extraordinario agendum erit, postquam *P. 1.* de Foro in genere, *P. 2.* de Foro Ordinario Communi, ac *P. 3.* de Foro Ordinario Singulari, actum est. Extraordinarium autem Forum sortimur per *Prorogationem*, *Delegationem*, *Continentiam causarum*, ac *Reconventionem*: cùm qui his modis alicubi convenitur, stet coram Judice, qui Jure ordinario proprius & suus, saltem in hac causa vel loco aut tempore, non est, sed extra ordinem assumptus. Revocari huc etiam posset Feudum: sed quia per illud Forum acquiritur non absolutè ac universim, prout acquiritur modis modò enarratis, sed solùm in causa feudali; idcirco de illo commodiùs infrà *P. 5.* agetur, ubi exponetur, quænam causæ certum Forum, & reliquis non commune habeant.

400. Igitur initium faciendo à Prorogatione Jurisdictionis, cujus materia uti latissimè patet & intricata est, ut loquitur Petr. Barbosa *ad L. 1. ff. de Judic. art. 1. n. 1.* ita quotidiana, ut ait Marian. Socin. *in C. significásti de Foro comp. n. 7.* Describi Prorogatio potest, quòd sit *Extensio jurisdictionis ad personas, causam, tempus & locum, in quas & quando ac ubi Jure aliàs non competit, consensu earundem personarum facta. C. P. & G. 40. de Offic. & potest. Judic. Deleg. L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. L. 1. & 2. prin. & §. 1. ff. de Judic. L. si convenerit 18. ff. de Jurisdict.* Dicitur *Extensio*: ut enim alicui per consensum partium tribuatur jurisdictio, quam de Jure in ipsas, aut certè in hoc loco, vel causa, vel tempore non habet, necesse est, ut is jam antecedenter & aliunde aliquam jurisdictionem habeat. Hinc prorogari non potest jurisdictio illi, qui nullam unquam jurisdictionem habuit; aut habuit quidem, sed illa jam est finita; aut habet quidem etiamnum, sed non in hoc genere causæ, ut sequente §. dicetur.

401. Quadruplex porrò est Prorogatio jurisdictionis, uti patet ex ejusdem descriptione modò factâ. Nam vel fit de tempore ad tempus. *C. De causis 4. de Offic. & potest. Judic. Deleg. L. 2. §. Convenire V. sed si Judex ff. de Judic.* Vel de re ad rem, seu cau-

sa

sa ad causam. *C. cùm olim 32. de Offic. & potest. Judic. Deleg. L. De qua re §. 1. ff. de Judic.* Vel de persona ad personam. *C. 1. de Alienat. Judic. mut. caus. fact. L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. L. 1. & 2. ff. de Judic.* Vel de loco ad locum. *C. statum §. In nullo de Rescript. in 6.* Et licèt Glossa *in L. 1. C. de jurisdict. omn. Judic. & in cit. C. P. & G. V. prorogatio.* ac *L. 2. §. sed & si Judex ff. de Judic.* triplicem tantùm distinctionem ponat, omittendo prorogationem de loco ad locum, constat tamen ex *cit. c. statum*, etiam hanc agnoscendam esse. Nec è contrario necessaria est illa senaria divisio, quam facit Panorm. *in cit. c. P. & G. n. 12.* nimirùm de persona ad personam, de tempore ad tempus, de loco ad locum, de causa ad causam, de re ad rem, de casu ad casum: nam non apparet, quomodo hîc *res* & *casus* distinguantur à *causa*. Est præterea Prorogatio alia *Voluntaria*, alia *Necessaria*. Illa fit, cùm partes sponte consentiunt in Judicem non suum. *cit. L. 1. & 2. ff. de Judic. L. si convenerit. ff. de jurisdict. C. significásti de Foro Compet.* Necessaria est, quæ fit contra invitum, qualis est Reconventio. *L. si idem V. sed & si mutua. ff. de Jurisdict.* Verùm hæc propriè dicta Prorogatio non est. Ac idcirco eam paulò antè *n. 399.* cum communi DD. à Prorogatione distinxi.

402. Est autem inter dictas quatuor prorogandi rationes latum discrimen ante omnia notandum. Nam etsi Judici etiam Delegato, ut infrà dicetur, prorogari jurisdictio possit de causa ad causam, loco ad locum, tempore ad tempus; non tamen fieri ei potest à persona ad personam, sed tantùm Judici Ordinario, uti habetur *cit. C. P. & G. in fine*, & tradunt ibi Panor. Felin. ac alij Interpp. Barbosa *l. c. n. 204.* Menoch. *consil. 240. n. 54.* E contrario licèt Ordinario Judici prorogari jurisdictio possit à persona ad personam, à loco ad locum, à causa ad causam: fieri tamen nequit à tempore ad tempus. Vel enim loquimur de Judice perpetuam jurisdictionem, seu ad vitam habente? Et tunc locum non habet hæc prorogatio ad tempus à tempore, quia dum jurisdictionem semper habet, opus non est prorogatione. Vel loquimur de Judice temporario? Et tunc prorogatio cessat, ne

præ-

præjudicium fiat Succeſſori, & ne partes ſibi perpetuum Judicem contra Principis voluntatem conſtituere poſſint. Bald. *in L. is qui pro emptore. ff. de Uſucapion.* & *in L. ſi quis ex conſenſu C. de Epiſc. audient. n. 8.* Felin. *in cit. C. De cauſis de Offic. & poteſt. Judic. deleg. n. 4.* Covarr. *in C. quamvis Pactum de Pact. p. 2. §. 1. n. 4.* Paul. Caſtr. *in L. 2. §. proinde. ff. de Judic. n. 7.* Decius *in cit. C. de cauſis n. 3.* Petr. Barboſa *in L. 1. ff. de Judic. art. 2. n. 30.* cum communi aliorum. Ratio differentiæ eſt; quia Judici Delegato deſignatur tempus in favorem partium, cui renuntiare poſſunt. *L. penult. C. de Pact.* In Ordinaria verò Jurisdictione deſignatur tempus in publicum. *L. properandum C. de Judic.* Favori autem publico privatis conventionibus derogari non poteſt. *L. Jus publicum. ff. de Pactis.*

403. Quin prorogari à partibus jurisdictio Ordinario Judici nequit, etiamſi terminus per legem non ſit poſitus jurisdictioni, ſed ſolùm inſtantiæ, ut ex *cit. L. properandum* deducunt Bart. *ibi. n. 2.* ac communis Interpretum teſte Maranta *p. 2. de Ordine Judic. n. 42. v. quinta eſt, & p. 5. n. 24. & 25.* ac Gutierez *de Juramento confirmat. p. 3. c. 5. n. 5.* Quod verum eſt, licèt partes prorogationem juramento confirment: nam nihilominus Judex elapſo termino invalidè procedet, ut poſt Bart. Jaſon. ac alios *in cit. L. properandum* cum communi tradunt Vant. *de Nullit. ex defect. Ordin. Judic. n. 127.* Covarr. *cit. n. 4.* & Alciat. *in C. cùm contingat. de jurejur. n. 27. & 28.* quia partes, uti nec pactis ita nec juramentis præjudicare poſſunt favori publico, & recedere à Legis diſpoſitione ob bonum publicum principaliter latæ. Opinio Gutierez *l. c. à n. 7.* cum Imola & Felino refragantis eatenus ſuſtineri poteſt, ut vi ſui juramenti opponere non poſſint exceptionem peremptæ inſtantiæ; non verò, ut proceſſus & ſententia valeat. Non æquè facilè reijcienda videtur alia limitatio, quam faciunt idem Gutier. *l. c. n. 5.* Alexander *in cit. L. properandum*, ac communis aliorum apud Maranta *l. c. à n. 25.* aſſerens, poſſe prorogationem fieri, quoties cauſæ vel inſtantiæ brevior trienniô terminus

nus præfixus fuit Statuto aliquo, vel ab homine: eò quòd tunc non in favorem publicum, sed privatum litigantium præfixus censeatur. Idque maximè dicendum erit, si constat, quòd etiam ipsa lex in aliqua causa terminum statuerit principaliter in favorem litigantium: qualis casus habetur in Trident. *sess. 24. c. 20. de Refor.* ubi licèt statuatur, ut causæ omnes Ecclesiasticæ, tametsi Beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinarijs locorum agitentur, ac saltem intra biennium à die litis motæ terminentur: est tamen liberum partibus coram eodem pergere, vel Superiorem adire, ut cum communi DD. tradit August. Barbosa. *in cit. c. 20. Trident.*

## §. II.

## *Cui prorogari Jurisdictio possit.*

### SUMMARIUM.

404. *Jurisdictio illi tantùm prorogari potest, qui jam antecedenter aliquam habet.*
405. *Nec fieri potest prorogatio in tempus, quo Jurisdictio erit finita.*
406. *Nec prorogari potest nova species jurisdictionis.*
407. *Potest tamen fieri prorogatio à summa in inore ad majorem.*
408. *Jurisdictio in certas causas unitantùm concessa, prorogari alteri in easdem non potest.*
409. *Si Jurisdictio est limitata solùm quoad personas, non verò quoad causas, circa has prorogatio indistinctè admittitur.*

404. Prorogationem jurisdictionis Jure communi tam Civili, quàm Ecclesiastico, permissam esse, seu posse litigantes mutuo consensu relicto Judice suo competente alium adire, eique suam causam decidendam committere, notum est ex *L. Est receptum 14.* & *L. si convenerit 18. ff. de Jurisdict. L. 1. & 2. ff. de Judic. L. 1. C. de Jurisdict. omn Judic. C. Cum olim 32.* & *C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. deleg. C. Statum de Rescript. in 6. C. significásti 18. de Foro Compet.* Controversum duntaxat est, quibus

bus & quâ ratione, quò vim & effectum habeat, facienda sit. Dubium primò nascitur, cui prorogari Jurisdictio possit. Responsio ad hanc quæstionem patet ex ipsa Prorogationis definitione, videlicet illi tantùm prorogari jurisdictionem posse, qui jam antecedenter aliquam habet. Cùm enim Prorogatio sit extensio, supponitur jam præexistere, quod extendi possit. Hinc conventio inter Creditorem & Debitorem non valet, ut hic in casum non factæ solutionis ad præfixum diem, incarçerari possit propria auctoritate à Creditore, & ab eodem detineri in suis privatis ædibus: cùm citatio realis sit jurisdictionis. *L. un. C. de privat. carcer. inhibit.* Hinc pariter prorogatio & extensio temporis seu termini â Lege vel sententiâ præfixi locum non habet, quando is jam expiravit; sed solùm, quando nondum est finitus. *L. sed si manente 5. ff. de precar. L. si cùm dies ff. de Arbitr. L. 3. ff. de damno infect.* Ratio ulterior & intrinseca est: quia is, qui jurisdictionem nunquam habuit, vel jam non ampliùs habet, est privatus; privato autem per consensum privatorum Jurisdictio seu potestas judicandi tribui non potest. *L. privatorum. ff. de Jurisdict. L. penult. ff. de Judic.* Panorm. *in C. de causis de Offic. & potest. Judic. deleg. n. 7.* & Felin. *n. 4. v. 4.* Alexand. *in cit. L. ff. de damno infect.* Bald. *in L. si qui ex consensu C. de Episcop. audient. n. 8.* Boër. *decision. 294. n. 2.* Unde *cit. C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. deleg. L. 1. ff. de Judic.* & *L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic.* supponitur, debere præexistere & aliunde jam dari Jurisdictionem, quæ prorogatur.

405. Quin etiamsi quispiam nunc habeat Jurisdictionem, nihilominus prorogatio erit invalida, si nunc quidem fiat, attamen in tempus, quo fuerit finita: si quidem loquamur de Jurisdictione Ordinaria, ut patet ex dictis *n. 402.* tradúntque Bald. *l. c. n. 8. in fin.* Felin. *in cit. C. de causis de Offic. & potest. Judic. deleg. n. 4. v. quarta declaratio.* Quia Judicis Ordinarij potestas non respicit favorem horum vel illorum litigantium, sed publicum, ac idcirco si finita aliquando est, non poterit ab illis dari etiam

etiam tempore, quo ipsa adhuc durat, ad tempus, quo duratura non est, cùm aliquem actum tempore etiam habili referre in tempus inhabile, idem sit, ac illum facere tempore inhabili, uti notat Felin. *l. c.*

406. Sed neque sufficit habere quamcunque Jurisdictionem, sed requiritur insuper, ut is, cui fit prorogatio ab alienis subditis, Jurisdictionem in suos subditos habeat similem illi, quam alieni per suam prorogationem dare cupiunt. Cyn. & Bald. *in L. Testamenta omnia C. de Testament.* Panorm. *in cit. C. P. & G. n. 12.* & *in C. si diligenti de Foro compet. n. 30.* Felin. *in C. Cæterùm de Judic. n. 2.* Matth. de Afflict. *L. 1. Constit. rubr. 42. n. 32.* Aretin. *in L. 1. §. si quis simpliciter colum. penult. ff. de V. S.* Hinc habenti Jurisdictionem ad causas certæ tantùm speciei, prorogari ea nequit ad causas alterius speciei. *L. Solemus 61. §. Latruncu-lator. ff. de Judic.* Ex. gr. Jurisdictio in criminalibus prorogari non potest, eam in his causis non habenti: quia hæc non esset prorogatio, sed novæ Jurisdictionis collatio, quæ partium voluntate in criminalibus tribui nequit. *cit. L. 1. & 2. ff. de Judic. L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic.* & *ibi* Glossa *v. Judicibus*, Bartol. *in L. inter convenientes. ff. ad municipal. n. 1.* Paul. Castr. *in cit. L. 1. n. 20.* Panorm. *in C. si diligenti de Foro compet. n. 14.* Jul. Clarus *in Pract. Crimin. §. fin. q. 42.* ubi communem dicit. Neque de mixto ad merum Imperium, sed tantùm de mero ad merum, mixto ad mixtum, fit prorogatio. Bartolus & Panorm. *ll. cc.* Indidem deducitur, quòd si per statutum alicui concessa sit facultas de causis mercatorum cognoscendi, is virtute prorogationis cognoscere nequeat de causis non mercatorum, etiam subditorum. Cyn. *in L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. in fin.* Bald. *n. 2.* aliique *in L. Testamenta omnia C. de Testam.* Idémque Bald. *in C. de causis de Offic. & potest. Judic. deleg. n. 4.* Panorm. *in C. significâsti de Foro comp. n. 16.* & *in cit. C. P. & G. n. 15.* & *ibid.* Felin. *n. 12.* Jason *in L. Est receptum. ff. de Jurisdict. n. 7.* ac alij, quos refert Vantius *de Nullitat. tit. de Nullit. ex defectu Jurisdict. Ordin. n. 52.*

407. Illud tamen concedendum est, quòd Judici habenti limitatam jurisdictionem, & super certa tantùm summa ac quantitate cognoscenti, prorogari illa valeat ad summam majorem. Ita tradit Julian. *L. de qua re 74. §. 1. ff. de Judic. Judex*, inquit, *qui usque ad certam summam jussus est, etiam de re majore judicare potest, si inter litigatores conveniat.* Idémque tradit Paulus *L. 28. ff. ad municipal.* asserens: *inter convenientes* (seu consentientes) *& de re majori apud Magistratus municipales agetur.* Ratio est: quia quæ differunt solùm secundùm plus & minus, non differunt specie, sed solùm qualitate vel quantitate. *L. fin. ff. de Fundo instructo.*

408. E contrario quando Lex vel Statutum Jurisdictionem alicui concedit ad cognoscendum de certis causis, ademptâ aliis potestate de illis cognoscendi, alij Judices præter illum cognoscere de hisce causis etiam virtute prorogationis non possunt: quia prorogatio fieri nequit, quando est prohibita. *cit. L. 2. §. 2. ff. de Judic.* at quando ademptâ reliquis potestate uni tantùm in certas causas concessa est jurisdictio, eo ipso censetur esse negata prorogatio: cùm Legi prohibitivæ renunciare non possint partes. Gloss. *in L. A Divo Pio ff. de Ritu Nupt. & in L. 1. C. Ne fideiuss. dotium dentur.* Dec. *consil. 18. n. 5.* Bald. *in L. 1. C. Ne de statu defunct. n. 1. & in L. cùm eorum C. de Sentent. & interlocut.* Illi tamen, cui soli concessa est jurisdictio in certas causas, prorogari ea potest etiam in alias. *L. non quidem 1. C. de Jurisdict. omn. Judic.* dummodo in alias non sit adempta, & duntaxat in certas illas concessa. *L. 3. §. cùm Titio. ff. de Adimen. Legat. L. Rationes junct. Gloss. C. de Probation.*

409. Ex dictis consequens est, quòd si Jurisdictio sit limitata solùm quoad personas, non autem quoad causas, indistinctè quoad causas admittenda sit prorogatio. Patet ex *L. si per errorem junct. Gloss. 1. ff. de Jurisdict. & cit. L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic.* vi cujus indistinctè permittitur, ut prorogare jurisdictionem Procuratori Cæsaris possint etiam illi, qui controversias cum fisco

sco non habent: quia licèt per se ejus jurisdictio se solùm extendat ad personas eorum, qui cum fisco controversias habent, non tamen limitata est ad certas causas. Ratio ulterior est: quia prorogatio aliàs nunquam esset licita, quia jurisdictio semper est contracta & limitata ad personas subditorum. *C. 2. de Constitut. in 6.* & *L. fin. ff. de Jurisdict.* Igitur tunc solùm non est permissa prorogatio, quando restricta alicujus Judicis Jurisdictio est quoad causas, v. g. si Jurisdictionem, ut diximus, criminalem non habeat, & litigantes hanc illi prorogare vellent; aut illi, qui Judex datus est solis mercatoribus quoad ipsorum commercia. In hoc enim casu non tantùm quoad personas, sed etiam quoad causas limitatam Jurisdictionem haberet.

## §. III.

## *Qui prorogare Jurisdictionem possint.*

### SUMMARIUM.

410. *Prorogare Jurisdictionem Judicis incompetentis possunt omnes, qui habent personam standi in judicio.*

411. *Procurator habens speciale mandatum, aut generale cum libera potestate, potest prorogare Jurisdictionem.*

412. *Clerici in se prorogare Jurisdictionem Judici laico nequeunt etiam cum sui Episcopi licentia: absque hac neque Judici Ecclesiastico.*

413. & 414. *Refellitur cavillum Cuiacij ac aliorum.*

415. *Non obstante prorogatione Clerici, processus est nullus. Eadem est ratio de prorogatione, quam faciunt Exempti, seu summæ Sedi immediatè subjecti.*

416. *Studiosos æquè, ac Clericos, non posse prorogare Jurisdictionem, censent aliqui.*

417. *Contrarium de Jure verius est.*

510. Jurisdictionem Judicis non competentis prorogare possunt omnes, qui habent personam standi in judicio. Non Pupilli

pilli sine tutore, non Minores & Prodigi absque curatore. Non Furiosi aut Servi. *L.* 1. & 2. *C. qui legitim. person. standi in Judic. hab. L.* 3. *C. de in integ. restitut.* §. *Item inviti Institut. de Curator. L.* 4. *ff. de Auctorit. præstand. L. In negotijs* 5. *ff. de R. J. L. Quoties* 13. *ff. si quis caution. Judic. sistendi caus. fact. non obtemp. L. Servus* 6. & *L.* 7. *C. de Judic.* Dubium tamen est, an non valeat prorogatio à pupillo sine auctoritate tutoris, vel minore 25. annis sine auctoritate curatoris facta, si apparet, conditionem ipsorum inde redditam esse meliorem. Affirmant valere, saltem quoad minorennem, Baldus *in L.* 1. *C. de Jurisdict. omn. Judic.* & Felin. *in C. P. & G.* 40. *de Offic. & potest. Judic. deleg. n.* 10. Negant Vultejus *in cit. L.* 1. *n.* 113. & Bocer. *de Jurisdict. c.* 7. *n.* 5. quia pupillus ne quidem lucrosam hæreditatem adire potest absque tutoris auctoritate, ne ullum omnino damnum habeat. §. *Neque tamen Instit. de Auctor. tutor.* Neque minorennis compromittere in arbitrium sine suo curatore potest. *L.* 3. *prin. ff. de receptis, qui arbitrium receper.* Hæc posterior opinio præferenda videtur. Neque ei obest textus *L. Non eò minùs* 14. *C. de Procurator.* ubi sententia lata pro fœmina minùs legitimè constitutum procuratorem habente pronuntiatur valida, & ratio additur: *minoribus enim ætas in damnis subvenire, non rebus prosperè gestis obesse consuevit.* Non, inquam, hæc obsunt: quia supponitur ibidem, quòd tutorum & curatorum auctoritas & consensus in constituendo litis procuratore desideretur. Ergo eadem auctoritas requiritur in eligendo Judice. E contrario de Tutore & Curatore dicendum est, posse ipsos in causa pupilli & minorennis prorogare jurisdictionem: quia actorem litis constituere possunt. *L. Neque tutores* 11. *C. de Procurator.* & loco domini habetur Tutor & Curator. *L. qui fundum* 7. §. *si tutor. ff. pro emptor. L. interdum* 56. §. *qui tutelam ff. de Furt. L. Tutor, qui tutelam* 27. *ff. de Administrat. tutor. L. ad ea* 157. *prin. ff. de R. J.*

411. Circa Procuratores, an prorogare jurisdictionem possint, distinguendum est. Possunt absque dubio, si speciale ad hoc man-

mandatum habent. *C. 4. §. ult. de Procurator. in 6. L. un. C. Etiam per procuratorem causam in integr. rest. agi posse.* Possunt item Procuratores generales cum libera potestate & administratione constituti. *cit. C. 4. & 5. de Procurator. in 6. L. si Procurator 10. C. eod. L. Creditor 60. §. Lucius. ff. Mandati. L. Procurator 58. & L. seq. ff. de Procurator. L. Quâ ratione 9. §. Nihil autem ff. de Acquir. rer. domin. L. illud 25. §. fin. & L. seq. prin. ff. de Minorib.* Si verò generale quidem mandatum habeant, sed absque libera, prorogationem facere nequeunt. Ita omnes DD. teste Felino *l. c.* Valeret tamen facta ab hujusmodi Procuratore, sciente & patiente domino. Felin. *l. c. & in C. cùm olim 32. de Offic. & potest. Judic. deleg.*

412. Clerici jurisdictionem Judici laico non tantùm in causis spiritualibus, sed etiam in profanis, sive criminales sint sive civiles, prorogare nequeunt. Ita apertè dicitur *C. si diligenti 12. de Foro compet.* Neque valebit prorogatio, tametsi juramentum addiderint, ut dicitur *cit. C. 12. in fin.* Et licèt testator jubeat Clericum hæredem, vel legatarium coram laico respondere. Bald. *in L. 2. C. ut in possess. legat.* Ripa *in L. Nemo potest. ff. de Legat. 1. n. 118.* Dec. *consil. 150. n. 4.* Patet ratio: quia sicut ipse Clericus non potest favori publico & privilegio toti Statui ac Ordini Clericali concesso renuntiare, ut discurrit Pontifex *cit. c.* ita nec testator. Quin etiam Ecclesiastico Judici non suo Clerici prorogare jurisdictionem non possunt, nisi cum consensu proprij Ordinarij. Ita statuitur *C. significásti 18. de Foro Compet.* Et ne quidem Archiepiscopo illius Suffraganei, sub quo est Clericus, prorogare hic jurisdictionem in se potest, uti habetur *C. Romana 1. prin. eod. in 6.* Ac etiam in hoc casu non valebit prorogatio, tametsi juramentum fuerit adjectum. Gloss. & DD. *in cit. C. 18.* Quia juramentum contra SS. Canones ac universim contra Leges prohibentes emissum vim obligandi non habet, & invalidum est: quia est de re illicita. Et semper in juramentis auctoritas Superioris excepta censetur. *C. Constitutis de Rescript.*

ubi

ubi Gloſſa & DD. Itaque per Jus Canonicum quoad prorogationem Clericorum correcta & abrogata eſt *L. 51. C. de Epiſcop. & Cleric.* & *L. 29. C. de Pactis*, ubi Juſtinianus decernit, non licere ei adversùs ſua pacta venire, qui promiſit, ſe non uſurum præſcriptione fori propter Sacerdotij prærogativam. Imò abrogatione harum Legum opus non fuit, cùm nunquam valuerint, utpote de Clericis à Principe ſeculari latæ.

413. Contra has deciſiones Pontificias irreverenter & temerariè inſurgit Cuiacius *in C. 1. & 12. de Foro Compet.* quamvis alioqui, ut loquitur Vincent. Gravin. *Libro de Ortu & Progreſſu Jur. Civil. c. 180.* Religionis Romanæ tenaciſſimus, impatiénsque adeò rerum novarum, ut de rebus ad Religionem pertinentibus (tempore illo, quo Calviniſmus in Gallijs graſſari cœpit) rogatus, quæſtionem ad Eccleſiæ judicium remitteret his verbis: *Nihil hoc ad edictum prætoris.* Ad *cit. C. 1. de Foro Compet.* inquit Cuiacius: *Quod fit ex conſenſu Epiſcopi, & ex conſenſu utriusque partis permiſſa cognitione laico, cur non erit ratum & firmum? Cur hoc invideas laicis? an illis deterior mens, quàm Eccleſiaſticis?* Et *ad C. 12. eod.* ſic: *Ratio, quæ movit Innocentium Pontificem ad hoc decernendum, quod antè nemo alius Pontifex decreverat, hæc eſt, quòd Juri publico pactis privatorum derogari non poſſit, quæ eſt vetus regula Juris Civilis. Quæ tamen ratio hac in re fucus eſt & color potiùs, quàm ratio vera, quia initio contractûs Clericus renuntiando præſcriptioni fori Juri publico non derogat, júsve publicum non mutat, quo Clericis data eſt præſcriptio Fori Eccleſiaſtici, ſed proprium jus & privatum &c.* Rapuerunt hoc verbum ex ore Cuiacij, avidéque ejus opinionem contra Pontificem amplexi ſunt Bocerus *de Jurisdict. c. 7. n. 10. & 11.* Bachovius *diſp. 1. de Action. theſi 28.* Wiſenbach *diſp. 6. in Pandect. theſi 38.* Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. c. 22. à n. 16.* Thom. Michaël *de Jurisdict. theſi 148.* Ummius *diſp. 4. ad proceſſ. judic. theſi 17. n. 91.* Vultejus *in L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 125.* ubi addit, rationes, ob quas Pontifices motos vulgo putent DD. cur ejusmodi prorogationem Clericis adimerent,

rent, tam esse jejunas, ut ipsos etiam Interpretes earum puduerit. Verùm adduci debuêre Interpretes, quos earum puduerit, ac cur pudere debuerit. Absque dubio cavillatores Juris Pontificij non puduissent decisionum illarum & rationis adductæ, si è calamo Ulpiani Christianorum infensissimi hostis alteriúsve Jurisconsulti Ethnici prodijssent. Certè Juris publici est, Clericos non esse judicandos à laicis, ídque non tam in favorem singulorum Clericorum, quàm ob reverentiam Statûs Clericalis, naturâ suâ altioris Statu laicali, ut patet ex iis, quæ dixi *n.* 230. ac idcirco Canones & Leges, quibus hæc exemptio Ordini & Statui Clericali concessa est, respectu Judicum & singulorum Clericorum habet rationem Legis obligatoriæ & prohibitoriæ, ita ut illi judicare Clericorum neminem, nisi in casibus exceptis, possint, nec isti illis judicandos se submittere. Quando autem ex causa publica alicui Judici soli est concessa potestas de his illísve causis cognoscendi, & alijs adempta, notum est ex communi DD. nemine, quem sciam, refragante, non posse prorogari jurisdictionem. Notum pariter est ex dictis *n.* 406. non posse Judici prorogari jurisdictionem ejus generis, quam is non habet, v. g. criminalem, si criminalem non habet; aut feudalem, si hanc non habet, id est, si non est Feudi Dominus, vel inter Pares Curiæ. Pariter ergo jurisdictio in Clericos, utpote quæ spiritualis est, prorogari Judici laico nequit, utpote quam iste non habet, nec habere potest, nisi ex concessione SS. Pontificis. Nulla proinde erat ratio illam Innocentij Pontificis rationem criminandi: cùm ipsi, qui eam impugnant, eam in alijs casibus admittant.

414. Verùm quidquid sit de ratione, quâ Pontifex ad negandam Clericis prorogationem jurisdictionis motus fuit, certum est, prohibitionem hanc fieri potuisse, sicut laicis fieri posset ab Imperatore. Modò concessa quidem est Legibus Cæsareis: at solùm subditis Imperij, iísque, qui Legibus & Jurisdictioni seculari sunt subjecti; his autem Clerici subjecti non sunt. Videri possunt ea, quæ dixi *àn. 216.*

415. Ex dictis consequens est I. quòd si Clericus alieni Episcopi Jurisdictioni absque licentia proprij, aut etiam cum hujus licentia laico se subijciat, processus ex defectu jurisdictionis sit nullus; cùm Judex alienus eam per se non habeat, nec accipere à prorogante possit. Quin Panorm. *in cit. C. significâsti de Foro Compet. n.* 21. Felin. *ibid. n* 5. aliíque contra Gloss. tenent, nec per ratihabitionem proprij Episcopi subsequentem convalitura acta alieni Episcopi. Consequens est II. quòd exempti seu immediatè subjecti SS. Pontifici absque hujus licentia non possint prorogare Jurisdictionem Episcopo, in cujus Diœcesi sunt, aut cum hujus licentia alieno. Joan. Andr. & Felin. *in reg. scienti in 6.* Panor. *l. c. n.* 10. ac communis aliorum, teste Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 4. n.* 43. Quod tamen intelligendum est solùm de Foro contentioso. Nam in forò Pœnitentiæ Sacramenti ad accipiendam absolutionem à peccatis, & in actibus alijs Jurisdictionis voluntariæ, v. g. ad petendam dispensationem in votis, lege jejunij &c. accedere possunt exempti ad Episcopum Diœcesanum, aut cum hujus licentia & potestate delegata ad alium, ut præter alios docent Henriq. *L. 7. c. 25. n. 2. & L. 14. c. ult. in fin.* Avila *p. 2. de Censur. c. 7. disp. 1. dub. 6. concluſ. 2.* Molina *de Just. tr. 3. disp. 61.* Silvest. *V. Absolutio q. 5. n.* 2. Laym. *in C. 40. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 3.* Sanchez *L. 4. in Decalog. c. 39. n.* 32 cum Suarez, aliísque compluribus, quos ibi refert. Cum licentia tamen sui Prælati, aut etiam sine hac, si eam irrationabiliter & injustè neget.

416. Quod de Clericis modò dictum est, de Studiosis pariter statuunt quidam DD. intérque hos Scipio Gentilis *L. 2. de Jurisdict. c.* 17. Mendo *L.* 3. *de Jure Academico q. 6. n. 46.* & König *ad L. 2. Decretal. tit.* 2. *n.* 71. eos videlicet nec expresè nec tacitè (exceptâ administrationis causâ) ratione delicti, loci, aut rei, posse foro renuntiare, ac alieno Judici validè se submittere. Cùm privilegium fori universo Ordini Studiosorum, non singulis sit concessum, & in honorem Litterarum & Universitatum: eo ferè modo, quo dictum est de Clericis, eorum privilegium non singu-

lis

lis eorum, sed toti Statui & Ordini Clericali, inque ejus honorem ac reverentiam concessum esse. Nec huic sententiæ derogari aiunt per *cit. L. 51. C. de Episc. & Cleric.* & *L. 29. C. de Pactis*, aliáque Jura, quibus concessum singulis est, suo foro renuntiare: hoc enim solùm procedere, si forum favori partium, non honori Judicum attributum sit, ut observant Vultejus *in L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 168.* Gaill. *L. 1. observ. 40. n. 9.* ac passim alij. Addit Mendo *l. c. n. 47.* nec ipsum Rectorem & Magistratum Academicum consentire posse renuntiationi fori: tum ob præjudicium inde nasciturum Statui Academiæ & Studiosorum; tum quia cùm ipse sit Judex privativè in causis Studiosorum, eique concessa fuerit in illos jurisdictio, ita ut alijs Judicibus fuerit adempta, nequit ipse per suum consensum efficere, ut alij Judices eâ jurisdictione gaudeant, quæ ipsis non est concessa ab Imperatoribus, à quibus omnis potestas in Judices inferiores est derivata.

417. Verùm hæ rationes non convincunt: tametsi enim concederetur, jurisdictionem in Studiosos soli Academiæ, & Episcopo, ac Principi concessam, ac ademptam esse alijs, non tamen propterea partibus, in quarum favorem id concessum est, est vetitum alteri Judici prorogare jurisdictionem, ut cum Matth. de Afflict. Salicet. ac alijs tenet ac fusè probat Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 4. à n. 60.* Quòd verò privilegium Fori Academici non in favorem singulorum Professorum & Studiosorum concessum fuerit, sed potiùs universo ipsorum Statui & Academiæ, nec ex *Auth. Habitâ C. Ne filius pro patre*, nec aliunde evincitur. Hinc spectato Jure communi posse Studiosos prorogare Judici non suo jurisdictionem cum communi DD. tradunt Pacius *in cit. Auth. Habitâ c. 9. n. 10.* Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. c. 22. n. 36.* Bocer. *de Jurisdict. c. 7. n. 14.* Hilliger. *ad Donell. L. 17. c. 20. lit. K.* Dixi *spectato Jure communi*: nam de consuetudine non posse Studiosos declinare forum Academiæ & alterius jurisdictioni se submittere, observant Coler. *decision. 296.* Matth. Stephani & Hilliger. *ll. cc.* Vultejus *ad L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 128.* & *n. 168.* ac alij.

## §. IV.

## *Qualis consensus partium ad prorogandam Jurisdictionem requiratur.*

### SUMMARIUM.

418. *Consensus litigantium vel expressus vel tacitus ad prorogandam jurisdictionem necessarius est.*
419. *Tacitus inducitur per hoc, quòd Reus ante litis contestationem non opponit exceptionem Fori declinatoriam.*
420. *Per solum partium consensum non fit immediatè prorogatio; sed per hoc, quòd Judicem incompetentem adeunt, séque ejus jurisdictioni submittunt.*
421. *Non solâ litis contestatione, sed actibus quoque eam antecedentibus fit prorogatio.*
422. *Ad prorogationem à loco ad locum requiritur consensus expressus, si fit Judici Delegato: secùs, si Ordinario.*
423. *Neque Ordinario neque Delegato Judici prorogari jurisdictio ad alienum territorium potest absque consensu Judicis territorialis.*
424. *Non fit prorogatio per litis contestationem aliúmve actum, quem litigans exercet coram Judice alieno, putans esse suum.*
425. *Nisi erret errore Juris, sítque peritus & doctus.*
426. *Aut etiam indoctus ex errore Juris adeat Judicem Ordinarium, à cujus jurisdictione peculiari privilegio est exemptus.*
427. *Prorogatio gravi metu extorta invalida est.*
428. *Uti etiam, si pars protestetur, se non consentire in hunc Judicem, tametsi coram ipso ponat actum, quo tacitè inducitur prorogatio.*
429. *Tacitè non prorogat jurisdictionem absens & contumax, qui nec per se nec per procuratorem comparet in judicio.*
430. *Ad prorogandam jurisdictionem non sufficit sola taciturnitas & patientia.*

418.

418. In omni prorogatione jurisdictionis voluntaria, de qua modò agimus, consensum litigantium esse necessarium, constat cùm ex *L. 1. & 2. ff. de Judic. L. si per errorem ff. de Jurisdict. & C. de causis in fin. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* tum ex eo, quòd voluntaria est: qualis non foret, si jurisdictio ab alieno Judice in invitos exerceri posset. Igitur quæstio duntaxat est, sufficiátne consensus tacitus, an requiratur expressus. Sufficere tacitum in prorogatione de persona in personam, & de causa ad causam, statuendum est ex *L. 2. prin. & §. Convenire 1. ff. de Judic. junct. L. cùm quid suprà ff. si certum petat. ac C. Cùm olim 32. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Panorm. *ibid. n. 7.* ac *in C. P. & G. de Foro comp. n. 20.* Imola *ibid. n. 56.* Marian. Socin. *in C. significásti n. 37.* Felin. *ibid. n. 5.* Bartol. *in L. 1. ff. de Judic. in fin.* Parisius *L. 4. consil. 15. n. 4.* Petr. Barbosa *in cit. L. 1. art. 2. n. 7. & art. 3. n. 4.* cum communi aliorum. Idémque tenendum est de prorogatione à tempore ad tempus. *cit. L. 2. §. 2. ff. de Judic. C. de causis. 4. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* ac cit. DD. Quoties enim Lex requirit consensum, æquè de tacito ac expresso intelligenda est. *cit. L. cùm quid ff. si certum pet. & ibi* DD. Bartol. *in L. fin. §. Necessitate C. de bonis, quæ liber. n. 20.* Barbosa *cit. art. 2. n. 8. & in L. 2. §. fin. ff. Solut. matrim. n. 17.*

419. Inducitur autem tacitus ad prorogationem jurisdictionis consensus per hoc, quòd Reus conventus ante litis contestationem non opponit Declinatoriam Fori, sed Dilatoriam vel Peremptoriam. *L. sed & si suscepit prin. ff. de Judic. C. inter Monasterium 20. de Sent. & re judic. & ibi* Felin. *n. 4.* Panorm. *in C. P. & G. de Foro comp. n. 20.* Bartol. & Dec. *in L. si convenerit ff. de Jurisdict.* Bart. *in L. quidam consulebat ff. de Re Judic.* Marant. *de Ord. Judic. p. 6. tit. de Exception. n. 1. & 4.* Idémque est, si aliquem actum fecit in judicio etiam ante litis contestationem, quo in Judicem consentire visus sit, velut si satisdet de judicio sisti, aut judicato solvendo: aut si coram Judice incompetente actorem reconveniat. cit. DD. & Bald. *in Auth. Et consequenter C. de Sentent.*

*& interlocut.* Maranta. *l. c. p. 4. distinct. 12. n. 17.* Vant. *de Nullitat. tit. quib. modis sent. null. n. 80.* aut Reus dicat, non esse procedendum absque libello, Actor verò contendat, libello opus non esse. Imola *in L. quidam consulebat ff. de Judic. n. 40.* ubi ait, hoc esse etiam ex mente Bartoli, atque ita intelligendum esse textum *L. non videtur ff. eod.* Menoch. *L. 2. præsumpt. 19. per tot.* Dixi: *etiam ante litis contestationem.* Nam per litis contestationem indubitanter prorogatio jurisdictionis tacitè inducitur, omníque exceptioni declinatoriæ fori aditus præcluditur, juxta dicta *n. 77. & seqq.*

420. Quod modò dixi, consensum litigantium ad prorogationem esse necessarium, non ita accipiendum est, quasi per eum illa immediatè & formaliter fiat. Constat enim, adeundum Judicem, cui prorogare jurisdictionem volunt, & ejus cognitioni ac decisioni controversiam esse subijciendam: nam prorogatio est subjectio, quia Judici non suo se judicandos subijciunt, ut patet ex *L. 1. ff. de Judic.* Hæc autem non fit, antequam ille adeatur, & causa decidenda offeratur, ac ille vel consentiat, vel saltem non contradicat, & partes reijciat, juxta ea, quæ infrà dicuntur *n. 434.* Igitur ille partium consensus, antequam Judicem adeant & se judicandas offerant, id solùm operatur, ut neutra illarum sine alterius consensu resilire possit, sed teneatur illum adire, & Jurisdictionem prorogare. An hanc obligationem producat solum pactum nudum de adeundo alieno Judice, ita ut post illud neutri litigantium licitum sit pœnitere, & invito altero resilire, dictum est suprà *n. 81.*

421. Illud verò, quod modò dicebam *n. 418.* prorogationem & subjectionem fieri etiam per quosdam actus ante litis contestationem coram Judice incompetente à litigantibus exercitos, non extra omnem controversiam est. Nam sola litis contestatione prorogationem induci asserunt Glossa *1. in L. 1. ff. de Judic. prin.* & ibid. Albert. *n. 2.* Bald. *lectur. 2. n. 4.* item Gloss. 2. *in L. si convenerit. ff. de Jurisdict.* Gloss. *fin. in L. si per errorem. ff. eod.* eséque

que receptam opinionem asserit Fulgos. *in L.* 1. *C. de Jurisdict. n.* 2. & *in L. sed etsi susceperit ff. de Judic. n.* 1. Idémque tenet Marian. Socin. *in C. significásti 18. de Foro Compet. n.* 47. ac latè confirmat Corneus *L.* 2. *consil.* 209. *n.* 2. Verùm non est recedendum à doctrina, quam tenui *cit. n.* 418. ac receptam esse affirmat Felin. *in C.* 1. *de Judic. n.* 6. & *ibid.* Ripa *n.* 52. Ratio est: quia *cit. L.* 1. & *L.* 2. *ff. de Judic.* ac *L. si convenerit* 18. *ff. de Jurisdict.* ad prorogationem & subjectionem aliud non requiritur, quàm ut partes in alienum Judicem consentiant coram ipso. Et *L. sed & si suscepit* 52. *ff. de Judic.* ad renuntiandum fori exceptioni, & consequenter ad prorogandam jurisdictionem, plus non requiritur, quàm ut Reus coram Judice alieno utatur aliqua defensione. Hæc autem fieri possunt etiam ante litem contestatam.

422. Alia insuper controversia agitatur inter DD. circa prorogationem à loco ad locum: utrùm videlicet ad hanc requiratur consensus partium expressus, an verò sufficiat tacitus. Ut Judici delegato prorogetur jurisdictio extra Diœcesin aliam ac diversam ab ea, in qua jurisdictionem concessit delegans, requiri expressum constat ex *C. statutum* 11. §. *in nullo* 3. *de Rescript. in* 6. Requiri pariter expressum quoad Ordinarium Judicem, ad hoc videlicet, ut extra suum territorium jus dicat patribus, tenent Angelus *in L. Quæro ff. de Solution.* Paul. Castr. *in L. fin. ff. de Jurisdict. n.* 8. Francus *in cit.* §. *in nullo*, ac alii. Sufficere Ordinario consensum litigantium tacitum, affirmant Alexand. *in cit. L. fin. ff. de Jurisdict.* Imola *in cit. L. quæro.* Archidiacon. & Joan. Andr. *in C. ut litigantes de Offic. Ordin.* Hæc opinio mihi videtur probabilior. Nam ex una parte jurisdictio Delegata est odiosa. *C.* 1. *de Offic. & potest. Judic. Delegati*, ac idcirco, quæ circa eam statuta sunt, restringi debent; ex altera verò ad prorogationem per sè sufficit consensus partium tacitus, nec quoad Judicem Ordinarium, etiamsi agatur de prorogatione à loco ad locum, ullibi requiritur expressus. Neque obstat, quem primæ opinionis Auctores

ctores producunt, textus *L. fin. C. si à non compet. Judic.* Quia ibi non agitur de prorogatione, sed tantùm dicitur, sententiam Judicis non competentis esse nullam, si videlicet lata est contra eum, qui jurisdictionem ipsi non prorogavit, aut prorogare non potuit. Illud verum est, non posse Judici etiam Ordinario ultra ipsius territorium prorogari Jurisdictionem absque consensu Judicis illius alieni, in cujus territorio Jurisdictio prorogata exercenda foret: quia sic violaretur ejus territorium; ejúsque juri præjudicare per suam prorogationem partes nequeunt: si quidem agamus de Jurisdictione contentiosa, aut etiam de voluntaria, cujus exercitium cognitionem judicialem requireret. Videantur ea, quæ dixi *n. 59. & seqq.*

423. Aliud discrimen inter Delegatum & Ordinarium Judicem quoad prorogationem Jurisdictionis afferunt Panor. *in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 14.* Paul. Castr. *L. 1. consil. 203. n. 3.* Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 2. n. 11.* ac alij. Judex, inquiunt, Ordinarius non potest in alieno territorio exercere Jurisdictionem, etiam ex consensu partium, sine consensu Judicis alieni illius territorij: potest verò absque hoc consensu Judex Delegatus. Verùm non apparet, quo Jure vel ratione hoc discrimen nitatur. Vel enim Judex est delegatus à SS. Pontifice, & extra Diœcesin, in qua sunt litigantes, quibus jussus est jus dicere, hoc dicere ijsdem vult in aliena Diœcesi? Et tunc fatendum est, quòd in aliena Diœcesi dicere illud possit consentientibus partibus: quia hac ratione non usurpat Jurisdictionem extra territorium delegantis, cùm hic in omnibus Diœcesibus Jurisdictionem habeat. Idem est dicendum de alterius summi Principis Delegato: poterit enim iste in toto Regno eam ex consensu partium exercere. Idem de Delegato alterius Principis non supremi, diversa in suo territorio dicasteria & tribunalia habentis. Quia dummodo in hujusmodi delegantium territorio Jurisdictionem exerceat delegatus, eam jam non exercet extra limites Jurisdictionis, quam habet delegans. Vel loquimur de Delegato v. g. Episcopi

scopi, aut Regis, alteriúsve Principis, extra cujus Diœcesin, Regnum, aut Principatum ille vult exercere jurisdictionem? Et dicendum est, eam æquè parùm, ac ab Ordinario, exerceri absque consensu Judicis alieni illius territorij posse. Cùm enim Delegatus repræsentet personam delegantis *C. sanè de Offic. & potest. Judic. Deleg.* idcirco non potest absque dicto Judicis alieni consensu eam exercere, quia nec ipse delegans id potest, ut constat ex dictis *n.* 30. *& seqq.* Nullum itaque discrimen hîc constituendum est inter Judicem Ordinarium & Delegatum: sicut enim ille extra suum territorium jurisdictionem exercere non potest, ita nec iste extra territorium delegantis.

424. Ex dictis infertur I. quòd prorogatio locum non habeat, si pars vel utraque vel alterutra erret, litem contestans coram Judice alieno, quem putat esse suum. Unde in tali casu acta & processus erunt invalida. *L. si per errorem 15. ff. de Jurisdict. L. 2. ff. de Judic.* Consensus enim in errante non datur, & *non videntur, qui errant, consentire. L. Nihil consensui 116. ff. de R. J. cit. L. 15. & 2. L. 57. de Obligat. L. 9. C. de Jur. & facti ignor.* Idque, si loquamur de errore facti, constat inter omnes DD. & de hoc saltem errore prædicta Jura procedunt. Errorem verò Juris, v.g. si Religiosus exemptus existimet, se coram Episcopo conveniri posse, non obesse prorogationi, tradunt Andr. de Isernia *L. 1. Constitut. Regni tit. 38. §. 1.* & Matth. de Afflict. *L. 1. Constit. rubr. 36. ad fin.* Verùm contrarium tenent reliqui DD. ferè omnes cum Bart. *in cit. L. si per errorem n. 2. & 3.* & Paul. Castrens. *n. 2.* Jason. *n.* 3. Innocent. *ad C. ad petitionem de Accusat.* Felin. *ibid. col. 6. n. 6.* Panorm. *in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Neque obstat textus *L. Non fatetur. ff. de Confess.* ubi dicitur, quòd, qui errat in Jure, videtur confiteri, & sic consentire. Nam respondetur, ibi agi de consensu interpretativo: quoad consensum autem locum non habet interpretatio & fictio, quando verus consensus requiritur, uti hîc requiritur; neque enim, quòd consensus fingitur adesse, is propterea verè adest. Quin etiam dubio exclu-

di prorogationem, si quis videlicet dubitet, num hic sit Judex competens, coram quo convenitur, tradunt Bartol. *in L. 2. ff. si quis in jus vocat. non jer. n. 7.* Bald. *L. 4. consil. 475.* Jason *l. c. n. 39.* Decian. *L. 4. Tract. Crimin. c. 23. n. 13.* Barbos. *l. c. art. 3. n. 23.* ac alij, *arg. L. fin. C. de Condict. indeb.* Verùm de hac doctrina meritò quis dubitet. Nam solus error prædictis Juribus excluditur: dubium autem non est error; neque enim si dubito, an hic Judex sit competens, judico esse competentem. Dúmque non obstante dubio coram ipso litigo, re ipsa dico, *sive sit competens meus Judex sive non, coram ipso contendere judicio volo.* Sic autem non minùs in ipsum consentio, quàm si dicam: *Tametsi non sit respectu mei competens, nihilominus ei me judicandum subjiciam.*

425. An verò error Juris hîc præsumendus sit, dubium est. Affirmant post Speculatorem, Jason. Socin. ac alios Beroius *L. 3. consil. 6. à n. 29.* Natta *L. 1. consil. 82. in fin.* Schraderus *p. 10. de Feud. sect. 1. n. 141.* & Vult. *in L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 176.* ac communem hanc esse sententiam asserit Barbosa *cit. art. 3. n. 28.* Negant Zasius *in cit. L. si per errorem n. 10. & 11.* Donell. *L. 17. c. 10.* Ummius *disp. 4. ad Proceff. judic. thes. 18. n. 99.* Tenenda est prior opinio, cum distinctione tamen, quam plerique faciunt, qui illam sequuntur, videlicet errorem Juris hîc præsumi in imperitis & indoctis; non item in peritis & literatis. Displicet hæc distinctio Petro Barbosa *l. c. n. 32.* dicenti, etiam in peritis errorem Juris hîc præsumi; nisi, ut postea limitat, verè vel præsumptivè constiterit, prorogantem habuisse perfectam notitiam jurisdictionis Judicis prorogati. Verùm hac ratione non recedit à communi opinione, quam rejicit: nam de doctis & literatis constat præsumptivè, quòd notitiam habeant, quis sit ipsorum Judex competens, qui non.

426. Quemadmodum verò doctis & peritis alienum Judicem adeuntibus non prodest error Juris; ita pariter juxta Paul. Castr. Jason. Alexandr. Dec. Panorm. Felin. ac alios, quos allegant

gant Barbosa *l. c. n. 39.* & Oliva *p. 3. Fori Eccles. q. 14. n. 24.* non prodest etiam imperitis, si adeunt Judicem, qui Jure communi ipsorum esset Ordinarius, nisi peculiari privilegio ab ejus jurisdictione essent exempti. Valebit enim processus, si non opposito privilegio coram ipso litigent. Quod tamen cum Barbosa *l. c. n. 35.* solùm de errore Juris, & non de errore facti, admittendum censeo. Deinde noto, id tantùm procedere de ijs, qui possunt uti privilegio sui fori vel non, uti sunt v. g. Pupilli, Viduæ, aut Scholares: non item de ijs, qui omnino exempti sunt, uti sunt Clerici à foro seculari, Regulares SS. Pontifici immediatè subjecti à foro Ordinarij. Hi enim suo privilegio pro arbitrio contravenire, & renuntiare nequeunt, ac idcirco Judici non suo non prorogant jurisdictionem ejus judicium subeundo.

427. Infertur II. Cùm liber consensus ad prorogationem requiratur, ipsam esse invalidam & nullam, si extorta fuit metu cadente in virum constantem, v. g. si vel ipse Judex partem cogat ad litigandum coram ipso, vel pars, vel etiam tertius. Tradit cum Bart. Paul. Castr. & Jason. communis & recepta DD. apud Sanchez *L. 3. de Matrim. c 39. n. 13.* & Barbosa *cit. art. 3. n. 43.* præeunte Ulpiano *L. 2. prin. ff. de Judic si cùm restitisset quivis ex litigatoribus, viribus Præturæ compulsus est, nulla jurisdictio est*, ipso jure, ut addit Glossa. Cur autem prorogatio gravi metu extorta ipso jure nulla sit, cùm tamen gesta per metum Judicis jurisdictionem habentis mero jure valeant, & tantùm veniant rescindenda, ut habetur *L. 3. §. fin. ff. quod metûs caus.* multis disquirunt DD. Videri potest Barbosa *cit. artic. 3. à n. 46.*

428. Infertur III. Quòd si quis litigantium protestatus fuerit, se non consentire in hunc Judicem, non censenda sit facta esse prorogatio; licèt ponat aliquem actum, quo illa tacitè induceretur. Quia prorogatio requirit consensum liberum, quem ex protestatione constat non adesse. Neque eâ positâ actus ille, quo aliàs prorogatur jurisdictio, potest esse indicium prorogationis, sed censetur esse vel extortus, vel alio quàm prorogandæ jurisdictionis

ctionis fine esse factus. Ita Paul. Castrens. *in L. criminali C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 7.* Angel. *in L. sed etsi susceperit prin. ff. de Judic.* Felin. *in C. cùm M. de Constitut. n. 69.* Quòd si Judex nihilominus eum velit compellere ad respondendum, licitè appellabit: quia coactio ad respondendum coram Judice incompetente tractum successivum habet, ac idcirco quocunque tempore licita ab illa est appellatio. *C. Ex parte tua.* & *ibi* Panormit. ac Decius *de Appellat.* Pariter, si Judex incompetens se competentem pronutiaverit, licita erit apppellatio. Eâ verò omissâ sententia faciet jus inter partes, & perinde reputabitur, ac si à competente Judice lata fuisset. Videantur dicta suprà *n. 23. & seqq.*

429. Infertur IV. Quòd prorogatio tacita non habeat locum in absente & contumace, qui nec per se nec per procuratorem comparet in judicio. Nam licèt contumax interpretativè habeatur contumax in sui præjudicium *L. de ætate §. qui tacuit ff. de Interrogat. in Jure faciend.* hîc tamen fictus consensus non sufficit ad inducendam prorogationem. *L. qui ex consensu C. de Episcop. audient.* & *ibi* Bald. *n. 7.* Bart. *in L. 1. ff. si quis in jus vocat. non jer.* & *ibid.* Alexand. *colum. 6. n. 6.* Paul. Castr. *n. 2.* Panorm. *in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n.* 21. Marian. Socin. *in C. significásti de Foro comp. n. 37.* Jason *in L. 2. ff. de Jurisdict. n. 37.* alique. Ubi tamen pariter locum habet limitatio, quam modò posui *num. præced. in fine.* Similiter si Judex procedat per viam Inquisitionis, nunquam inducitur prorogatio: quia eo casu deest consensus partium, aut si quis adest, est is solùm interpretativus, qui non sufficit, ut modò dictum est. Et ita Bald. *in L. 1. C. Ubi de crimin. agi oport. in fine* & *in L. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar. n. 2.* Socin. *L. 4. consil.* 108. *in fin.* Alex. *L. 6. consil.* 216. *num. fin.* Curt Jun. *ad L.* 1. *ff. de Judic. n. 89.*

430. Infertur V. Ad prorogandam consensu etiam solùm tacito jurisdictionem semper esse necessarium aliquem actum positivum, ex quo consensus concludatur: cùm hîc non sufficiat sola taciturnitas & patientia. Ita cum Aretin. ac Anton. de Burrio

Felin.

Felin. *in C. Cæterùm de Judic. n. 5.* Panorm. *in C. ad petitionem de Accusat. n. 7.* Bald. *in L. si qui ex consensu C. de Episcop. Audient. n. 7.* Paul. Castr. *in L. 1. ff. de Judic. n. 6.* Bartol. Dec. ac alij *in L. si convenerit 18. ff. de Jurisdict.* Maranta *in Praxi judic. p. 4. dist. 12. n. 11.* Menoch. *L. 2. præsump. 19. per tot.* Qui, aliíque omnes, semper requirunt ad prorogandam jurisdictionem, vel litis contestationem, vel oppositionem exceptionis dilatoriæ, similémve æquivalentem actum. Dissentit Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 3. n. 8.* censens, consensum sufficienter colligi per patientiam; si quis videlicet Judicem patiatur aliquid decernere contra ipsum, & non contradicat. Sed nec rationem vel jus aliquod pro sua opinione reliquis ferè omnibus DD. contrariâ adducit, maléque allegat Menochium *cit. præsumpt. 19.* hic enim actum aliquem positivum requirit. Vera tamen est ejus opinio in casu, quem paulò antè attuli *n. 422.*

## §. V.

## *An ad prorogandam Judici alieno jurisdictionem requiratur consensus Judicis proprij ac aliem.*

### SUMMARIUM.

431. *Ad prorogandam Judici alieno jurisdictionem non requiritur consensus proprij.*
432. *Nisi privilegium Fori integro alicui Ordini vel Statui hominum concessum sit. Aut proprius Judex privilegium habeat, ut sui subditi coram alio Magistratu conveniri nequeant.*
433. *Prorogandi jus hodie multùm restrictum est.*
434. *Prorogari jurisdictio non potest, nisi Judici ejusdem Imperij aut Regni.*
435. *Ad prorogationem à tempore ad tempus opus est consensu Judicis, cui prorogatur jurisdictio.*
436. *Sufficit tamen tacitus.*

437. *Hoc semel præstito partes recedere nequeunt absque licentia.*

431. Posse partes absque consensu sui Judicis competentis prorogare in se jurisdictionem alieno, seu non competenti, tametsi Judex ipsorum Ordinarius sit Rex, Dux, Marchio, Comes, aliúsve Magistratus perpetua Jurisdictione fungens, post Bartol. Bald. Roman. Paul. Castr. Alexand. Imol. Panorm. Præposit. ac alios tradunt Maranta *in Praxi Judic. p. 4. dist. 12.* Vant. *Tract. de Nullitat. tit. quib. mod. sent. null. defend. poss. à n. 76.* Schrader. *de Feudis p. 10. sect. 1. n. 137.* Vultejus *in L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. n. 66.* Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. c. 25. n. 46.* Gaill. *L. 1. observ. 40. n. 2.* Hilliger. ad Donell. *L. 17. c. 10. lit. N.* Ummius *disp. 4. ad Process. jud. thesi 18. n. 98.* Zanger. *de Exception. p. 2. c. 1. n. 127.* ac passim alij. Tum quòd quilibet privilegio fori privatis concesso renuntiare potest. *L. si quis in conscribendo C. de Pact.* & *L. 1. ff. si quis in jus vocat. non jer. L. si convenerit ff. de Jurisdict. C. significásti de Foro comp.* Tum quòd prorogatio jurisdictionis partibus consentientibus conceditur *L. 1. & 2. ff. de Judic.* & *L. 1. §. Et post operis. ff. de novi oper. nuntiat.* absque ulla mentione consensûs Ordinarij Judicis, quo relicto illæ se submittunt jurisdictioni Judicis aliàs non competentis. Tum denique, quòd, ut ajunt Matth. Stephani & Hilliger. *ll. cc.* litigantes Judici, quem adeunt, non dant jurisdictionem, sed in se tantùm exercendam admittunt, & sic remittunt jus, vi cujus præscriptione fori uti possunt contra Judicem non suum.

432. Excipiendus hîc est geminus casus. Primus est, quando privilegium fori alicui integro Ordini vel Statui hominum concessum fuit: tunc enim absque licentia proprij Superioris & Judicis Jurisdictio prorogari nequit, ut suprà diximus de Clericis & Regularibus SS. Pontifici immediatè subjectis. Alter est, quando alicui Magistratui vel Judici privilegium concessum fuit, ut ejus subditi coram alio Magistratu conveniri nequeant. Quale privilegium

gium Imperator concedere solet Statibus Imperij, Principibus, Comitibus, ac Nobilibus, ut videlicet ipsorum subditos nemo coram alio Tribunali in jus vocet. Quo casu si subditus coram alio Judice compareat, & in ejus Jurisdictionem consentiat, ex tali consensu partis non prorogatur Jurisdictio in præjudicium Domini facta. De quo Gaill. *L. 1. observ. 40. n. 2. & 3.* Wehner. *in Practic. observat. V.* Ehehafften §. *alio*, Bocerus *de Jurisdict. c. 7. n. 50.*

433. Universim hodie hoc prorogandi jus restrictum est & coangustatum, ut ait Bocer. *l. c. n. 49.* & Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. c. 25. n. 50.* Cùm enim hodiernis moribus Jurisdictiones cœperint esse patrimoniales aut feudales. *arg. tit. 1. §. Et quia vidimus tit. 13. & tit. seq. L. 1. Feudor.* ac à Statibus Imperij, Principibus, Ducibus, Comitibus, Civitatibus &c. jure proprio exerceantur: idcirco hujusmodi Magistratus ac Judices non solùm suis subditis ad alienum tribunal citatis inhibere solent, ne compareant, sed etiam eorum causas alibi jam introductas ad se avocare. Petr. Costald. *ad L. 1. ff. de Judic.* Vultei *ad L. 1. C. de Jurisdict. omn. Jud. n. 169.* Thom. Michaël *de Jurisdict. concluf. 148.* Duaren. *ad Tit de Judic. c. 8.* Stephani & Bocer. *ll. cc.* Verùm etiamnum hodie posse subditos alieno Judici liberè & absque consensu proprij Judicis Jurisdictionem prorogare, post Bartol. Imol. Alexand. Marant. Vant. Cravet. ac alios tenet Manzius *in Centur. Decision. Palatin. q. 97. àn. 11.* & Berlich. *p. 1. concluf. 5. n. 31.* ubi multis rationibus id firmat, séque ita judicio obtinuisse testatur. Neque immorandum hîc est; nam constat, leges prorogationem concedentes æquè, ac alias, contrariâ consuetudine tolli posse, posséque pariter privilegio Imperatorio ijsdem derogari. Utrùm autem hîc vel alibi vel privilegium hoc, vel illa consuetudo detur, ad quæstiones facti pertinet, quas hîc persequi animus non erat. Duo tantùm notanda duxi. Primum est, quod modò dicebam *num. præced.* posteriorem opinionem non procedere quoad eos Status Imperij, aliósque Magistratus ac Judices, qui speciali privilegio muniti

muniti sunt, ut eorum subditi ab ipsorum tribunali ad aliud avocari nequeant. Alterum, etiam juxta primam sententiam prorogationem valituram, si proprius Judex subdito prorogandi licentiam dedit vel expressam, vel tacitam, videlicet prorogationem non prohibendo, aut eâ jam factâ causam ad se non avocando. Unde consequens est, etiam hodie magnam hujus tractationis de prorogatione jurisdictionis utilitatem esse, contrà ac aliqui existimant.

434. Illud quoque magnopere controversum est inter DD. an prorogatio jurisdictionis absque consensu proprij Judicis locum duntaxat habeat, si uterque Judex, alienus videlicet, cui prorogatur jurisdictio, & proprius ac competens, sint sub eodem Imperatore, Rege, vel Republica; an verò illa fieri possit absolutè, ac etiam alterius Regni vel Reipublicæ Judici. Prius illud tenent Bald. Paul. Castr. Bellamer. Panorm. Ant. de Butr. ac alij, quos allegant Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 3. n. 162.* & Oliva *p. 3. Fori Eccles. q. 14. n. 112.* hánque sententiam universali praxi receptam esse testatur Castro Lusitan. *decision. 2. n. 4.* Posterius tuentur Alexand. *in L. 1. §. Et post operis ff. de Novi oper. nuntiat. n. 20.* & Jason *ibid. n. 11.* Maranta *in Praxi judic. p. 4. dist. 12. n. 25.* Barbosa *l. c. n. 163.* ac alij. Hánque opinionem in puncto Juris veriorem esse ait Joan. Faber *in L. si qui ex consensu C. de Episcop. Audient. n. 6.* Mihi prior opinio præplacet. Nam licèt *L. 1. & 5. ff. de Judic.* aliísque Juribus allegatis videatur universim potestas data subditis prorogandi jurisdictionem Judici alieno, cui vellent: apparet nihilominus, illas Leges solùm conditas pro subditis Imperij Romani, litigare in eodem volentibus, cùm præsumendum non sit, Romanos Imperatores & Jureconsultos de Judicibus alterius Imperij cogitâsse, eosdémque suam jurisdictionem ita jactare voluisse, ut subditis liberam facultatem relinquerent alterius Imperij vel Regni Judicem adeundi, cujus imperitiam corrigere aut injustitiam coërcere Imperator non posset. Neque confunditur hæc sententia ex *C. significâsti 18. de Foro com-*

*compet.* uti existimat Barbosa *l. c. n. 163.* quia ibi Pontifex solùm interrogabatur de Clericis, & de his duntaxat respondit, eos alieno Episcopo sine consensu proprij Jurisdictionem prorogare non posse. Unde à contrario sensu non benè infertur, laicos, cuicunque velint, posse in se eam prorogare absque consensu sui Judicis competentis.

435. Supereſt modò, ut etiam de consensu Judicis, cui jurisdictio prorogatur, agamus. Si prorogatio fit à causa ad causam, à persona ad personam, à loco ad locum, nec tacitus ejus consensus requiritur, sed sufficit, si non contradicat, sive sciat, sive ignoret, hanc causam, vel hos litigantes, aut hunc locum, ad suam jurisdictionem nonpertinere: dummodo non reclamet aut protestetur, se nolle jurisdictionem exercere, nisi causa vel personæ litigantes ad se de Jure pertineant. Glossa *in L. 2. §. 1. ff. de Judic. V. Inhibita,* Bartol. *ibid. n. 6.* & Paul. Castr. Ant. de Butr. *in C. P. & G. 40. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 20.* Panorm. *n. 22.* Felin. *in C. de causis eod. n. 5. v. 7.* ac communis Interpretum *in cit. L. 2. & C. 40.* Itáque decidit Ulpian. *cit. L. 2.* §. 1. ubi, cùm quæstionem hanc sic proposuisset: *Convenire autem utrùm inter privatos sufficit, an verò etiam ipsius Prætoris consensus necessarius est?* Respondet: *Lex Julia ait, quò minùs inter privatos conveniat; sufficit ergo privatorum consensus.* Ad prorogationem verò à tempore ad tempus asserunt, Judicis æquè ac partium consensum esse necessarium. Rationem discriminis dat Bartol. *l. c.* quia in prorogatione à persona ad personam, loco ad locum, re ad rem, Judex certus est, se esse Judicem, licèt ignoret, utrùm in hos litigantes aut hanc causam Jure communi jurisdictionem habeat. Quantùm verò attinet ad tempus, scit, se post lapsum termini sibi præfixi non ampliùs esse Judicem, ac propterea necessarium est, ut certior fiat, tempus sibi extendi prorogatione partium ac jurisdictionem tribui, quam aliàs nullam ampliùs haberet.

436. Sufficit tamen etiam in prorogatione à tempore ad tempus consensus Judicis tacitus, ut tradunt ijdem DD. & patet ex

dictis *n. 418.* Non requiri ad hunc tacitum consensum actum aliquem Judicis positivum, qualem requiri in partibus dictum est suprà *n. 430.* sed sufficere, si habitâ prorogationis notitiâ non contradicat, sed partes coram se litigare patiatur, asserunt Paul. Castr. *in cit. L. 2. ff. de Judic.* §. 2. Felin. *in C. causam quæ de Sent. & re judic.* Butr. *in cit. C. 40. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Barbosa *l. c. art. 3. n. 9.* Sed non apparet, quomodo patientia Judicis dari possit absque actu aliquo positivo, quo vel respondeat, se ipsas velle audire, vel libellum oblatum recipiat, aut annotari faciat, quæ proponuntur &c. Quòd si citati DD. velint, hoc ipso prorogatam ei esse Jurisdictionem, ita ut partes ipso invito subterfugere eam nequeant, dummodo dixerint, se in ipsùm consentire, tametsi ipse nihil adhuc responderit, vel fecerit, recedendum ab ipsis existimo: cùm non appareat, quomodo per solam suam taciturnitatem consentiat. Licèt enim favorabile esse videatur, posse etiam in alienos subditos Jurisdictionem exercere, & in favorabilibus taciturnitas pro consensu habeatur: jus tamen dicere non tam commodum, quàm onus est, ut dictum est suprà *n. 18.* ac reverà odiosum est jus etiam alienis dicere, quia laboriosum, & invidiæ proprij litigantium Judicis obnoxium. Unde non est, cur post aliquod silentium & nondum exercitum aliquem actum positivum non possit eos repellere. Si autem ipse non tenetur jus illis dicere, hoc ipso, quia nondum consensisse censendus est, non est ratio, cur non etiam partibus licitum sit eum deserere, seu, uti DD. loquuntur, pœnitere: cùm ipsi ante consensum & acceptationem jus nullum quæsitum sit. Aliud foret, si ipse esset litigantium Superior: hujus enim responsio exspectanda est ob reverentiam, quam subditi ei debent. *arg. C. Bonæ 4. de Postulat. Prælat. §. Nec obstabit.* Cæterùm ea, quæ modò de prorogatione à tempore ad tempus dixi, limitanda sunt juxta dicta suprà *n. 402.*

437. Quemadmodum verò consensus Judicis, cui prorogatur jurisdictio, necessarius non est, nisi ad prorogationem à tempore

pore ad tempus, ut modò dicebam: ita pariter sine ejusdem consensu mutare voluntatem prorogandi, & liberè prorogationem, mutuo tamen consensu, omittere partes possunt, si illum nondum adierunt. Postquam verò eum adierunt, ísque consensit vel expresè, vel tacitè actum aliquem Judicis exercendo; v. g. acceptando libellum actoris, admittendo exceptionem dilatoriam, terminum præscribendo &c. integrum illis ampliùs non est eo non requisito resilire, seu ejus Jurisdictionem declinare, vel adeundo proprium Judicem, vel alteri cuipiam Jurisdictionem prorogando, ne auctoritas Magistratûs hac elusoria levitate contemnatur, & quia ei contumeliam facerent eum spernendo, & ad alium eundo, ut ait Ulpian. *L. Litigatores* 11. *prin. ff. de Receptis, qui arbitr. receper.* Si tamen omnino à lite discedere velint ea super re Judicem non adituri, facere id possunt ipso irrequisito ac etiam invito: quia, ut idem Ulpianus ex Celso ait *L. Hoc edicto* 1. *ff. de Novi oper. nuntiat. §. Inde quæritur* 10. non est periculum, *ne pactio privatorum jussui prætoris anteposita videatur: quid enim aliud agebat prætor quàm hoc, ut controversias eorum dirimeret? à quibus si sponte recesserunt, debebit id ratum habere.*

## §. VI.

## *An omnis Jurisdictio prorogari possit.*

### SUMMARIUM.

438. *De Jure Canonico non tantùm Ordinaria, sed etiam Delegata Jurisdictio prorogari potest.*
439. *Quin etiam de Jure Civili.*
440. *Nec solum ad universitatem causarum, sed etiam ad causam determinatam.*
441. *Respondetur ad opposita.*
442. *Prorogari potest etiam Criminalis Jurisdictio.*

443. *Non tamen Jurisdictio Revisorum Cameræ, aut Judicum Aust. regarum.*
444. *Solvuntur opposita.*
445. *Prorogari potest etiam Voluntaria Jurisdictio.*
446. *Non tamen quoad Legitimationem, quæ prosit extra legitimantis territorium.*
447. *Ratio exceptionis proponitur.*
448. *Prorogari juxta communem DD. nequit Voluntaria Jurisdictio à Magistratu, nisi majori Magistratui.*
449. *Neque absque consensu Ordinarij prorogari potest Jurisdictio Voluntaria sacra.*
450. *Exemplis illustratur assertio.*

438. Jurisdictionem propriam seu Ordinariam prorogari saltem in civilibus posse, indubitati Juris est. *L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic. L. si se subijciant. 1. L. Consensisse* & *L. De qua re 74. ff. de Judic. L. 4. C. ubi caus. Fisc. L. Inter 20. ff. ad municipal.* Nisi quòd ejus prorogatio à tempore ad tempus fieri nequit, ut dixi suprà *n. 402.* Pariter certum videtur, de Jure Canonico (quidquid opponat Ummius *disp. 4. ad Proces. Judicial. thesi 17. n. 93.*) prorogari posse Jurisdictionem Delegatam. *C. cùm olim 32.* & *C. P.* & *G. 40. de Offic.* & *potest. Judic. Deleg.* Nisi quòd à persona ad personam prorogatio fieri nequit. *cit. C. 40.* exceptis personis, quæ per accidens tantùm in judicium veniunt, ut si tertia persona, cujus interest, jus suum proponat coram Delegato: ad hanc enim extendi Jurisdictionem etiam delegatam sumitur ex *C. cùm super 17. de Sentent.* & *re judic.* ac cum Panorm. Butr. ac Barbat. tradit Laym. *in C. cùm super 23. de Offic.* & *potest. Judic. Deleg. n. 1.* & *in cit. C. 40. n. 3.* Ratio obvia est: quia Delegato ea omnia concessa sunt, sine quibus demandata causa expediri non potest. *C. 5.* & *21. eod.* At expediri debitâ ratione & justè non potest, nisi etiam tertius, qui sua interesse dicit, audiatur. Hinc Jurisdictionem exercere potest in eos, qui eam impedire aut turbare volunr, uti sumitur ex *C. 1. eod.* Eadémque est ratio de Fidejussore: nam etiam iste à Delegato com-

compelli ad satisfaciendum potest. Præterea Jurisdictionem delegatam ad universitatem causarum prorogari à persona ad personam posse, cum verisimilitudine docet Glossa *in cit. L. 1. ff. de Judic. V. qui tribunali:* cùm hæc Jurisdictio Ordinariæ comparetur, Jurisdictio autem Ordinaria partium consensu ad personas alioqui non subjectas prorogari potest.

439. An verò jurisdictio mandata prorogari etiam de Jure Civili possit, magnâ contentione disputant Legistæ, ita ut spectato numero ac auctoritate pro oppositis opinionibus stantium quidquam decidi nequeat. Mihi placet affirmantium sententia, & quidem assero, de Jure Civili jurisdictionem delegatam probabiliter etiam de persona ad personam prorogari posse. Quia Jura, quæ prorogationem concedunt, sine discrimine inter Ordinariam & Delegatam loquuntur. At sermo generalis omnes species complectitur. *L. 9. §. 1. ff. quod metûs caus.* Nec ullibi Delegatam excludunt. Imò satis expresse includunt. Nam ait JCtus *L. 1. ff. de Judic. Cuivis Judici* jurisdictionem prorogari posse: si cuivis, ergo etiam Delegato. Quin ibidem non obscurè distinguit inter Ordinariam & Delegatam, dum ait: *Inter consentientes cujusvis Judicis, qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet.* Ubi per Judicem, qui tribunali præest, videtur designari Ordinarius, qui propriè tribunal habet; per eum, qui aliam jurisdictionem habet, Delegatus. Nec enim apparet, quis alius per posteriorem, qui tribunal non habet, intelligatur, quàm Delegatus. Aut si etiam alius intelligatur, Delegatus saltem non excluditur, cùm & iste jurisdictionem habeat, ut patet ex *L. More 5. ff. de Jurisdict.* Favet quoque textus *L. 2. §. 2. ff. eod.* ubi idem Ulpian. ait: *si & Judex ad tempus datus, & omnes litigatores consentiant: nisi specialiter principali jussione prorogatio fuerit inhibita, possunt tempora, intra quæ jussus litem dirimere, prorogari.* Per Judicem autem ad tempus datum vel intelligitur Delegatus, aut si Ordinarium etiam significari dicamus, cui tamen certum tempus definiendæ causæ constitutum sit, benè infertur, quòd si

Judex, cujus jurisdictio ad certum tempus restricta est, nihilominus ultra illud eam extendere potest, etiam Delegatus suam, quamvis aliàs limitatam ad certum tempus & personas, eam ad alias cum earum consensu porrigere possit.

440. Accedit, quòd Delegatus vice ejus fungitur, qui delegavit. *L. 3. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict.* & *L. solet 16. ff. de Jurisdict.* Ut ergò Delegantis Jurisdictio prorogari potest, ita quoque Delegati: cùm una ferè eadémque sit jurisdictio. *L. 1. §. 1. & L. pen. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict.* Hinc non videtur admittenda distinctio eorum, qui asserunt, posse quidem prorogari Jurisdictionem, quæ delegata est ad universitatem causarum; non tamen eam, quæ mandata est ad certam causam. Nam cùm etiam Judicis, qui propriam & ordinariam habet Jurisdictionem in certas tantùm personas, aut certæ causæ speciem, prorogari Jurisdictio possit, ut patet ex *L. 1. C. de Jurisdict. omn. Judic.* non apparet ratio, cur non etiam illius Jurisdictio prorogari possit, qui eam habet mandatam ad certas solùm causas & personas.

441. Neque obstat, quòd objicit Bartol. *ad cit. L. 1. ff. de Judic. n. 6.* à limitata causa limitatum produci effectum. Nam & Ordinaria Jurisdictio ad certas tantùm personas ferè limitata est, ac nihilominus ad alias prorogari potest. Unde solùm sequitur, quòd nec hæc, nec illa adversùs invitas & non consentientes personas extraneas exerceri possit; non verò, quòd exerceri nequeat in consentientes. Illud porrò captu difficile est, quod asserit Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. c. 21. n. 26.* etiam delegatam Jurisdictionem à tempore ad tempus prorogari non posse; posse tamen prorogari tempus, intra quod Judex dirimere litem jussus est. Fieri enim nequit, ut prorogetur hoc tempus, quin simul prorogetur Jurisdictio, quam si Judex non haberet, post illud tempus à Superiore præscriptum procedere in causa non posset.

442. Æquè magna, aut etiam major controversia est de Jurisdictione Criminali, utrùm videlicet prorogari possit. Affirmant

mant Bartol. Panor. Marian. Socin. aliíque complures, quos refert, & sequitur Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 4. n. 2.* ídque communi DD. opinione confirmatum esse ait Gaill. *L. 1. de Pace publ. c. 12. n. 10.* & Bocerus *de Jurisdict. c. 7. n. 23. §. Cæterùm.* Negant Baldus, Hippolyt. Jas. ac alij, quos allegat Barbosa *l. c. n. 3.* & Maranta *in Praxi Judic. p. 4. dist. 6. n. 60.* Sequuntur Bocer. *l. c.* Vult. *ad L. 1. C. ubi de crimin. agi oport. n. 30.* Umm. *ad Proces. Judic. disp. 4. thesi 17. n. 94.* Mihi prima sententia, ut communior est, ita probabilior videtur. Nam ex una parte Jura prorogationem permittentia non distinguunt inter Jurisdictionem Civilem & Criminalem. Ex altera verò rationes, quæ pro negativa afferuntur, non concludunt: quas tamen discutere operæ pretium non esse videtur, tum quòd hodiernis moribus Rei criminum ibi judicantur, ubi deprehenduntur, ut dixi suprà *n. 149.* & *150.* & sic vix locus esse poterit prorogationi in criminalibus: tum quòd hodie contra criminosos ferè proceditur per viam Inquisitionis. Fatentur autem etiam illi, qui in criminalibus concedunt prorogationem, eam locum non habere, quando per inquisitionem proceditur, cùm desit persona actoris, quæ in prorogationem unà cum reo consentire deberet. Quæ tamen ratio non convincit, cùm ibi, ubi non est contradictor, sufficiat ad prorogationem consensus unius, ut mox dicetur *n. 445.* Præterea non pauci eorum suam opinionem ita restringunt, ut dicant, eam solùm procedere quoad præjudicium partis, non verò quoad præjudicium Judicum, quibus de Jure competit jurisdictio in delinquentem: hos enim non obstante prorogatione posse procedere, & iterùm de crimine cognoscere, illúdque punire, ne occasio detur fraudibus. Unde ex hoc quoque capite patet, hanc de prorogatione Jurisdictionis criminalis quæstionem parum utilitatis habere.

443. Similis ferè quæstio est, an jurisdictio Revisorum Cameralium prorogari possit. Multùm hîc referre existimant Bocer. *de Jurisdict. c. 7. n. 24.* ac alij, sítne hæc jurisdictio Ordinaria,

ria, an Delegata? Ordinariam facit Gaill. *L.* 1. *observat.* 54. n. 1. Quod & Bender. *de Revision. concl.* 4. *n.* 31. & Vultei. *ad L.* 1. C. *de Jurisdict. omn. Judic. n.* 90. veriſſimum eſſe opinantur, ſi ipſi Status Imperij, quibus ex ejusdem Ordinatione viſitatio, ſeu reviſio competit, conſiderentur. Controverſum magis eſt, an ij quoque, qui à Statibus, quos revidendi ordo tangit, mittuntur, ordinariam jurisdictionem habeant. Negat Bender. *cit. n.* 31. Affirmat Gaill. *L.* 1. *obſervat. ult. n.* 6. Sed tametſi delegatam diceremus, ex hoc capite non impediretur prorogatio, cùm hæc locum etiam in delegata jurisdictione habeat, ut paulò antè dictum eſt *n.* 439. Alio tamen ex capite dicendum videtur cum Bocero *l. c.* §. *Cæterum,* Vulteio *l. c. n.* 97. ac Ummio *ad Proceſſ. Judicial. diſp.* 4. *theſi* 17. *n.* 93. prorogari non poſſe, quia videlicet Reviſores à Statibus Imperij ad hoc ſolùm mittuntur, ut Reviſionum duntaxat cauſis in ſententijs in Camera Imperiali datis operam navent, uti patet ex Ordinat. Cameræ Imper. *p.* 1. *tit.* 50. & *p.* 3. *tit.* 53. Idem de Judicum Auſtregarum jurisdictione ſtatuunt Vultejus *l. c. n.* 86. Bocer. *cit. c.* 7. *n.* 26 & Ummius *l. c.* cùm certum ſit, quòd Auſtregarum judicium, de quo ſuprà *n.* 339. & *ſeqq.* ex ſingulari gratia Statibus aliiſque immediatis ſubditis Imperij conceſſum ſit. Ut adeò ſi prorogationem hîc admittamus, id ſi non contra, certè præter mentem Imperatorum & reliquorum Imperij Statuum facturi ſimus. Accedit, quòd hoc judicium ad unam aliquam, aut plures quidem, ſed numero definitas cauſas pertinet, quódque Judices Auſtregarum haud certi ſint, ſed eligantur vel Imperatoris vel partium arbitrio, quoties inter Imperij Status lis quædam orta eſt, ut arguit Ordinatio Cameralis *part.* 2. *tit.* 2. 3. & 4. & docent Gaill. *L.* 1. *obſervat.* 1. ac Mynſinger. *cent.* 1. *obſervat.* 91. & *cent.* 5. *obſervat.* 1.

444. Neque obeſt, quòd juxta *L.* 1. *C. de Jurisdict. omn. Judic.* Jurisdictio Procuratoris Cæſaris, tametſi pertineat ſolùm ad Fiſci cauſam, quæ vertitur inter Fiſcum & privatum, prorogari nihilominus ad alias cauſas poteſt. Hæc enim Jurisdictio pertinet

net ad integram aliquam speciem causarum: illa verò Revisorum & Judicum Austregarum magis restricta est, & ad causas duntaxat certarum personarum circumscripta, ac proinde non extendenda ad alias *arg. L. in agris limitatis 16. ff de acquir. rerum dom.* Si quis tamen prorogare Jurisdictionem Judicum Austregarum vellet, non ut Jurisdictionem Judicibus Austregarum propriam, sed ut eam, quam suis in territorijs habent, exerceant, jure subsisteret hujusmodi prorogatio, ut benè observat Bocerus *l. c. n. 27. §. si qui tamen.*

445. Hactenus de prorogatione Jurisdictionis Contentiosæ egimus. Videndum nunc est, an idem statui debeat de Voluntaria, ad quam pertinet emancipatio, datio Tutoris & Curatoris, insinuatio testamentorum, donationum &c. Hanc quoque prorogari posse contra Andr. Siculum aliósque nonnullos tradunt Bald. *in L. Secundum C. de Donation. lect.* 2. Paul. Castr. *L. 1. consil. 84. n. 4.* Felin. *in C. Cæterùm de Judic. n. 2.* Anton. *in C. Pastoralis de Offic. Ordinar. n. 4.* ac passim alij, idque desumunt ex *L. 1. C. de Emancipat. liberor. L. Emancipari ff. de Adoption. L. 2. ff. de Offic. Proconsul. L. Etiam §. fin. ff. de Manumiss. vindict.* Neque obest, quod contrariæ opinionis DD. ajunt, in prorogatione requiri consensum duarum partium; in prorogatione autem voluntariæ non dari duas partes, sed tantùm unam, quæ petit hanc in se jurisdictionem exerceri. Respondetur enim, requiri consensum partium, si partes dentur, quæ inter se contendunt; secùs si non sit contradictor. Hinc etiam ad prorogandam jurisdictionem voluntariam non sufficit consensus unius, si quispiam adest, cujus interfit non exerceri hanc jurisdictionem; v. g. non approbari donationem, quam unus insinuat, eò quòd illa tertio alicui præjudicet; aut non absolvi excommunicatum, antequam læso satisfaciat. Pariter non obstat textus *L. penult. & ult. C. de Emancipat. liberor.* ubi dicitur, adeundum in liberorum emancipatione esse Judicem competentem. Respondetur enim, Judicem quamvis aliàs incompetentem fieri competentem per proroga-

rogationem jurisdictionis, dummodo jurisdictionem jam antè habeat in eo genere, in quo ipsi prorogatio fit.

446. Excipiunt tamen hîc DD. Legitimationem. Nullus enim Princeps, inquiunt, potest natalibus restituere, vel legitimum efficere non subditum, quoad bona intra alterius Imperij aut Regni limites existentia, vel quoad honores ac dignitates extrà conferendas, etiam ex consensu legitimorum filiorum, quibus præjudicium fit, uti cum Ancharan. Panorm. Anton Dec. Alexand. ac communi aliorum tradunt Covarr. *de Matrim. p. 2. c. 8. §. 8. n. 43.* & Pacian. *L. 2. de Probation. c. 18. n. 20.* Colligitur ex *C. per venerabilem v. Insuper Qui filij sint legit.* ubi Romanus Pontifex profitetur, se legitimare filios Regis Franciæ, quòd id fiat sine alterius injuria, cùm Rex ille quoad temporalem jurisdictionem nulli sit subjectus. Ratio intrinseca est: quia jus legitimandi competit Imperatori ac Regibus, quibus legitimandi subsunt, in signum subjectionis. *cit. C. per venerabilem*, & *Authent. quib. mod. natural. effic. sui §. illud.* Ea verò, quæ hac ratione Principi reservata sunt, non potest subditus ipsi tollere. Affirmat quidem Joan. Crottus apud Covarr. *l. c. n. 44.* communem esse opinionem, posse à Principe concedi legitimationem his etiam, qui subditi non sunt, etiam ratione bonorum extra ipsius Principis jurisdictionem existentium, dummodo adsit consensus illorum, quibus talis legitimatio præjudicat. Mihi tamen invenire non licuit DD. qui sint hujus opinionis; multò minùs plures, qui eam communem efficiant. Quamquam autem vera sint, quæ modò dixi à communi DD. de Legitimatione tradi: non tamen sunt exceptio à regula num. præced. positâ. Nam dum DD. ex cit. Juribus asserunt, voluntariam quoque jurisdictionem prorogari posse, id solùm videntur velle, quòd prorogatio fieri possit ab uno Judice ad alterum, si in territorio ejusdem Principis existant, v. g. in eodem Regno aut Republica; non verò, quòd subditi unius Regni possint adire Judicem alterius Regni, suo prorogantium Principi non subjecti, ut patet ex ijs, quæ tradunt Bartol. *in L. 1. §.*

*Et*

*Et post operis ff. de Novi oper. nunciat.* Alexand. *ibid. colum* 3. Capyc. *decis. 9. n.* 3. & ex ijs, quæ suprà *n.* 434. de prorogatione Jurisdictionis Contentiosæ tradidi. Est tamen adhuc specialis ratio quoad legitimationem, ita, ut relicto Comite Palatino Pontificio aut Cæsareo, aut Judice specialem facultatem ad legitimandum habente, alius, qui eam non habet, adiri pro restitutione natalium nequeat, tametsi in eodem Regno vel Imperio existat uterque Judex: tum quòd jus legitimandi Principi supremo competit in signum subjectionis, quâ ipsi teneantur subditi, ut modò dictum est: tum quòd Magistratus ille, qui legitimandi potestatem à Principe non habet, non habet jurisdictionem in illo genere causæ, in qua ipsi proroganda foret jurisdictio; quod tamen juxta dicta *n.* 406. ad prorogationem necessarium est.

447. Plerique insuper, qui Jurisdictionem Voluntariam prorogari posse contendunt, id ita limitant, ut dicant, tametsi Jurisdictio Contentiosa prorogari possit Judici, qui est minor prorogante *L. Est receptum 14. ff. de Jurisdict. L. Ille à quo 13. §. Tempestivum 4. ff. ad Senatusconsul. Trebellian.* Voluntariam tamen, etsi fieri possit à privatis, fieri non posse à Magistratu, nisi is, cui prorogat, sit major prorogante. Quia *apud eum, cui par est imperium, manumittere non possumus*, ut ait JC. *L. 14. ff. de Manumission.* Et *apud Collegam suum prætor manumittere non potest. L. apud filiumfam. 18. §. 1. ff. de Manumissis vindictâ.* Rationem diversitatis dant Bocerus *de Jurisdict. c. 7. n.* 16. ac alij, quòd licitum sit, actus contentiosæ Jurisdictionis per alium exercere, non autem voluntariæ Jurisdictionis negotium. *L. Post mortem 25. §. Neque adoptare ff. de Adoption.* ibi: *neque adoptare neque adrogare quis absens, nec per alium ejusmodi solemnitatem peragere potest.* Verùm hinc tantùm sequitur, quòd actus legitimus & solemnis, qualis est adoptio & arrogatio, fieri nequeat à privatis alieno nomine & coram privato: non verò, quòd non coram Magistratu. Aliàs neque privati prorogare jurisdictionem alieno Magistratui possent, & nec Prætor apud Consulem manumittere posset; quod tamen fieri posse

Paulus *cit. L. 14. ff. de Manumiſſion.* apertè aſſerit. Itaque dicendum videtur cum Ummio *l. c. n. 92. in fin.* Jureconſultos cit. Juribus conſiderâſſe dignitatem Magiſtratûs, quaſi illa minueretur, ſi Magiſtratus coram pari vel minore Magiſtratu actum legitimum expediret. Verùm etiam hæc ratio manca eſt: quia aliàs Magiſtratus alteri pari aut minori neque Contentioſam Jurisdictionem prorogare poſſet: quod tamen fieri poſſe conſtat ex *cit. L. 14. ff. de Jurisdict.* & *L. 13. §. 4. ff. ad SC. Trebell.*

448. Sed & Jurisdictio Sacra Voluntaria hîc excipienda eſt. Neque enim absque licentia Ordinarij ſeu proprij Superioris prorogari poteſt, ut uno ore tradunt Canoniſtæ ex *C. Significâſti 18. de Foro Compet.* ubi licèt ſermo ſit tantùm de Clericis & de Jurisdictione Contentioſa, concors tamen DD. interpretatio extendit ad Voluntariam, ac etiam ad Laicos, ita ut nec iſti alieno Epiſcopo vel Parocho eam in ſe prorogare valeant absque licentia proprij, ſaltem quoad Sacramenta. De quo fusè Suar. *Tom. 2. de Religione L. 6. c. 12.* & Sanchez *in Decalog. L. 4 c. 39. n. 29.* Hinc Sacerdos alienos ſubditos quantumvis rogantes, ſéque ſubijcientes, extra caſum neceſſitatis, abſolvere à peccatis nequit absque licentia proprij ipſorum Parochi, Epiſcopi, Generalis Vicarij &c. *C. Omnis utriusque Sexûs de Pœnit. & remiſſion.* & ibi DD. Eadem eſt ratio de alijs Sacramentis. Eadem de aſſiſtentia in ipſorum matrimonijs, ſeu copulatione, ut vocant. Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de Reform. Matrim.* Quòd ſi absque illa licentia alienos ſubditos abſolvat, vel ipſorum matrimonijs aſſiſtat, actus ne quidem validus erit.

449. Epiſcopus quoque alienis ſubditis absque licentia proprij Epiſcopi conferre Ordines licitè non poteſt, tametſi illi conſentiant ac petant. *C. Nullus Epiſcopus 3. de Paroch.* Trident. *ſeſſ. 23. c. 8. de Reform.* Neque Sacramentum Confirmationis ijsdem conferre. *Can. Interdicimus 16. q. 1.* Neque (ut nonnulla exempla afferamus) diſpenſare in impedimentis Matrimonij, in quibus cum ſubditis proprijs diſpenſare valet. Nec in Irregularitate ex delicto

delicto occulto contractâ, vel Votis, Juramentis &c. Imò nec Archiepiscopus cum subditis suorum Suffraganeorum, quamvis volentibus, dispensare potest, vel eosdem absolvere: cùm subditi ipsius non fiant nisi per appellationem. *C. Pastoralis de Offic. Ordin.* Quæ vera sunt, tametsi subditus alienæ Diœcesis in hac peregrinetur: absolutionem enim, vel dispensationem impetrare nequit, ut ostendit Suar. *l. c. n. 10.* nisi hîc quasi domicilium constituat. Poterit tamen Episcopus alienis subditis Beneficia sibi subjecta conferre. *C. ad decorem 5. de Institution.* Qua ratione mox fiunt ejus subditi. *C. cùm nullus de Tempor. Ordinat. in 6.* Posse verò Regulares Exemptos in se prorogare Episcopo Jurisdictionem Voluntariam, dixi suprà *n. 415.*

## §. VII.

## *In quibus Causis prorogari Jurisdictio possit.*

### SUMMARIUM.

450. *Judici laico prorogari Jurisdictio Spiritualis nequit.*
451. *Neque Episcopo alieno sine licentia proprij.*
452. *Clerici alieno Episcopo sine consensu proprij nec in profanis causis prorogare jurisdictionem possunt.*
453. *Possunt verò Laici Judici Ecclesiastico in causa etiam profana.*
454. *Victi coram eodem non possunt appellare ad Judicem secularem.*
455. *In causa Appellationis non habet locum prorogatio.*
456. *Nec in Feudali.*
457. *Nec in illis, quæ sunt reservatæ Principi.*
458. *Aut, quas iste ad se avocavit.*
459. *Multiplex avocandi modus affertur.*
460. *Si avocatio facta est favore publico, non potest in causa avocata Judici inferiori prorogari jurisdictio.*
461. *Secùs, si facta est in favorem partium.*

450. Certum est, & receptum apud omnes Theologos, Canonistas, & Legistas, etiam Heterodoxos, non posse Judicis profani Jurisdictionem prorogari in causis spiritualibus vel spirituali annexis, tametsi qui prorogare velint, sint laici: neque ad hoc licentiam dare posse Episcopum. Ratio patet: quia, ut suprà resolvi *n. 406.* prorogatio locum non habet in causis, de quibus Judex prorogatus inter suos subditos cognoscere non potest: non enim hæc esset prorogatio, sed Jurisdictionis concessio. At Judex secularis non potest cognoscere inter subditos de causis spiritualibus vel spirituali annexis, cùm sit omnino incapax & incompetens ad cognoscendum de illis. *C. Decernimus 2. & C. Quanto 3. de Judic. C. Tuam de Ordine Cognition.* Quam inhabilitatem partes tollere non possunt, ut per se patet. Nec etiam Episcopus causas hujusmodi laicis committere potest. Panorm. *in cit. C. 2. n. 4.* Felin. *n. 6. & 8.* Decius *n. 5. v. secundò non obstat.*

451. Sed neque laici prorogare Jurisdictionem alieno Episcopo possunt sine licentia proprij in causis, ut vocant, Sacramentalibus, id est, quoad Sacramenta, ut videlicet ea ab alieno Episcopo percipiant, prout constat ex dictis *n. 448.* An autem possint in alijs causis spiritualibus non Sacramentalibus, quales sunt causæ Decimarum, Juris Patronatûs &c. controversum est. Affirmant Panorm. *in C. Significásti de Foro comp. n. 15.* Felinus *ibid. n. 1.* Decius *ibid.* aliíque, quos allegant Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 3. n. 206.* & Oliva *de Foro Ecclesiæ p. 3. q. 14. n. 83.* Rationem dant: quia *cit. C. Significasti* solùm Clericis prohibetur, ne alieni Judicis Ecclesiastici Jurisdictionem in se prorogent. Laicis autem nec ibi nec alibi id prohibitum est. Verùm prohibitio ista etiam quoad laicos contineri videtur *C. 3. de Parochis & alien. Parochian.* ubi dicitur: *nullus Episcopus alterius Parochianum judicare præsumat: nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest.* Ubi paritas instituitur inter collationem Ordinum Ecclesiasticorum, & inter causarum cognitionem: atqui certum est juxta dicta *n. 449.* non posse Episcopum alienos subditos ordina-

re

re absque consensu proprij ipsorum Episcopi: ergo eosdem nec poterit judicare. Eadem habentur *Can. Nullus 1. 9. q. 2.* Unde etiam laicos in nulla causa prorogare alieno Judici Ecclesiastico Jurisdictionem sacram absque consensu proprij posse, tenent Hostiens. & Joan. Andreas *in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Idémque Hostiens. *in Summa Tit. de Foro comp. n. 14. V. Et numquid laicus*, Ant. Butrio *in cit. c. significâsti n.* 10. Geminian. ac alij. Addit Oliva *l. c. n. 84.* ita praxi observari.

452. A fortiori Clerici alieno Episcopo absque consensu proprij nec in spiritualibus nec in profanis causis Jurisdictionem prorogare possunt: cùm hoc ipsis expresè sit prohibitum, ut fusiùs dictum est suprà *n.* 412. Idémque tenendum est de Regularibus aliisque quibuscunque personis Ecclesiasticis juxta communem DD. excepto casu, de quo suprà *n.* 415. Et quidem sive laicus in causa sacra, sive Clericus in sacra aut profana, jurisdictionem absque consensu proprij Judicis Sacri alteri prorogent, prorogatio, & per consequens processus & sententia non valebunt. Ubi enim deficit jurisdictio, ibi invalidus est processus & sententia. At deficit jurisdictio, ubi prorogatio locum non habet, cùm dari illa nequeat, nisi per prorogationem legitimè factam. Ita tenet Panorm. *in cit. C. significâsti de Foro compet. n.* 21. ubi dicit esse communem. Quin communis pariter receptáque doctrina est contra Glossam *in cit. C. significâsti V. Clerici,* non convalescere & validari sententiam ab alieno Judice Ecclesiastico latam, tametsi postea accedat ratihabitio proprij.

453. Sed jam quæstio supereſt de Laicis, utrùm in causa temporali ad Judicem laicum pertinente, hoc relicto, Judici Ecclesiastico prorogare iurisdictionem possint. Posse supponit Mindanus *L. 1. de Proceſſ. formand. c.* 11. *n.* 4. & 5. ac passim alij, nullo, de quo mihi constet, negante, & solo Bocero dubitante. Obstare tamen videtur textus *C. Ex tenore 11. de Foro compet.* ubi cùm quædam femina causam profanam introduxisset apud Judicem Ecclesiasticum, ad querelam Comitis Britanniæ causa ad ipsum remis-

remissa fuit tanquam ad Judicem competentem. Nec causas profanas etiam Viduarum recipi à Judice Ecclesiastico vult ibidem Pontifex, nisi ipsis à Judice Seculari negetur justitia. Verùm ibi sermo est solùm de ea Vidua, quæ causam profanam absque consensu adversarij proposuit coram Tribunali Sacro. Unde nihil obstat, quò minùs laici mutuo consensu possint in causis etiam profanis adire Judicem Sacrum. Præcipuè cùm olim, & quidem primis etiam Ecclesiæ Seculis Episcopi passim causas etiam profanas inter laicos deciderint, uti patet ex Concilio Carthagin. III. *Can. 9.* qui refertur *Can. Placuit 43. 11. q. 1.* Anacleto Pontifice *epist. 1. in fin.* & *L. 1. C. Theodos. de Episcopali Judicio*, ubi Constantinus statuit, ut *quicunque litem habens, sive possessor sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi sententia, judicium eligit Sacrosanctæ Legis Antistitis, illico fine aliqua dubitatione, etsi alia pars refragetur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur.* Eandem jurisdictionem sequentibus Seculis exercuisse Episcopos apud Visigothos, constat ex Cassiodoro *L. 3. epist. 37.* nec non apud Gallos ex *L. 7. Capitul. 107.* Et S. Augustin. *in Psal. 118.* & *epist. 147.* fatetur, laicorum lites ad fastidium & magnâ suâ molestiâ ad se identidem deferri, & judicari. Idem de se testatur S. Ambrosius *epist. 24.* Complura alia hac super re congerunt Baronius *ad annum Christi 57. n. 24.* Filesacus *in C. 1. de Offic. Judic. Ordin.* Rousselius *L. 6. Histor. Pontifi. Jurisdict. c. 1. & 2.* Josephus Stephanus *de Potest. Clavium L. 1. c. 12. n. 9.* Germonius *L. 2. Sacr. c. 12. & 13.* Emman. Gonzalez *in cit. C. 1. de Offic. Judic. Ordin. n. 6.* & *in C. 2. de Judic. n. 7.*

454. An verò laicus à sententia Judicis Ecclesiastici, cui in causa profana jurisdictionem prorogavit, provocare possit ad Judicem secularem, dubitatur. Affirmat Mindanus *l. c.* tum quòd renunciatio Fori competentis, uti omnis alia renuntiatio, odiosa est, ac idcirco ultra mentem renuntiantis non extendenda. *L. 1. ff. si quis in jus vocat. non jer.* & *L. eum 13. ac L. ult. ff. de Jurisdict.*

tum

tum quòd reductio cujusvis rei ad ſtatum priſtinum eſt favorabilis. *L. Voluntate 10. ff. quib. mod. pign. vel hypotheca ſol. L. Si unus §. Pactus ff. de Pactis.* Verùm hæc opinio rejicienda eſt. Nam appellatio non datur, niſi ad Judicem ſuperiorem illo, à cujus ſententia appellatur. *L. 1. §. penult. ff. de Appellat. L. 1. prin. ff. Quis & à quo appelletur. C. Dilecti 66. de Appellation.* At Judex ſecularis non eſt ſuperior Judicis Sacri. Forétque admodum abſurdum & monſtroſum, ut ait Bocerus *de Jurisdict. c. 7. n. 39.* ſententiam datam à Judice Eccleſiaſtico, poſtmodum per appellationis viam cenſuræ ſubjici Judicis ſecularis. Accedit, quòd juxta *cit. C. Si duobus 7. §. Denique de Appellat.* à Civili Judice, qui non eſt de temporali jurisdictione Eccleſiæ, appellari non poteſt ad Papam. Multò igitur minùs à Judice Sacro appellari poterit ad ſecularem. Neque valet prior illa ratio Mindani: nam etſi renuntiatio ſit de ſe odioſa, non tamen derogari debet Juri communi, quo ſtatutum eſt, ut appellatio fiat ad Superiorem, qualis, ut dixi, reſpectu Eccleſiaſtici non eſt laicus. Neque ſecunda: eſt enim intelligendum illud axioma de reductione rei ad priſtinum ſtatum, de ea re, quæ Jure permittente ad priſtinam ſuam cauſam redire poteſt; non de alia. *argum. L. Adeò 7. §. cùm quis ex aliena v. eſt tamen. ff. de Acquir. rer. domin. §. cùm aliena v. & poſt multam Inſt. de Rer. diviſion.* Pariter non valent rationes Boceri *l. c. n. 35.* in dubium vocantis, an laicus in cauſa profana prorogare poſſit jurisdictionem Judicis ſacri. Ut Eccleſiaſtici litigatores, ait, ſua in cauſa prorogare nequeunt jurisdictionem ſecularem, ita viciſſim nec laici in ſua cauſa ſeculari prorogare jurisdictionem Eccleſiaſticam poſſe videntur. Sed mala eſt hæc ſequela. Ideò enim ſeculari Judici Clericus prorogare in ſe jurisdictionem nequit, quia is jurisdictionem ſpiritualem, qualis requiritur ad judicandum Clericum, nec habet, nec ejusdem, absque conceſſione SS. Pontificis, eſt capax. Eſt verò capax jurisdictionis in cauſis profanis Judex Eccleſiaſticus, & conſtat, eam à Prælatis Eccleſiæ paſſim exerceri. Addit, Clericis vetitum eſſe ſe immiſcere

negotijs ſecularibus *Can. Epiſcopus diſt. 88.* nec Eccleſiaſticos ſecularia negotia curare. *Can. 1. & ſeqq. 21. q. 3.* Verùm hoc intelligendum eſt de caſu, quo id fieret absque juſta & rationabili cauſa, & niſi aliud ſuadeat charitas. Aliàs dicendum foret (quod eſſet impium dicere) S. Ambroſium, S. Auguſtinum, aliósque ſanctiſſimos Eccleſiæ Præſules, peccâſſe cauſas profanas ſuorum Diœceſanorum decidendo, quas frequentiſſimè deciderunt, ut oſtenſum eſt *num. præced.*

455. Hucusque de cauſis Eccleſiaſticis quoad Judicem ſecularem, & de ſecularibus quod Judicem Eccleſiaſticum: nunc univerſim de cauſis Judici utrique communibus agendo dubitatur, an in cauſa appellationis locum habeat prorogatio, ſeu utrùm relicto ſuperiore Judice, ad quem provocandum de Jure foret, quispiam alius adiri poſſit. Negandum eſt cum Baldo *ad tit. de Pace Conſtantiæ col. 13. V. ſecundùm mores.* Alexand. *in Addition. ad Bartol. in L. 2 prin. ff. de Judic.* Speculat. *Tit. de Appellat. §. Nunc tractemus V. Quid ſi defacto.* Felin. *in C. P. & G. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg. n. 7.* Maranta *in Praxi Judic. p. 4. diſt. 12. n. 22.* aliorúmque communi. Quia appellatio fieri gradatim debet, hoc eſt, à Judice inferiore ad ſuperiorem. *L. 1. §. penult. ff. de Appellat. & L. 1. princ. ff. Quis & à quo appelletur. C. Dilecti 66. de Appellat. L. Imperatores 21. ff. eod.* Nihil tamen obſtat, quò minùs relicto Judice inferiore primæ inſtantiæ prorogari jurisdictio poſſit Judici appellationis, & coram ipſo in prima inſtantia agi. Nec enim in tali caſu datur appellatio, quæ gradatim facienda eſt, ſed agitur prima inſtantia, in qua, paucis caſibus exceptis, licita eſt prorogatio, & reus juri ſuo, videlicet fori præſcriptioni, liberè renuntiare poteſt. *L. penult. ff. de Pact. L. ſi quis in conſcribendo 51. C. de Epiſc. & Cleric.*

456. Similiter dubitatur de cauſa Feudali, an ſcilicet in ea prorogari jurisdictio poſſit alieno vel feudali vel allodiali Judici. Affirmant aliqui, quos tacito nomine refert Bocer. *de Jurisdict. c. 7. n. 30.* Negat communiſſima DD. teſtatúrque Oliva *p. 3. de*

*Foro*

*Foro Eccleſ. q. 14. n. 115.* ſe nullum contradictorem inveniſſe. Mihi quoque non licuit ullum invenire. Rationem dant: quia *§. ult. tit. 55. L. 2. Feud.* ait Frideric. Imperator: *Si inter duos Vaſallos de Feudo ſit controverſia, Domini ſit cognitio, & per eum controverſia terminetur.* Quin dubitat Schraderus *p. 10. de Feud. ſect. 3. n. 133.* utrùm etiam conſentiente Feudi Domino prorogatio in cauſa feudali fieri poſſit, adductis non paucis rationibus: quæ tamen tanti ponderis eſſe non videntur, ut propter eas à communi & unanimi DD. ſententia (de qua ipſemet teſtatur *l. c.* ac propterea contrarium aſſerere non audet) recedatur. Nec immeritò aſſerit Bocer. *cit. n. 30.* §. *Etſi verò*, non eſſe dubitandum de prorogationis valore cum conſenſu Domini factæ; cùm enim quilibet juri pro ſe introducto derogare poſſit, *L. ſi quis 51. C. de Epiſcop. & Cleric. L. penult. C. de Pact.* non eſt ratio, cur hoc non poſſit etiam Feudi Dominus, utpote in cujus favorem ſtatutum eſt, ut de cauſa Feudali nemo alius, quàm ipſe, cognoſceret, eò quòd ipſius plurimùm interſit, ſententiam inter Vaſallos ritè ferri, utpote per quam ipſe æquè, ac Vaſallus condemnatus, lædi poſſet. Quod porrò idem Schraderus *l. c. n. 142.* ex Panorm. Barbat. Præpoſit. Curt. Jun. ac alijs addit, Domino Feudi à Vaſallis prorogari jurisdictionem ad cauſas ſive lites non feudales non poſſe, intelligendum eſt de illo Feudi Domino, qui vel nullam aliam jurisdictionem, niſi feudalem, vel certè in eo genere cauſæ, in quo facienda foret prorogatio, non habet. Si enim aliàs jurisdictionem habet ordinariam, & quidem ejusdem generis, cujus eſt illa, quæ ipſi prorogaretur, nihil obſtat, quò minùs ipſi æquè, ac alteri Judici ordinario, prorogetur. Cæterùm dictam regulam de nullitate prorogationis in cauſa feudali, Felin. *in C. Cæterùm 5. de Judic. à n. 6.* limitat tredecim modis, ſeu, ut vocat, fallentijs. Verùm nulla ferè earum huc pertinet, cùm ſint tantùm ij caſus, in quibus Dominus Feudi jus dicere in cauſa Feudi nequit, v. g. quando Vaſallus omnino negat ipſum eſſe Feudi Dominum, aut Vaſalli conten-

tendunt de aliqua re non feudali, aut unus Vasallus cum Domino, aut hic esset suspectus &c. Idem dicendum est de limitationibus, quas hîc affert Socin. *Tract. de Regul. V. Jurisdictio.*

457. Quemadmodum verò causa feudalis inter Vasallos agitata prorogari nequit,, quia reservata est Domino Feudi: ita universim prorogari nequeunt, quæ sunt reservata Principi, tametsi prorogatio fiat in habentem æqualem potestatem & prærogativam. Ita communissima DD. per textum *C. per venerabilem § insuper Qui filij sint legitim. junctò §. fin. in Authent. quib. mod. natural. efficiunt. sui collat. 7.*

458. Ob eandem rationem locus non est prorogationi in causa, quam Princeps ad se avocavit: nisi hic consenserit. Cùm enim reservata Principi, ut modò dictum est, prorogari nequeant, consequens est, neque illa prorogari posse, quæ ad se avocavit: cùm avocando sibi reservârit. Ita Baldus *in C. 1. §. Præterea de prohibit. alien. Feud.* Felin. *in C. P. & G. de Offic. & Potest. Judic. Deleg.* Maranta *in Praxi Judic. p. 4. dist. 12. n. 26.* Unde communiter receptum est, quòd exempti per SS. Pontificem non possint prorogare jurisdictionem Ordinarij Judicis absque licentia ipsius Pontificis, non ea solùm ratione, quòd Clericus absque licentia sui Superioris ac Ordinarij (qui respectu Exemptorum est solus Papa) prorogare jurisdictionem alterius Judicis etiam Ecclesiastici nequit: sed etiam, quia SS. Pontifex illos eximendo à Jurisdictione Ordinarij, & eorum causas sibi reservando, tacitè disposuit, ne illi sine ipsius voluntate alium Judicem inferiorem adirent.

459. Habent tamen ista, quæ modò de avocatione dicta sunt, aliquâ distinctione & explicatione opus. Ut verò ritè & absque confusione (quæ Doctoribus hîc passim obrepit) procedatur, prænotandum est, quòd avocatio fieri potest vel expressè vel tacitè. Expressè fit, quando Superior inferiori Magistratui præcipit, ut huic vel illi causæ se non immisceat, ejúsque cognitionem

non

non aſſumat, vel ut à cœpto jam negotio deſiſtat, & ad ſuum avocantis tribunal remittat. Tacitè fit avocatio, quando Superior manum apponit, & de cauſa vel ipſe cognoſcit, vel eam alicui delegat, ſive introducta jam fuerit apud Ordinarium Judicem inferiorem ſive non. Deinde fieri poteſt avocatio vel in favorem partis utriusque vel alterutrius partis litigantis (uti plerumque contingit) ídque aut motu proprio, aut ad inſtantiam partis,; vel non in favorem partium, ſed aliam ob cauſam, v. g. quia eſt ſuſpicio colluſionis cum Judice inferiore, vel quia in hac cauſa diffidit Princeps peritiæ, vel æquitati, vel fortitudini Judicis inferioris. Tandem avocatio fieri poteſt ſimpliciter, ſolùm præcipiendo Judici, ut hanc illámve cauſam non aſſumat cognoſcendam, vel in ea non pergat ulteriùs, ſed ad Superiorem remittat: aut cum clauſula irritante, videlicet addendo irritum fore & eſſe, quidquid poſt inhibitionem attentaverit.

460. His prænotatis dicendum eſt: quando Superior cauſam ad ſe avocat à Judice inferiore, non in favorem partium, ſed alia de cauſa, ídque vel expreſsè vel tacitè, non poſſunt illæ prorogare jurisdictionem. Sic tenent omnes, patétque ratio ex hactenus dictis: quia hîc non agitur de ipſarum favore, cui renunciare poſſint; ſed de tertij vel publico, cui nemo privatus ſuo pacto derogare poteſt. Sed dubium eſt, utrùm avocatio irritum reddat, quidquid poſt eam à Judice inferiore avocationis etiam ignaro actum fuerit. Affirmant Panorm. Imola, Franc. ac alij apud Covarr. *Pract. qq. c. 9. n. 7. concluſ. 2.* ſi avocatio, ut aiunt, motu proprio facta ſit, tametſi absque clauſula irritante. Rectiùs tamen idem Covarru. *l. c.* cum alijs tenet, non eſſe invalida acta Judicis inferioris, quamdiu avocationis à Superiore factæ ignarus eſt. *arg. C. ſanè 2. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg.* & *L. Hæc autem §. Non defendit ff. Quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* Niſi clauſula irritans fuerit addita: avocatio enim cauſæ cum hac clauſula facta operatur, ut acta Judicis inferioris poſt illam, etiam ignorantis, ſint omnino irrita, uti patet ex *C. Si poſtquam 13. C. Dudum*

*14. §. Considerantes*, & *C. Quodam 40. de Præbend. in 6.* tenétque Gloſſa communiter recepta *in C. 1. de Conceſſ. Præb. in 6. V. Referri.*

461. Jam verò agendo de avocatione factâ in gratiam partis, ſtatuendum eſt cum Bald. *in L. 1. C. Ut lite pend.* Innocent. *in C. Audita de Reſtit. Spoliat.* Panorm. *in C. Cæterùm de Reſcript.* & *ibid.* Felin. *n. 11.* & *12.* Dominic. *in C. 1. §. Ex parte de Conceſſ. Præbend. in 6. n. 12.* Covarr. *cit. n. 7. concluſ. 1.* Lancellot. *de Attentat. c. 10. n. 18.* per eam non ſuſpendi vel tolli Judicis inferioris poteſtatem, donec pars, in cujus gratiam avocatio facta eſt, eâ uti velit, & cauſam coram Judice ſuperiore agitandam dicat. Cùm enim favori pro ſe introducto renuntiare poſſit, ídque facere cenſeatur, niſi reſcriptum, quo cauſa ab inferiore Judice avocatur, producat, séque eo frui velle oſtendat, conſequens eſt, quòd jurisdictionem Judicis inferioris agnoſcat, & conſequenter acta valeant. Limitant quidem Panorm. Felin. Dec. aliíque, quos refert Gabrielius *L. 6. Commun. Opin. tit. de Clauſulis concluſ 3. n. 8.* aiúntque, hoc non procedere, quando decretum avocatorium habet clauſulam irritantem: per hanc enim omnem jurisdictionem adimi Judici inferiori autumant; háncque proinde â parte litigante dari non poſſe, eò quòd partes, ut multoties jam dictum eſt, non conferant jurisdictionem, ſed priùs jam exiſtentem ſolùm prorogent, ſeu extendant. Verùm non placet hæc reſtrictio. Abſolutè itaque aſſero cum Dominic. *l. c.* Felin. *in C. Cæterùm de Reſcript. n. 19.* Dec. *ibid. n. 6.* Covarr. *cit. concluſ. 1.* Tiraq. *in L. Si unquam V. Donatione largitus C. de Revocand. donation. n. 321.* Menoch. *de Arbitrar. caſu 1. n. 7.* non obſtante clauſulâ irritante liberum eſſe parti, in cujus gratiam reſcriptum avocatorium emanavit, coram Judice inferiore cauſam introducere, vel introductam continuare. Nam ſicut ipſum reſcriptum cauſam avocans non niſi in gratiam partis datum eſt, ita ut Princeps hoc ſuo favore uti quidem conceſſerit, non tamen cogere intenderit: ita pariter clauſula irritans, quæ apponitur, in ejusdem partis favo-

rem

rem adijcitur, videlicet ut irriti sint omnes actus Jurisdictionis in partem invitam exercitæ. Quin ulteriùs dico contra Panorm. Felin. Dec. ac aliorum communem *in cit. C. Cæterùm de Rescript.* valere acta Judicis inferioris parti volenti jus dicentis, tametsi motu proprio & non ad instantiam partis emanârit rescriptum avocatorium etiam cum clausula irritante: dummodo constet, in gratiam partis emanâsse. Manet enim etiam hîc illa regula, quòd quilibet favori pro se introducto possit renuntiare, & quòd Princeps non obtrudat suos favores invitis, nec cogat jis uti, sed solùm concedat. Quamdiu igitur pars, in cujus favorem rescriptum emanavit, & quæ scit illud emanâsse, eo uti non desiderat, sed coram Judice inferiore litigat, tamdiu valent acta, quia non deficit jurisdictio, uti patet ex *cit. C. Audita de Restitut. Spoliat.*

# CAPUT II.

## De Foro Delegationis.

### §. I.

### *Forum Delegatum quid sit.*

SUMMARIUM.

462. *Discrimen inter Jurisdictionem Ordinariam & Mandatam explicatur.*
463. *Traditur modus discernendi unam ab altera.*
464. *In dubio præsumitur Jurisdictio esse Ordinaria.*
465. *Forum Delegatum est, quando Jurisdictio Mandata exercetur.*

462. Non semper Judices Ordinarios Jurisdictionem in subditos per semetipsos exercere, sed alijs exercendam committere notum est. Qua ratione cùm tenear comparere coram Judice, quem Jura non dederunt, sed quem sors extra ordinem obtulit, idcirco Forum hujusmodi est Extraordinarium, æquè ac illud, quod

quod ipse efficio, Judici non meo jurisdictionem in me prorogando. De hoc Foro antequam agamus, prælibari aliqua de Jurisdictione necesse est. Celeberrimâ hæc distinctione dividitur in *Ordinariam* & *Mandatam*. Illam *Propriam* dicunt, hanc *Impropriam* & *Alienam*. Propria est, quæ eam habenti competit vel jure Magistratûs, quem gerit, vel auctoritate specialis Legis aut Constitutionis Principis. Sive: est Jurisdictio, quam quis ex munere suo ad hoc institituto & suo nomine exercet. *L. 1. prin. ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisdict. L. More 5. & L. seq. ff. de Jurisdict.* Talem habent Imperator, Reges, aliique Principes in suo territorio, Episcopus, Capitulum Sede vacante, Legatus Apostolicus, Archidiaconus, Archipresbyter, Vicarius Generalis &c. *Aliena Jurisdictio est, quam quis ex mandato alterius, cui ea competit, vicariam præstando operam exercet*, ut ait Bocerus *Tract. de Jurisdict. c. 6. n. 3.* vel, ut definit Gregor. Tholosan. *L. 5. Partition. Jur. Canon. tit. 5.* est *Jurisdictio mandata, quam quis non suo, sed alterius nomine ac beneficio exercet.* Sed cùm etiam Judices Ordinarij à Principe dati, nomine ac beneficio ipsius, vicariámque ei operam præstando ac ex ejusdem mandato jurisdictionem exerceant; idcirco præplacet definitio, quam dat Molina *tr. 5. de Justit. disp. 14. n. 1. Est potestas, quæ non ex proprio munere, sed ex commissione mediata vel immediata alterius, qui id ex proprio munere habet, jurisdictionem exercere potest.* Desumitur ex *cit. L. 1. §. qui mandatum*, & *L. 3. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Dicitur *Potestas, quæ non ex proprio munere* &c. Quâ ratione distinguitur à Jurisdictione Propria & Ordinaria, utpote quæ ex proprio munere exercetur. Dicitur: *ex commissione mediatâ vel immediatâ.* Cùm supremi Principis Delegatus, ut mox dicetur, subdelegare possit: quo casu subdelegatus jurisdictionem habet ex commissione solùm mediata. Dicitur: *alterius, qui id habet ex proprio munere.* Quo modo distinguitur Delegatus ab Arbitro: hic enim ordinariè non accipit decidendi potestatem ab eo, qui jurisdictionem ex pro-

proprio munere habet, sed à partibus, quæ sibi illum in Judicem deligunt, non refragante Lege, sed annuente.

463. Ut verò alias definitiones, quas vel Theologi vel Juristæ, vel Medici aut Philosophi, suis quique objectis adaptant, non est expeditum ad casus particulares applicare, indéque singulas species definitas eruere; ita pariter ex data Jurisdictionis Mandatæ definitione non illicò apparet, quænam in specie Jurisdictio Ordinaria sit, aut Delegata. E. g. dubium adhuc restat, sitne Ordinaria Jurisdictio Administratoris Ecclesiæ alicui à SS. Pontifice dati, item Judicum Austregarum (de quibus suprà n. 315.) an Delegata. Itaque ad eas in casibus specialibus discernendas, aliam quampiam regulam statuere placet cum Bartol. *in cit. L. 5. ff. de Jurisdict. n. 8.* Panormit. *in C. L. Relatum. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 5.* Molina *cit. disp. 14. n. 3. & 4.* & Cardin. de Lugo *L. 1. Respons. Moral. dub. 46.* Illa est Jurisdictio Ordinaria, quam confert Lex, Consuetudo, aut Princeps, committendo negotiorum universitatem, & nullam clausulam apponendo, quâ moneat accipientem, ut non propriâ, sed Principis conferentis auctoritate procedat. Cujusmodi clausula foret: *Nostra auctoritate facias, Appellatione postpositâ procedas.* Cùm enim, ut ponitur, negotium tale sit, in quo alioqui appellatio ad Superiorem admittenda foret, signum est, quòd dum ea excluditur, non detur Jurisdictio Ordinaria, à qua cæteroquin licitum est appellare.

464. Si dubium est, an Lex vel Princeps voluerit conferre Jurisdictionem Ordinariam, an Delegatam, præsumitur contulisse Ordinariam ad universitatem causarum: quia censetur creare Officium & Magistratum, cui sit annexa talis Jurisdictio. Hinc quia inferiores Magistratus non possunt creare Officia & novos Magistratus publicos (nisi ex Principis vel Legis consensu, prout Episcopus constituit Vicarium, ut cum ipso idem tribunal & jurisdictionem habeat) conferunt Jurisdictionem solùm Delegatam, quando cuipiam potestatem cognoscendi & judicandi tribuunt.

465. Ex dictis consequens est, quòd sicut Judex Ordinarius est, qui ex munere & officio proprio Jurisdictionem exercet; Delegatus verò, qui non ex officio proprio, sed ex commissione sibi facta & dato mandato: ita si forum accipiatur pro loco exercendarum litium, prout accipi diximus *n.* 2. Forum Delegationis sit tribunal vel locus, ubi Jurisdictio Delegata seu Mandata exercetur. Si verò Forum sumatur pro ipso Judicio juxta dicta *n.* 3. Forum Delegatum dicendum erit Judicium à Judice Delegato institutum. Si denique juxta dicta *cit. n.* 3. per Forum intelligatur ipsa Jurisdictio & judicandi potestas, eadem erit ejusdem definitio, quâ modò Jurisdictionem mandatam descripsimus.

## §. II.

## *Jurisdictionem delegare quis possit.*

### SUMMARIUM.

466. *Ordinarius Judex Jurisdictionem mandare potest, nisi à Lege vel Principe id ipsi specialiter sit vetitum.*

467. *Non tamen totum suum Officium absque consensu Superioris committere alteri.*

468. *Delegatus summi Principis subdelegare potest, tametsi ad unam tantùm alteràmve causam determinatam sit delegatus, & non ad universitatem.*

469. *Nisi sit electa personæ industria.*

470. *Ex eo solùm, quòd Delegatus jussus est personaliter exequi negotium, non censetur electa personæ industria.*

471. *Subdelegatus non potest subdelegare.*

472 *Delegatus ab alio, quàm à Principe, subdelegare nequit.*

473. *Nisi sit delegatus Proconsulis, aut Legati à latere.*

474. *Aut delegatus ad universitatem causarum.*

475. *Jurisdictio ratione Dignitatis aut Officij delegata in genere, potest in certis casibus subdelegari.*

476.

476. *Delegatus Ordinarij Principe inferioris de Jure non potest subdelegare, tametsi à Delegante id ipsi concedatur.*
477. 478. *Respondetur ad opposita.*
479. *Contrarium praxi receptum est.*
480. *Potest quivis Delegatus actum non jurisdictionalem alteri committere.*

466. Ad quæstionem, quis delegare Jurisdictionem possit, sic respondet Julian. *L. 5. ff. de Jurisdict. More Majorum ita comparatum est, ut is demum Jurisdictionem mandare posit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet*, id est, qui Ordinariam & non Mandatam Jurisdictionem haberet. Ita pariter respondet Ulpian. *L. solet 16. & L. Prætor 17. ff. eod.* Quia videlicet *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. reg. Jur. 68. in 6.* Concordat textus *C. Cum Episcopus 7. V. per se vel per alium de Offic. Judic. Ord. in 6.* Ut adeò Judex omnis Ordinarius suam Jurisdictionem alteri mandare possit; nisi vel à Lege vel à Principe id ipsi specialiter vetitum sit. Neque enim verum est, quod Fachin. ait *L. 1. Controvers. c. 45.* majoribus duntaxat Magistratibus delegandi potestatem tributam esse *L. Cùm Prætor 12. ff. de Judic.* Ibi enim Proconsul, Legatus, Præfectus Urbi, aliíque Romæ Magistratus tantùm exempli causâ ponuntur, neque vel ibi vel alibi Magistratus illis expressis minores excluduntur. Oportet tamen, ut qui delegat, actu Jurisdictionem Ordinariam ipse habeat. Hinc cùm Proconsul, vel Legatus, Jurisdictionem, antequam Provinciam ingrediatur, non habeat, eam ante ingressum mandare nequit. *Est enim perquam absurdum* (ut ait Ulpian. *L. Observare 4. §. 6. ff. de Officio Proconsul.*) *antequam jurisdictionem ipse nanciscatur* (*neque enim priùs ei competit, quàm in eam Provinciam venerit*) *alij eam mandare, quam non habeat.*

467. Sed nec ipse Judex Ordinarius Principe inferior totam suam Jurisdictionem alteri delegare, seu totum suum officium committere potest absque consensu SS. Pontificis alteriúsve supremi Principis. *L. penult. ff. de Offic. Præsid.* Alexand. *in L. A*

*Judice C. de Judic. n. 8.* & Jason *ibid. n. 8.* Felin. *in C. super quæstionum §. si verò de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Tum quia committendo totam suam Jurisdictionem, non tam censeretur eam mandare, quàm omnino abdicare: quod sine consensu Principis non potest. *L. penult. junct. Gloss. V. Abdicando ff. de Offic. Præsid.* Tum quia hac ratione Judicem alium Ordinarium constitueret: quod tamen est inter regalia Principum, ut constat ex *L. 2. Feudor. tit. 56. quæ sint regalia c. un.* ubi inter regalia Principi reservata enumeratur potestas constituendorum Magistratuum ad Justitiam expediendam.

468. Sed dubium jam est, an sicut Ordinarius, ita & Delegatus Judex delegare, seu potiùs subdelegare possit. Dicendum est: Delegatus à Principe subdelegare potest. Ita habetur *C. ult. prin. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* & *L. 5. C. de Judic.* ibi: *à Judice Judex delegatus Judicis dandi potestatem non habet, cùm ipse judiciario munere fungatur: nisi à Principe Judex datus fuerit.* Ubi per Principem intelligitur Supremus, seu alium Superiorem non habens, uti SS. Pontifex, Imperator, Reges, Respublicæ liberæ, neminíque subjectæ: non autem Principes inferiores, uti observant Glossa *in C. super quæstionum de Offic. & potest. Judic. Deleg. V. Delegare*, ac passim DD. Rationem dant: quia supremi Principis Delegatus seu Commissarius, in causa sibi commissa major est quolibet Ordinario. *C. Sanè quia nos 11. eod.* & *C. Cùm contingat 24. de Rescript.* Ordinarius autem subdelegare potest. *L. un. C. qui pro sua jurisdict. L. More majorum 5. ff. de Jurisdict.* Idem ergo poterit Commissarius supremi Principis. Hanc assertionem Scipio Gentilis *Tract. de Jurisdict. L. 2. c. 13.* & Bocerus *eod. tract. c. 6. n. 31. v. Hæc tamen*, eo solùm casu admittunt, quo Princeps universitatem causarum quodam in territorio sive districtu alicui commisit. Verùm cùm nec Legem aliquam aut Canonem, nec congruam rationem hujus suæ limitationis afferant, absolutè tenendum est, posse Delegatum supremi Principis causam sibi commissam subdelegare, cùm *cit. C. ult.*

*ult.* & *L. 5.* universim loquantur, nec discrimen faciant inter Delegatum ad universitatem causarum, aut unam duntaxat alteramve causam determinatam.

469. Unus igitur tantùm casus excipiendus est, quo etiam sumi Principis Delegatus subdelegare non potest, quando videlicet electa fuit personæ industria. *C. si pro debilitate 3.* & *C. ult. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Quandonam personæ industria electa sit, colligi debet ex verbis delegationis, vel qualitate causæ delegatæ, ut si sit ex illis, quæ Principi in signum supremæ potestatis reservatæ sunt. Quòd si Pontifex Delegato committat, ut certæ alicui personæ provideat de aliquo Beneficio in aliqua Ecclesia, Diœcesi, vel Provincia, non censetur electa industria personæ: secùs, si jubeat provideri alicui personæ incertæ. Ita habetur *C. Is, cui 12. de Offic. & potest. Judic. Deleg. in 6.* Ex quo infert Dominic. quòd si testator executores constituat, quorum arbitrio & electione legata inter pauperes distribuantur, non possint isti mandatum hoc seu fideicommissum per alios exequi, cùm censeatur ipsorum industria & discretio electa. Secùs autem, si ipsemet testator certos pauperes aut pias Communitates, vel Ecclesias nominavit, quibus legata dari debeant.

470. At dubium restat, an censeatur electa personæ industria, quando Princeps mandavit, ut Delegatus personaliter negotium exequatur. Videtur absque dubio asserendum esse, in tali casu censeri debere electam esse personæ industriam: quam enim aliam ob causam præcipiat Princeps, ut ipse Delegatus personaliter negotium exequatur, nisi quia specialiter confidit ejus fidei & industriæ? Respondet nihilominus Pontifex *C. ult. eod. §. Is autem*, posse causam consentientibus partibus alteri subdelegari: præterquam si mandatum sit, ut inquisitio aliqua fiat, vel Ecclesijs provideatur de Prælatis aliisque Ministris: tunc enim censetur singulariter electa industria ac fides personæ, cui fit commissio. Cur autem secluſis his duobus casibus possit Delegatus summi Principis de consensu partium subdelegare, ratio est: quia

clausula illa, ut personaliter exequatur, in favorem partium adjecta est. At si clausula aut conditio commissioni adjecta est in favorem partium, harum consensu expresso vel tacito recedi ab ea potest, ut constat ex *cit.* §. *Is autem*, & dixi suprà *n.* 461. Sin autem illa ob publicam utilitatem adjecta sit, tum locum habet regula, quòd forma Rescripti exactè servari debeat: alioquin acta sint irrita. *C. Venerabili 37. de Offic. & potest. Judic. Deleg. C. cùm dilecta 22. de Rescript.*

471. Cùm verò supremi Principis Delegatus causam, ut modò dictum est, subdelegare possit, quæstio est, an pariter subdelegatus subdelegare possit. Respondetur, non posse. *arg. C. super quæstionum 27. §. si verò de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Tametsi verò jurisdictionem alteri committere nequeat, poterit tamen nudum ministerium, v. g. absolvendi, absque cognitione causæ subdelegare, ut cum Navarro *c.* 27. *Manual. n.* 45. observat Laym. *in C. ult. de Offic. Judic. Ordin. c.* 4. Dummodo ipse subdelegans Jurisdictione aliqua præditus sit, & non nudum ipsi ministerium commissum ad absolvendum, dispensandum &c. Id enim plerumque personaliter ipse exequi, & non alteri delegare debet, ut constat ex *C. ult. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* §. *Cæterùm*, ac notant Glossa fin. *in cit. C. ult. de Offic. Judic. ordin.* Innocent. & Joann. Andr. *n.* 3. ac Imola *n.* 2.

472. Posse delegatum summi Principis causam sibi delegatam subdelegare, hactenus dictum est. An idem possit Delegatus alius, nunc statuendum est. Non posse, deciditur *L. More* 5. *ff. de Judic. L. A Judice* 5. *C. eod. C. cùm causam de Appellat.* ex quibus Juribus regula generalis traditur, quòd delegatus ab alio, quàm à Principe, subdelegare non possit. Ratio est: quia Delegatus non habet plus juris, quàm ipsi mandatum sit; est autem ipsi mandata solùm jurisdictio, seu ut eam exerceat. Exercere verò jurisdictionem ac alij exercendam committere, diversa sunt, nec unum involvit alterum; ergò commisso uno non committitur & alterum. Accedit, quòd bonum publicum ac privatum

tum litigantium exigebat, ut non cuivis Delegato licitũ esset mandatam sibi jurisdictionem alteri mandare, quod multi Delegati vel laboris tædio, vel declinandæ invidiæ causâ facturi essent, substituto sæpè parùm perito aut æquo Judice.

473. Verùm hæc quoque regula suas limitationes patitur. Nam juxta Baldum *in cit. L. A Judice* ac Glossam *ibid. V. sed & contra*, ac alios, Delegatus Proconsulis subdelegare potest. *arg. L. Legatus 12. ff. de Offic. Proconsul.* Ex quo DD. cum eodem Baldo inferunt; quòd delegatus à Legato à Latere subdelegare possit: quia Legatus à Latere, dum in Provincia est, Proconsuli comparatur. *C. 2. de Offic. Legati in 6.* Sed huic assertioni non immeritò refragantur Glossa *in cit. L. Legatus sol. 3.* Felin. *in C. 3. de Offic. & potest. Judic. Deleg. col. 1.* Decius *ibid.* ac alij. Ad *cit. L. Legatus*, ubi asseritur, Legatum mandata sibi jurisdictione Judicis dandi jus habere, responderi potest, ideò Legatum Proconsulis unam alterámve causam subdelegare, quia est delegatus ad universitatem causarum: quod fieri posse à delegato ad universitatem causarum, mox dicemus. Ex quo non sequitur, quòd sicui à Proconsule vel Legato à Latere una causa commissa sit, is subdelegare possit.

474. Altera exceptio est, quòd si quis etiam ab inferiore Judice & Principe non supremo, delegatus sit ad universitatem causarum, unam vel plures causas in particulari, committere alteri possit: quia censetur veluti Ordinariam Jurisdictionem habere. Ita sumitur ex *L. 1. §. Ab eo ff. Quis & à quo appelletur*, traditque communissima DD. apud Sanchez *L. 1. de Matrim. disp. 31. n. 2.* Sed totam universitatem causarum alteri mandare non potest, cùm, ut paulò antè dictum est, officium totum, munúsque sibi commissum, nemo in alterum conjicere possit, absque Juris, vel Principis licentia. Cæterùm ad universitatem causarum delegatus dicitur is, cui non una vel plures causæ particulares, sed omnes, saltem in aliquo genere, v. g. Mutui, Decimarum, Matrimonij, commissæ sunt: quamvis restrictio foret

ret ad certum locum aut tempus, v. g. ut intra hoc territorium, aut intra annum omnes Mutui controversias decidat. Quòd si causæ restringantur ad certas personas, & particulares controversias, quæ sunt v. g. inter Titium & Cajum, non generalis, sed particularis delegatio erit, ut cum Baldo ac alijs observat Sanchez *cit. disp. 31. n. 4.*

475. Ex modò dictis consequens est, quòd si Episcopus Decano Rurali, vel Superiori Regularium Locali Generalis vel Provincialis, deleget facultatem absolvendi à peccatis reservatis, dispensandi &c. ídque ratione Dignitatis vel Officij, ita ut talis Jurisdictio delegata sit velut Ordinaria, ac ad Successorem transeat, is hanc facultatem in certis casibus alteri delegare possit. *C. ult. junct. Gloss. V. Casibus de Offic. Judic. Ordin.* & notat Navarr. *in Manuali c. 27. n. 45.* Secùs, si concessa fuerit illa facultas solùm ut privilegium personale, propter industriam ac peritiam Delegati, aut specialem Delegantis in ipsum favorem: subdelegare enim tunc nequit, cùm sit jus specialiter concessum personæ. Ex quo ulteriùs consequens est, quòd Cooperatores Parochorum, quibus delegata est facultas absolvendi à peccatis, assistendi Matrimonijs &c. alteri committere eam nequeant absque speciali consensu Ordinarij: propterea quòd hujusmodi facultates non ratione Officij, sed merè delegato & commisso jure ipsis competant. Neque delegatus ad universitatem causarum subdelegare potest, nisi ratione delegationis sibi factæ censeatur Officium velut ordinarium habere: quod de Cooperatoribus, suam operam veluti locantibus Parocho præsenti, dici non potest. Præterquam quòd facultas subdelegandi, quam delegatis ad universitatem causarum competere modò dixi, ex Jure, vel Consuetudine vim Juris habente, provenire debet. Consuetudo autem Ecclesiarum non fert, ut Cooperatores Parochorum sine eorum præsentium consensu alicui eam potestatem committant. Non ignoro, contrarium quoad Matrimonium teneri à Sanchezio *l. c. n. 21.*

*n.* 21. Sed quod dixi, satis evinci videtur ex Trident. *sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.*

476. Tertiam exceptionem faciunt Bartol. Alberic. Fulgos. Alexand. Zasius, aliique non pauci *in L. More 5. ff. de Jurisdict.* nec non Gloss. *in C. Is cui 12. de Offic. & potest. Judic. Deleg. in 6. V. per alium*, Panorm. *in C. cùm causam 62. de Appellat. n. 4.* Silvest. *V. Delegatus q. 8. dicto 3.* aliique complures, quos refert & sequitur Sanchez *l. c. n. 7.* ajúntque, posse cujuscunque Judicis Delegatum subdelegare, si hoc ipsi concessum fuerit à delegante, tametsi non sit delegatus ad universitatem causarum. Verùm dicendum est cum Archidiacono *in C. quamvis de Offic. & potest. Judic. Deleg. in 6.* Cardin. Zabarella *in Clement. 1. eod.* Molina *Tract. 5. de Justit. disp. 15. n* 4. Fachin. *L. 1. Controvers. c. 45.* ac alijs, non posse inferiorem Principe hanc subdelegandi potestatem concedere. Ratio est: quia Judicem dandi & subdelegandi potestas nemini competit, nisi cui à Lege vel Principe id concessum est: atqui eam potestatem Leges non dederunt Judicibus Principe inferioribus, sed potiùs negârunt, uti patet ex *cit. L. More 5. ff. de Judic. cit. L. A Judice C. eod.* & *cit. L. Cum causam.*

477. Neque obstat textus *C. 18. de Sent. & re judic.* ubi refertur subdelegatio facta ab eo, qui solùm erat delegatus ad causam particularem: nec illa subdelegatio improbatur. Nam respondetur: tametsi non reprobetur, nec tamen approbatur. Rationem, cur nullitatis non fuerit facta mentio, assignant Interpp. quia de nullitate subdelegationis non erat ibi quæstio, neque de illa à partibus aliquid fuit motum, ipsáque causa per appellationem jam fuerat devoluta ad Curiam Romanam, & nihil ampliùs ab illa delegatione dependebat.

478. Pariter non obstat, quam hîc faciunt, paritas cum Procuratore, qui accepta facultate substituendi, alium validè substituere potest. Idcirco enim mandans dare eam facultatem Procuratori potest, quia agit rem suam privatam, cui potest pro ar-

bitrio præjudicare. At verò delegans agit causam publicam & nomine Principis vel Reipublicæ, & idcirco plus non potest, quàm Jura ipsi indulgeant.

479. Verùm quia contraria opinio praxi recepta est, ut testatur Glossa *in cit. C. Is cui.* quòd videlicet Episcopi frequenter causas committant cum clausula *per te vel per alium*: idcirco Dominic. *in cit. C. Is cui in fine*, Felin. *in C. super quæstionum 27. §. si verò de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 18.* Laymannus *ibid. n. 10.* ac alij asserunt, quòd licèt inferior Principe committere non possit suo Delegato facultatem subdelegandi, possit tamen facultatem ipsi concedere, ut subdeleget nomine ipsius Ordinarij delegantis. Ut adeò tertius seu subdelegatus non accipiat jurisdictionem à secundo seu delegato, sed à primo, id est, Ordinario delegante. Qua de causa, ut ajunt, si appellatur à subdelegato, non ad Delegatum, sed ad Delegantem appellandum erit. Sed non apparet, quid interfit inter hunc subdelegandi modum, & illum alterum, de quo initio *n. 476.* nec minor jurisdictio exercetur in uno quàm in altero, ac utrimque evertitur illa regula, quòd delegatus à Judice, qui est Principe inferior, subdelegare nequeat. Cæterùm ex citata praxi consequens est, quòd licèt Cooperatores Parochorum alteri facultatem audiendi Confessiones committere non possint, ut diximus paulò antè *n. 475.* quia potestas absolvendi ipsis concessa est, non item potestas delegandi, ut notat Suar. *p. 3. tom. 4. disp. 26. sect. 1. n. 4.* possit nihilominus Parochus suo Cooperatori mandare, ut si v.g. in hac sua Ecclesia, ad quam ipsum mittit, confitentium copia requirat, quemcunque approbatum Sacerdotem nomine ipsius Parochi constituat ad Confessiones ibi excipiendas.

480. Quartò demum, tametsi Delegatus à non Principe alteri causam vel articulum causæ jurisdictionalem subdelegare nequeat, poterit tamen committere articulum non jurisdictionalem. Ita Maranta *in Speculo p. 4. dist. 5. n. 50.* cum Alexand. & Panorm. *in C. cùm super de Offic. & potest. Judic. Deleg.* & sumitur

ex

ex cit. C. 27. cod. v. Nos autem. Articulus Jurisdictionalis est, qui causæ cognitionem continet, ideóque Judicis personam requirit: non jurisdictionalis est, qui non requirit causæ cognitionem, sed nudum ministerium vel executionem aliquam habet, ac idcirco etiam in alia quàm Judicis persona fundari potest, juxta doctrinam Glossæ communiter receptam *in Clement. un. de Offic. & potest. Judic. Deleg. V. Judices.*

## §. III.

## *Jurisdictio delegari cui possit.*

### SUMMARIUM.

481. *Jurisdictio delegari etiam privatis potest. Delegatus tamen & Subdelegatus SS. Pontificis debet esse constitutus in aliqua Dignitate vel Personatu, aut esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.*
482. *Sufficit tamen Dignitas aut Præeminentia ad Superioris nutum auferibilis.*
483. *Delegari Jurisdictio potest etiam extraneo seu non subdito Delegantis.*
484. *Delegatus Supremi Principis cogere subditos Delegantis potest ad acceptandam subdelegationem.*
485. *Delegatus esse potest, qui nec naturâ nec Legibus prohibetur.*
486. *Minor 25. annis non potest esse Judex Ordinarius.*
487. *Potest tamen esse Delegatus.*

481. Delegari Jurisdictio non tantùm Magistratui potest, sed etiam privato, nullam priùs jurisdictionem habenti. *L. Etsi Prætor 3. & L. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict.* Dum enim mandatur Jurisdictio, datur & conceditur; non verò solùm extenditur & dilatatur, uti fit in Prorogatione. Delegatus tamen SS. Pontificis debet vel esse in Dignitate vel Perso-

natu constitutus, vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis. Ita statuitur *C. Statutum 11. prin. de Rescript. in 6.* Eædémque qualitates requiruntur in Subdelegato Summæ Sedis. *cit. C. Statutum §. in nullo 3.* nisi aliquis tantùm articulus causæ delegaretur, ut cum Glossa excipit Molina *l. c.* Hinc statuit Sancta Synodus Tridentina *sess. 25. c. 10. de Reform. in singulis Concilijs Provincialibus aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit* Statutum, *& alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum jis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ & Spirituales, & ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si interim aliquem ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem aut Diœcesanam Synodum: ita ut habeat quævis Diœcesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut suprà qualificatas, quibus hujusmodi causæ à quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcunque aliorum Judicum, alijs quàm bis factæ, surreptitiæ censeantur.*

482. Quamvis autem, ut modò dictum est, Delegatus SS. Pontificis esse nequeat, nisi qui in Dignitate aliqua Ecclesiastica vel Præeminentia constitutus, aut Canonicus est Ecclesiæ Cathedralis: sufficit tamen Dignitas aut Præeminentia, tametsi ad nutum Superioris sit auferibilis, uti patet cùm ex *Clement. 2. de Rescript.* tum ex eo, quòd passim delegationes fieri solent Vicarijs Generalibus Episcoporum, cùm tamen ad nutum Episcopi sint amovibiles. Pariter Delegatus esse potest Prior Conventualis, seu is, qui Congregationi Regularium præest cum jurisdictione, tametsi non sit per electionem constitutus, sed per alium Superiorem Regularem, ac ad nutum sit amovibilis. *cit. Clem. 2. & Statutum 11. de Rescript. in 6.* Nisi in aliquo Ordine Religioso peculiares Constitutiones obstent. Ratio est: quia Conventua-

lis

lis Prior & Superior dignitatem Ecclesiasticam gerit, cùm habeat præeminentiam cum jurisdictione super certo Collegij Corpore ac Congregatione Regularium. Prior verò, quem vocant Claustralem, seu qui Abbati, & Superiori locali subjectus est, esse Delegatus nequit, cùm non dignitatem, sed solicitudinem potiùs & curam Regularis disciplinæ gerere censeatur, ut notant Panorm. *in C. Nisi essent de Præbend. in 6.* ac alij. Similiter Cancellarius in Universitate Studiorum à Romano Pontifice approbata Delegatus Pontificis esse valet, ut cum Azor notat Laym. *in cit. C. Statutum n. 5.* Tametsi enim per se loquendo & præcisè vi Cancellariatûs, jurisdictionem non habeat, habet tamen Dignitatem, vel Personatum, seu præeminentiam Ecclesiasticam. Quòd si Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, postquam directæ ad eum sunt Papales Literæ, Religionem ingrediatur, eas nihilominus exequi potest, uti *in cit. C. Statutùm* docent Anton. *n. 14.* & Francus *n. 8.* Quia Status Religionis incapacem non reddit: dummodo licentia Prælati accedat. Et capacitas Delegati consideratur secundùm tempus factæ delegationis: quemadmodum in Delegante idem tempus attendendum est. *arg. reg. 73. Juris in 6.* & tradunt Speculator *p. 1. tit. 1. §. fin. n. 22. V. quid si causa*, Francus *cit. n. 8.* ac alij. Hinc à fortiori Summæ Sedis Legatus & Delegatus esse potest Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, tametsi Præbendam non habeat. Anton. *l. c. n. 3.* cum Joan. Andr. ac aliorum communi. Sumitur ex *C. si is cui 39. junct. Gloss. de Præbend. in 6.* ubi dicitur, si in Ecclesia statutum sit, ut Dignitas non conferatur, nisi Canonico, sufficere, si quis Canoniam habeat, etsi non Præbendam; secùs, si in in statuto expressè dicatur, ut illa Canonico Præbendato conferatur. Ratio est: quia non Præbenda, sed jus spiritualis Officij, Canonicum facit. Denique Romani Pontificis Legati ac Delegati esse possunt Professi alicujus Ecclesiæ Cathedralis Regularis, uti post Panorm. *in C. causam de Judic. n. 9.* notat Sanchez *in Decalogum L. 6. c. 13. n. 83.* contra Archidiacon. Ancharan. Franc. Dominic. Felin. ac alios: quia

& ipsi sunt Canonici Cathedrales, nec Statûs Religionis repugnat, eo ipso, quòd Abbates & Priores Conventuales, tametsi veri Religiosi sint, delegationes Pontificias suscipere possunt, ut modò dixi ex *Clement. 2. de Rescript.*

483. Quemadmodum verò mandari Jurisdictio potest etiam privato, ita mandari potest extraneo seu non subdito Delegantis. Sufficit enim causam esse de Jurisdictione Delegantis, licèt is, cui delegatur, non sit de ejus Jurisdictione. Cogi tamen non subditus non potest ad acceptandam delegationem: potest verò subditus. *C. Pastoralis 11. de Offic. Judic. Ordin. C. Pastoralis 28. prin.* & *C. Prudentiam 21. §. Adjicimus de Offic. & potest. Judic. Deleg.* & *L. un. C. Qui pro sua Jurisdict. Judices dare darive possunt.* Ipse quoque non subditus, postquam sponte acceptavit mandatum, cogi potest ad procedendum in causa delegata, uti sumitur ex *cit. C. Pastoralis* 11. ubi additur, non posse Suffraganeum cogi ab Archiepiscopo ad acceptandam delegationem in causa per appellationem ad Archiepiscopum devoluta.

484. Quin Delegatus Supremi Principis cogere ad subdelegationem acceptandam potest quemcunque subditum Delegantis, uti sumitur ex *cit. C. Pastoralis 28.* Ratio dari debet: quia Delegatus à Principe est major & dignior alijs Judicibus Ordinarijs, & in causa delegata ipsis imperare potest. *C. Sanè quia nos 11. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Non tamen debet sine urgente necessitate subdelegare Superioribus in Dignitate constitutis, uti additur *cit. C. 28.* Cæterùm circa hanc coactionem geminum dubium emergit. Primum movet Glossa *in cit. C. 21. V. Redarguendus:* quisnam Superior punire debeat Delegatum, si mandatum Apostolicum (idem est de mandato Imperatorio alteriúsque Superioris) nolit exequi. Et respondet, quòd Delegans, ad quem illa causa pertinet. Quam responsionem communiter receptam esse ait Imola *ibid. n. 40.* Quamvis Panorm. *ibid. in fin.* velit, quòd etiam ab immediato suo Ordinario perinde, ut alij criminosi, puniri possit, eò quòd mandatum sui Superio-

perioris exequi contempserit. Alterum dubium est, quomodo intelligendum sit, quod dicitur *cit. C. Sanè 11.* posse à Delegato ob contumaciam vel rebellionem Episcopi, si causæ gravitas exigere videatur, terram, quæ ad ejus jurisdictionem pertinet, interdicto subijci. Sufficere, terram esse subjectam Jurisdictioni spirituali Episcopi, nec requiri, ut sit subjecta temporali, asserunt Felin. *in cit. C.* 11. *n. 2.* Decius *n. 5.* Covarr. *in C. Alma Mater p.* 2. §. 1. *n. 4.* Suar. *de Censur. disp. 36. sect. 3. n. 7.* ac alij post Archidiacon. *in C. Si sententia 16. de Sent. Excomm. in 6.* E contrario opinantur cum Vincentio, Panormit. *in cit. C.* 11. *n. 6.* & Barbatia *col. 5.* terram interdicto subijciendam temporali Episcopi contumacis dominio debere esse subjectam. Quod placet etiam Laymanno *ibid. n. 2. §. Quod denique:* eò quòd *cit. C.* dicat Pontifex, quòd Delegatus terram ad Episcopi jurisdictionem *specialiter* pertinentem interdicto subijcere possit. Quasi diceretur, si terra alium dominum non habeat, sed Episcopi propria sit, tum interdici posse. Verùm hoc argumentum corruit, si textus ipse inspiciatur. Sic ille habet: *Ita quòd Judex* (Delegatus) *secundùm negotij qualitatem temperatè procedens, Episcopo vel ingressum Ecclesiæ, vel Sacerdotale Officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad Jurisdictionem suam pertinet, specialiter Interdicto supponat.* Ubi vides, adverbium *specialiter* non conjungi verbo *pertinet*, sed *supponat.* Unde præferenda est prior opinio, cùm posterior nec Jure nec ratione fundata sit. Nam *cit. C. Sanè* absolutè & absque distinctione inter Jurisdictionem spiritualem & temporalem dicitur, Judicem Delegatum Pontificis, si Episcopus ei obedire nolit, posse propter ejus contumaciam terram ejus jurisdictioni subjectam interdicto supponere. Neque est ulla ratio, ob quam subjectio temporalis ad hoc sufficiat, non verò spiritualis.

485. Quibus verò qualitatibus præditum esse oporteat, cui mandatur jurisdictio, non est hujus loci explicare. Cùm constet, easdem ferè, exceptâ ætate, in eo requiri, quæ in Judice Ordinario.

rio. Judex autem Ordinarius esse potest, qui nec naturâ prohibetur, ut Surdus, Mutus, perpetuò amens, & Impubes. *L. 12. §. 2. ff. de Judic.* Nec legibus: uti prohibetur Imperitus *Novell. 82. prin.* Infamis *L. 2. §. si miles ff. Ex quib. caus. infam.* Excommunicatus *C. 24. de Sent. & re judic.* & Bannitus. Nec moribus, uti Feminæ & Servi *cit. L. 12. §. 2. ff. de Judic.*

486. Quoad ætatem differentia est inter Ordinarium Judicem ac Delegatum. Ordinarius enim in foro externo constitui nequit minor 25. annis. *L. Cum lege 41. ff. de Receptis, qui arbitr. receper. L. Non tantùm 11. ff. de Decurion. L. 8. ff. de Munerib. & honor.* ubi JC. ait: *ad rempublicam administrandam ante vigesimum quintum annum, vel ad munera, quæ non patrimonij sunt, vel honores, admitti minores non oportet.* Cùm enim minores 25. annis ad propria administranda non satis idonei judicentur, multò minùs apti censendi sunt ad Rempublicam administrandam, ut ait Panorm. *in C. cùm vicesimum 41. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Potest tamen minorennis esse Judex Ordinarius, si id alicubi permittat consuetudo: quæ *cit. L. Non tantùm 11. ff. de Decurionib.* non improbatur. Dubium quoque non est, posse à Principe conferri Ordinariam Jurisdictionem minorenni. Quia conferendo censetur dispensare in ætate: dummodo ex certa scientia egerit. *L. Quidam 57. junct. Gloss. V. Decrevit. ff. de Re Judic.* & tradit Glossa communiter recepta *in L. cùm Prætor. ff. de Judic. V. Et Impubes.*

487. E contrario minor 25. annis potest esse Judex Delegatus, adeò ut partes ratione solius ætatis recusare ipsum nequeant. Dummodo annum vigesimum compleverit. *cit. C. cùm vicesimum 41. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Sed neque vicesimus annus necessarius est, si ante hanc ætatem jurisdictionem ipsi mandet Princeps ex certa scientia, cùm tunc censeatur in ætate dispensare. Si tamen non constat de Principis scientia, rescriptum tanquam subreptitium impugnari potest. Quin existimant Imola *in cit. c. 41. n. 12.* & Panorm. *n. 2.* quòd Princeps impuberem

berem ad judicandum inter partes habilitare non possit. Cùm Principi concessum non sit, Jura naturalia, & quæ Gentibus omnibus communia sunt, mutare. §. *Naturalia Instit. de Jure N. G. & C.* Sed ut Impuberes Judices constituantur, à natura & omnium Gentium consuetudine alienum est: cùm judicij maturitatem non habeant. *cit. L. Cùm Prætor 12. ff. de Judic.* ubi dicitur, eos, quòd judicio careant, naturâ arceri à judicandi munere. Poterit tamen Minorennis etiam à non Principe delegari: dummodo partes consentiant, & octodecim annos compleverit. *cit. C. 41. & L. Quidam 57. ff. de Re judic.*

## §. IV.

## *Quæ Jurisdictio delegari possit.*

### SUMMARIUM.

488. *Mandari potest Jurisdictio, quæ jure Magistratûs competit.*
489. *Secùs, si nominatim ac specialiter à Principe concessa sit.*
490. *Merum Imperium quid sit, explicatur.*
491. *Merum Imperium de Jure Civili nequit mandari.*
492. *Nisi ratione absentiæ vel infirmitatis.*
493. *Mandari potest de Jure Canonico.*
494. *Ac universim de consuetudine.*
495. *Voluntaria Jurisdictio Sacra delegari potest. Non item universim Profana.*
496. *Causa Appellationis delegari potest de Jure Canonico, non item de Civili.*

488. Regulæ hìc instar traditur, quòd mandari possit Jurisdictio, quæ jure Magistratûs competit. *L. 1. prin. V. quæ verò ff. de Offic. ejus, cui mand. est Jurisd.* & Gloss. *ibi, ac* DD. communiter. Hinc eo ipso quòd quis creatus est Magistratus, proprio quodam suo jure jurisdictionem mandare potest alteri. *L. More majorum 5. ff. de Jurisdict.* Cùm igitur Prætor Jurisdictionem habeat vi sui Magistratûs, eam alteri mandare potest. *L. Solet prætor 16. & L. seqq. ff. de Jurisdict.* Et ita passim Magi-

ſtratus in caſum abſentiæ vel gravis impedimenti Jurisdictionem ad tempus mandare alteri ſolent, videlicet uni ex Judicibus & Aſſeſſoribus ſuis. Rector verò Univerſitatis peregrè abiturus, vel morbo alióve impedimento detentus, vi Statutorum Academicorum, ſuam jurisdictionem antiquo Rectori ſeu Anteceſſori ſuo mandat. Et tunc penes Prorectorem eadem eſt poteſtas, quæ eſt penes ipſum Rectorem. Idem quoque ipſi debetur honor, qui Rectori præſenti. *arg. L. penult. circa fin. C. de Aquæductu.* Cardin. Zabarella *in Clement. un. de Offic. Vicar. oppoſit. 7.* Dec. *in cit. L. ſolet. ff. de Jurisdict. n. 3.* ac alij.

489. Si verò Jurisdictio non competit jure Magiſtratûs, ſed ſpecialiter & nominatim vel à Lege vel à Principe cuipiam data ſit, mandari alteri non poteſt, ſed ipſe, cui data eſt, eam expedire tenetur. *cit. L. 1. prin. ff. de Offic. ejus, cui mand. eſt jurisdict.* Sic quia datio Tutoris non competit jure Magiſtratûs, ſed ſpecialiter Lege conceditur quibusdam Magiſtratibus *tot. tit. Inſtit. de Attiliano Tutore.* & *L. Multo 6. §. Tutoris datio ff. de Tutel.* idcirco mandari non poteſt. *L. Nec mandante 8. prin. ff. de Tutor. & Curator. dat.* Et quia poteſtas cognoſcendi de transactione ſuper alimentis ultima voluntate relictis ſpecialiter data eſt Prætori, & Præſidi, idcirco eam alteri mandare nequeunt. *L. Cumbi 8. §. ſed nec 18. ff. de Tranſaction.* Competunt autem pleræque cauſæ tam ſimplicis Jurisdictionis, quàm Mixti Imperij, Magiſtratibus jure Magiſtratûs, ac per conſequens mandari queunt. Scipio Gentil. *L. 2. de Jurisdict. c.* 14. Umm. *ad Proceſſ. Judic. diſp. 4. n. 83.* Cæterùm, quod modò dixi, dationem Tutoris mandari non poſſe, procedit ſolùm de Jure communi, non verò de Jure novo S.R.J. Cùm enim hodie juxta Receſſum Imperij *anno 1548. tit.* von Pupillen §. So ſollen quilibet competens Magiſtratus & Judex loci ordinarius tutores conſtituere poſſit, ſicque tutoris datio in Romano Imperio modò ſit ſimplicis jurisdictionis, ac jure Magiſtratûs competat, conſequens eſt, quòd delegari poſſit per *L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. eſt jurisdict.* Manz. *in §. Nos autem 5. Inſt. de Attiliano Tut. n. 10.*

490.

490. Jam verò singillatim examinandum est, quæ Jurisdictio delegari possit. Dubium est de Mero & Mixto Imperio. Meri Imperij (ut hoc obiter præmittamus) RR. Legistæ contra Bartol. aliósque antiquos ferè communiter tres solùm gradus constituunt. Primus, inquiunt, continet pœnas, quæ vitam adimunt naturalem. Secundus pœnas, quæ adimunt civilem, per deportationem videlicet, & bannum Imperiale. Tertius eas, quæ vitam & æstimationem afficiunt, vel corpus affligunt citra mortem. Quæ tamen solùm procedunt de Jurisdictione Judiciali, & quidem duntaxat de Vindicativa. Gratis autem Imperium Merum restringitur ad solum jus vindicandi. Sunt enim aliqui actus Supremi Imperij, & Jurisdictionis summæ, uti ferre Leges, bella indicere, inire fœdera totum Imperium aut Regnum, nec solùm subditos, sed & Successores Reges obstrictura, Concilia, & Comitia totius Imperij vel Regni indicere, cudere monetam &c. qui non nisi ad Merum Imperium spectare possunt. Hinc ineptum est, quod ait Zœsius *ad Tit. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n.* 18. penes Ecclesiam non esse Merum Imperium, eò quòd gladium solùm spiritualem habeat. Neque obest, quod Ulpian. *L. Imperium 3. ff. de Jurisdict.* ait: *Merum est Imperium habere gladij potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines.* Voluit enim exempli causâ unum tantùm gradum Meri Imperij ponere, non excludendo alios. Aliàs solo jure gladij circumscriberetur hoc Imperium: quod falsum esse constat, cùm sub eo præter jus gladij contineantur duo alij gradus, ut ipsimet RR. volunt, ab Ulpiano non allati. Nec satisfacit, quod nonnemo dixit, ultimos duos gradus sub jure gladij jam comprehendi: si enim sub eo comprehenduntur, poni non deberent tanquam gradus diversi & distincti à jure gladij, & mala foret illa Meri Imperii in tria membra divisio, si membrum primum reliqua membra dividentia involueret. Ad Mixtum Imperium hos ferè actus referunt: concedere Minoribus veniam ætatis; legitimare; restituere famam; remittere pœnam delicti, quando nemo est, qui se læsum dicat,

aut injuriam persequatur; coërcere carcere vel mulctâ pecuniariâ primariò in bonum privatorum; concedere, ut procedatur appellatione postpositâ; restituere in integrum; dare Tutorem, aut Curatorem &c.

491. His breviter pænotatis dicendum in primis est de Imperio Mero. Jure Civili hoc Imperium mandari nequit. *L. 1. prin. v. & ideo ff. de Offic. ejus, cui mandat. est jurisdict. L. Solent prin. ff. de Offic. Proconsul. L. Nemo potest ff. de R. J.* Rationem dant: Merum Imperium jure Magistratûs non competit, sed ex speciali sive Legis, sive Imperatoris concessione: quæ autem sic competunt, mandari nequeunt, juxta paulò antè dicta *n. 465.* Neque obest, quòd Proconsul cognitionem de criminalibus suo Legato mandare possit. *cit. L. Solent 6. prin. ff. de Offic. Proconsul.* Hoc enim singulare est in Proconsule & ejus Legato, ut apparet ex textu *cit. L. 6. V. sed hoc genus*, & ex *Novell. 128. c. 20. V. Antequam verò*, ac proinde ad alios Judices extendi non debet. *arg. L. penult. V. Neque enim ff. de Reb. credit.*

492. Sed dubium est, an non saltem propter necessarium Judicis Ordinarii impedimentum hoc Imperium Jure Civili mandari possit. Quòd possit in crimine vi commisso ob necessariam absentiam, patet ex *cit. L. 1. prin. V. Hujus rei ff. de Offic. ejus, cui mandat. est Jurisdict.* An etiam ob infirmitatem in casu *Legis Juliæ de vi* mandari queat, controversum est. Affirmandum contra Fulgos. aliósque videtur cum Bart. & communi DD. cùm eadem sit infirmi, quæ absentis ratio. *arg. L. un. ff. de Offic. Consul. & L. quæsitum 60. ff. de Re judic.* Gravius dubium est, an idem dicendum etiam de alijs publicis Judicijs, puta *Lege Julia Majestatis, Lege Julia de Adulterijs, Lege Cornelia de Sicariis & Veneficiis, Lege Pompeja de Parricid.* Negant cum Cujacio, Bronchorst, ac alijs Obrecht. *Disp. de Jurisdict. thesi 264.* & Bocerus *Tract. de Jurisdict. c. 6. n. 23.* quia *cit. L. 1.* delegatio ob absentiam solùm concessa est quoad judicium *de vi*: exceptio autem firmat regulam in oppositum. Verùm benignè receptum est, ut ob absen-

sentiam Reipublicæ causâ Imperium merum delegari possit non tantùm in casu *L. Juliæ de vi*, sed indistinctè in omnibus alijs Judicijs publicis. Scipio Gentil. *L. 3. de Jurisdict. c. 28.* Ummius *l. c. n. 84.* Mentio *Legis Juliæ de vi* videtur facta esse solùm exempli causâ, & non cum exclusione aliorum Judiciorum publicorum. Et numquid ibidem pariter fit mentio solius absentiæ? Et tamen communiter DD. ipséque etiam, ut modò vidimus, Bocerus, admittunt etiam causam infirmitatis. Hæc de Judicijs criminum Ordinarijs maximè procedunt. Faciliùs videtur concedenda delegatio Judiciorum Extraordinariorum, ob rationes non leves, quas adducit Bocerus *l. c. n. 24.* Sed quia textus *L. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict. cit. L. Solent 6. prin. ff. de Offic. Proconsul. L. Nemo potest gladii 70. ff. de R. J.* universim negant, Imperium merum prorogari, meliùs cum eodem *l. c.* ac alijs idem statuitur de Extraordinarijs Judicijs.

493. Hactenus dictum est, de Jure Civili mandari non posse Merum Imperium. Aliter loquendum est de Jure Canonico: hoc enim Jure delegari istud Imperium posse communissimè tradunt. DD. dissentiente Obrecht. *l. c. c. 5. n. 20.* Muscorn. *de Jurisdict n. 132.* Fachineo *L. 9. Controvers. c. 99.* & Molina *Tract. 5. de Just. disp. 17. n. 2.* Sed suam opinionem nullo Juris Canonici textu muniunt. Fateor equidem, communem DD. opinionem non probari omnibus, quæ adducunt, locis, veluti textu *Can. Illud 23. q. 4. Can. Sicut 2. q. 7. C. In archiepiscopatu de Raptoribus*, quod, ut maximè pro communi opinione allegetur, revera tamen nihil pro ea probat: quia in ejus casu Siciliæ Rex Merum & Mixtum Imperium contra Saracenos delegabat. Posse autem Principem hanc delegationem facere dubium non est. Ex eo autem, quòd ipse possit, neutiquam sequitur, quòd etiam Judices Principe inferiores, de quibus hîc quæstio est. At non desunt alij Canones, quibus communis sententia satis evincitur, ut *Clement. 1. §. de Hæretic. C. licet de Offic. Vicarii in 6. C. ult. de Offic. Ordin.* Respondet quidem Fachineus *l. c.* eos tantùm loqui de specialibus

casibus: sed hæc responsio tamdiu non valebit, donec producantur aliæ Constitutiones Sacræ, quibus Meri Imperij delegatio prohibeatur. Ut enim aliquos casus Jure expressos dicamus esse singulares & exceptos, priùs ostendenda regula est, à qua illi sint excepti & speciale quid ac extra ordinem habeant.

494. Verùm quidquid sit de Jure Scripto, sive Civili sive Canonico, de Consuetudine delegari potest etiam Merum Imperium, teste Guidone Papæ *in Decision. Gratianopolit. q. 624. in fin.* Gœden. *consil. 39. n. 21.* ac alijs, quos refert & sequitur Emeric. à Rosbach *in Processu Judicario tit. 2. n. 33.* eò quòd hodie Imperium etiam Merum non ampliùs speciali Legis privilegio Magistratibus competat, sed jure Magistratûs & cum jurisdictione detur. De quo post alios Cujacius *in L. 2. §. Deinde cùm ærarium ff. de Origine Juris.* Hinc non vacat disputando ingredi alteram illam celeberrimam inter DD. controversiam de Mixto Imperio, utrùm videlicet de Jure æquè parùm, ac Imperium Merum, mandari possit. Constat enim hodiernis moribus posse: & à fortiori, quia etiam Imperium Merum. Delegari, etiam spectato Jure communi, posse Mixtum, abundè evincit textus *L. Cognitio 4. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict. junctâ L. 3. v. Mixtum, & L. seq. ff. de Jurisdict.* ac *L. Ea quæ 26. ff. ad municipalem.* Certè restitutio in integrum est Mixti Imperij. *cit. L. 26. ff. ad municipalem.* attamen mandari potest. *L. ult. C. ubi & apud quem restitut.* Pluribus qui oppugnatam volet opinionem Bartoli, Jasonis, ac aliorum, etiam Mixti Imperij delegationem non admittentium, nisi in casu absentiæ, adeat Duarenum *in L. 5. ff. de Jurisdict.* & *in L. 15. prin. ff. de Re judic.* Muscorn. *l. c. à n. 127.* Obrechtum *l. c. c. 10. à n. 8.* Bocerum *cit. c. 6. à n. 11.* Scipion. Gentil. *L. 2. de Jurisdict. c. 24.* August. Morla *eod. tr. q. 16.*

495. Alterum dubium est de Jurisdictione Voluntaria, an mandari possit. Posse mandari Sacram Jurisdictionem Voluntariam vel ex sola praxi constanti & universali Ecclesiæ abundè patet: modò ratione Officij aut Dignitatis perpetuò à Canone

vel

vel Lege data sit, tametsi speciali privilegio vel jure, ut notat Covarr. *L. 3. Variar. c. 20. n. 6.* Nisi Jurisdictio sit magni valdè & gravis momenti. Qua ratione obtinuit, ut Episcopus non possit committere potestatem conferendi Beneficia alteri, quàm suo Vicario Generali, uti cum Glossa *in C. Statutum de Præbend. in 6.* & *in C. Deliberatione v. quicunque de Offic. Legati in 6.* tradunt communiter DD. cùm collatio Beneficiorum sit maximi momenti & diligentissimam Prælatorum curam requirat. Jurisdictionem Voluntariam profanam universim mandari non posse receptum est apud Legistas. Sic nec emancipationem, nec manumissionem, nec adoptionem, nec unionem prolium, nec transactionem super alimentis in testamento relictis, nec alienationem prædiorum minoris, mandari posse ex *L. Suggerente 2. C. de Offic. ejus, qui vicem alicu. Judic. vel Præsid. obtin.* deducunt Scipio Gentilis *L. 2. de Jurisdict. c. 16.* Ummius *ad Processs. Judicial. disp. 4. n. 86.* Accurs. *in cit. L. 2.* Donell. *L. 7. c. 8.* ac alij.

496. Tertium dubium est de causa appellationis, utrùm videlicet Judex appellationis, seu ad quem, delegare eam possit. Discordant hîc Jus Canonicum & Civile. Illud enim concedit causam appellationis delegari *C. Pastoralis 11. de Offic. Judic. Ordin.* & *C. Super quæstionum 27. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Negat delegationem Jus Civile *Auth. Ad hæc C. de Judic.* ibi: *Judex appellationis rem per se audiat.*

## §. V.

## *Quæ sit Potestas Judicis Delegati.*

### SUMMARIUM.

497. *Delegantis & Delegati potestas est distincta.*
498. *Cognoscere Delegatus potest, num sua sit Jurisdictio.*
499. *Tametsi incompetentem se pronuntiet, potest nihilominus partem, quæ Rescriptum invalidum produxit, condemnare in expensas.*

500.

500. *Potest in dubio Rescriptum interpretari, nisi de re magni momenti agatur.*
501. *Si duo Rescripta contraria exhibeantur, procedere potest juxta prius, si de hoc in posteriore non fit mentio.*
502. *Delegatus Principis mandata Ordinariis locorum Judicibus dare potest in iis, quæ ad causæ delegatæ expeditionem pertinent.*
503. *Jurisdictionem exercere in omnes potest, qui eam turbare volunt.*
504. *Potest admittere transactionem partium, quamvis jussus causam decidere.*
505. *Nec non pœnas imponere juxta causæ ac delicti qualitatem.*
506. *Et mulctâ impositâ compellere partem contumacem.*
507. *Respondetur oppositis.*
508. *Habent Delegati Principis non tantùm cognoscendi & decidendi potestatem, sed etiam exequendi sententiam à se latam.*
509. *Imò etiam alii Delegati.*
510. *Refelluntur opposita.*
511. *Habet Delegatus annum integrum ad exequendam sententiam à se latam.*
512. *Non potest, cui delegata est causa* Possessorii, *cognoscere de causa* Petitorii.
513. *Causæ cognitione simpliciter commissâ potest Delegatus etiam sententiam ferre, nisi aliunde constet de contraria mente Delegantis.*
514. *Potest Delegatus SS. Pontificis armatâ manu executionem facere, si opus sit.*

497. Alia sunt, quæ possumus; alia, quæ etiam debemus facere. Hæc Officij dicuntur, illa Potestatis. Ut pateat, quomodo Forum acquiratur per delegationem, utrumque hic explicetur necesse est, videlicet, quæ sit Potestas Judicis Delegati, & quod ejus Officium. De Potestate primo loco disserere placet. Hanc inprimis

primis non esse eandem cum potestate & jurisdictione Delegantis, sed diversam eique subjectam, certum est ex *L. ult. ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisdict. C. Quærenti 26. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Ex quo insuper patet, verum non esse, quod quidam asserunt *in L. Ait prætor 5. ff. de Re judic.* Judicem Delegatum non habere jurisdictionem, sed duntaxat cognitionem seu notionem. Diversam esse jurisdictionem Delegati à Delegante, ex eo insuper perspicuum est, quòd ad hunc ab illo appelletur: hoc enim fieri nequiret, si eadem utriusque esset jurisdictio; sicut quòd eadem est Episcopi & Vicarij Generalis, ab hoc ad illum appellatio non datur.

498. Potestatem suam exercere Delegatus potest primò, non tantùm, si certa sit & à partibus agnita; sed etiam, quando in dubium vocatur. Cùm cognosere valeat, num sua sit jurisdictio, ut constat ex *C. Ex parte 33. de Rescriptis*, & explicavi suprà *n. 18. & seqq.* Hìc solùm addendum est, quòd pronuntiatio, quâ se Judicem edicit, sit quidem Sententia Interlocutoria, uti dicitur *cit. C. Ex parte* 33. habens tamen vim Definitivæ, ita ut etiam de Jure Civili ab ea appellari possit, juxta Gloss. *in Auth. Habita in fine C. Ne filius pro patre:* quia adfert gravamen, quod per appellationem à Definitiva reparari non possit. *C. Significante de Rescript. L. Ante sententiæ C. Quorum appellat. non recip.* Gaill. *L.* 1. *observat.* 130. *n. 9.* Mynsing. *cent.* 3. *observ. 35.* post Bartol. Alberic. Fulgos. Jason. ac alios.

499. Secundò. Tametsi Judex Delegatus incompetentem se pronuntiârit, v. g. quia Rescriptum, quo mandata ipsi est jurisdictio, cognovit à parte sub vel obreptitiè obtentum, poterit illam nihilominus in expensas condemnare, ut dixi *n. 29.* & tradunt DD. cum Glossa *in C. ult. de Rescript. V. Expensis.* Quia licèt literæ ad eum impetratæ infirmæ sint, propter fraudem tamen impetrantis, & ne ex sua malitia commodum reportet, condemnare eum poterit. Ac idcirco licèt super causa principali jurisdictionem per illas non acquirat, acquirit tamen super quæstionibus incidentibus, ut videlicet cognoscat, num rescriptum

propter malitiam impetrantis, sit vitiosum, & iste ad præstandas expensas condemnari debeat. Notant tamen eadem Glossa & Panorm. *ibid. n. 5.* quòd tum demum partem ad expensas condemnare debeat, si adversarius petat, juxta regulam, quam cum Bartol. *in L. Diem §. Hoc autem judicium ff. de damno infect.* tradunt DD. quòd Judex non tenetur interponere suum officium, nisi parte petente, quando agitur de utilitate privatâ: exceptis causis miserabilium personarum, aut quæ ad pietatem vel misericordiam spectare videntur.

500. Tertiò. Sicut quilibet Judex orto dubio circa sensum Legis, eam interpretari potest, ut sciat, quomodo sententiam ferre possit. *L. Non possunt 11. ff. de Legibus.* ita Delegatus Principis interpretari ejus rescriptum ac mandatum potest, ut appareat, quomodo illud exequi seu in causa sibi commissa procedere debeat, uti colligitur ex *C. ad hæc 1. de Postul. Prælator.* & *C. super literis 20. in fin. de Rescript.* tradúntque Innocent. *in cit. C. 1. n. 6.* Joan. Andr. *n. 28.* & Panorm. *n. 18.* qui tamen benè excipit: nisi dubium difficile & arduum magníque momenti sit; quia tunc consulendus Delegans foret, ejúsque declaratio (quam secundam Jussionem vocant) exspectanda. *C. cùm in Jure de Offic. & potest. Judic. Deleg. Novell. 17. c. 4. V. siquis autem.*

501. Quartò. Delegatus juxta Rescriptum, quo sibi mandata est jurisdictio, procedere potest, tametsi pars altera posterius aliud Rescriptum proferat, quo causa alteri cuipiam demandatur: si in hoc posteriore Rescripto non fit mentio prioris. *C. Cæterùm 3. de Rescript. C. Ex literis 29. de Offic. & potest. Judic. Deleg. C. 2. de Dolo & Contum.* Si tamen Judex in posteriore Rescripto nominatus juxta illud procedat parte non excipiente, validus erit processus, ex DD. communi apud Panorm. *in cit. C. 3.* Si quidem Rescriptum sit Justitiæ: quia Rescripta Justitiæ, obtenta per obreptionem, non antè irrita sunt, quam per exceptionem elidantur *C. Si autem 9. & C. Plerumque 23. de Rescript. C. Ut debitus 59. de Appellat.*

502.

502. Quintò. Delegatus Papæ Ordinarijs locorum mandata dare potest in ijs, quæ ad expeditionem commissæ sibi causæ pertinent. *C. cùm contingat 24. de Rescript.* Quia in ea vicem SS. Pontificis repræsentat, ideóque major est Ordinarijs. *C. sanè 11. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Necesse tamen est, ut literas suæ delegationis exhibeat, quò fidem de accepta potestate faciat, uti dicitur *cit. C. 24. C. cùm in iure 31. de Elect.* & *L. 1. C. de Mandatis Principum.* Idem, quod de Delegato Pontificio, dicendum ob paritatem rationis est de Delegatis Imperatoris, aliorúmque Principum.

503. Sextò. Judex Delegatus exercere suam jurisdictionem potest non tantùm in ipsas partes contendentes; sed etiam in alios, qui illam & processum causæ turbare vel impedire volunt: tametsi id in delegatione non fuerit expressum. *C. quia quæsitum 1. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Neque obest, quòd Jurisdictio Delegata sit stricti Juris, nec extendenda ultra causam vel personas in Rescripto expressas. *C. cùm olim 32. & C. P. & G. 40. eod.* Nam Delegatus non excedit fines mandati, si facit ea, quæ ad causam & delegationis executionem pertinent. Ad hanc autem pertinet removere obices, & obstacula interjecta. Ratio ulterior est: quia concesso uno, censentur concessa alia omnia, sine quibus illud expediri non potest. *C. præterea 5. & C. prudentiam 21. eod.*

504. Septimò. Potest Delegatus admittere transactionem partium, tametsi Superior controversiam ipsi delegârit, ut secundùm Jura illam decidat. *C. contingit. 3.* & *C. de cætero 5. de Transaction.* Quia ad Judicem pertinet, partes, si fieri possit, ad concordiam reducere, juxta *C. ult. eod.*

505. Octavò. Quemadmodum Judex Ordinarius, ita & Judex Delegatus pœnas imponere potest juxta causæ & delicti qualitatem, contumaces consuetis remedijs compellere & coërcere. Idque de ipsis partibus contendentibus expressum est *C. præterea 5. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* De alijs personis dubitari

bitari potest, v. g. utrùm testem, qui coram ipso falsum dixisse convictus aut confessus est, punire possit; an verò cognitionem ac punitionem ad Delegantem remittere teneatur. Distinguunt Panorm. *in cit. C. 5. n. 4.* & Felin. *in C. 1. eod. n. 15.* aiúntque, si per hoc, quòd testis in judicio falsum dixit, Delegati jurisdictio impediatur & retardetur, posse ab ipso puniri; secùs, non posse, cùm Lex in eum jurisdictionem directè non concesserit, sed solùm in consequentiam, quatenus ea necessaria est ad causam expediendam. Arbitratur tamen Decius *in cit. C. 5. n. 5. in fin.* quòd testis falsum deponens regulariter puniri possit à Delegato: quia, nisi tali potestate præditus esset, non timeretur, sed facilè eluderetur ejus potestas. *arg. L. Nullum 14. C. de Testibus.*

506. Hinc non placet, quod tradit Alexand. *in L. A Divo Pio 15. prin. ff. de Re Judic. n. 6. in fin.* quem sequitur Menoch. *L. 1. de Arbitr. Judic. q. 74. n. 8. & seqq.* non posse Delegatum mulctam dictare, sive multando coërcere partem contumacem. Nam *C. de causis 4. §. ult. cit. C. 5. prin.* & *C. Pastoralis 28. §. Item cùm totum de Offic. & potest. Judic. Deleg.* generaliter cautum est de omni Judice Delegato, quòd citatum contumacem pro arbitrio punire possit: arbitraria autem pœna pecuniaria nihil aliud est, quàm mulcta. *L. Aliud est fraus 131. §. Et multa quidem ff. de V. S.* Accedit, quòd ei, cui mandata est jurisdictio, mandata pariter tacitè sit potestas pro suo arbitrio modicè coërcendi contumaces. *L. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Quæ potestas nihil aliud est, quàm jus dicendæ mulctæ. *cit. L. 131. §. Et multa.* Et Judex *ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem,* ut dicitur *cit. C. præterea 5.* & *L. 2. ff. de Jurisdict.* Committitur igitur etiam potestas multandi partem contumacem; quia sine hac potestate suam jurisdictionem exercere non posset. Demùm is, cui mandata est jurisdictio, negligentem executorem multare potest. *L. omnibus 3. C. de Sportulis.* Poterit ergo similiter multare negligentem & contumacem litigatorem, cùm

cùm hic per contumaciam ſuam æquè ſufflaminet proceſſum judicij & curſum Juſtitiæ, quàm negligens executor.

507. Non obſtat, quem objicit Menoch. *l. c. n. 9.* textus *cit. L. Aliud eſt fraus §. item multam ff. de V. S.* ubi dicitur, ſolos Magiſtratus multam dicere poſſe. Cùm enim Delegatus eam dicit, ipſe Magiſtratus delegans id facere cenſendus eſt, quia ejus nomine & auctoritate agit Delegatus. *L. 1. §. qui mandatam ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt jurisdict.* Eadem reſponſio valet ad ea, quæ idem opponit *l. c. n. 8.* ex *L. 2. §. ult. ff. de Judic.* Pariter non obſtat, quod ajunt, multæ dictionem eſſe Meri Imperij, quod generali delegatione non continetur, cùm mandari non poſſit. *L. 1. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt jurisdict.* Nam mulctam dicere, cùm id fit ad tuendam & faciliùs explicandam jurisdictionem, non ad Merum, ſed ad Mixtum pertinet Imperium. *L. 2. §. 1. Si quis in jus vocat. cit. L. 2. §. ult. ff. de Judic.* & *cit. L. Aliud eſt fraus §. Item multam, & §. ſeq. ff. de V. S. L. 1. §. quid ergo 3. ff. de Inſpic. Ventr. cit. L. Omnibus Judicibus 3. C. de Sportul.*

508. Nonò. Delegatus, cui cauſa abſolutè mandata eſt, non ſolùm poteſtatem habet cognoſcendi & decidendi, ſed etiam exequendi. Quod quidem de Delegato Principis certum eſt, ita ut non tantùm exequi ipſe ſententiam à ſe latam poſſit, ſed etiam alteri executionem committere, ut apertè traditur *C. Significáſti 7.* & *C. Ex literis 29. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg.* Et quidem Delegati SS. Pontificis ſententiæ à ſe latæ executionem frequenter committere ſolent Ordinarijs locorum, utpote per quos meliùs id fieri poteſt, cùm Officiales idoneos habeant, quibus ferè caret Judex delegatus. Si tamen velit & poſſit, non prohibetur exequi per ſe vel proprios miniſtros, ut *ad cit. C. 7.* docent Innocent. Panorm. Barbat. Dec. ac alij.

509. An verò etiam Delegatus Judicis Ordinarij Principe inferioris exequi ſuam ſententiam poſſit, controverſum eſt. Negant Maranta *in Speculo Judic. p. 4. diſt. 5. n. 45.* & *p. 6. n. 4.* Wurmbſer *L. pract. obſervat. tit. 2. de Judicib. Deleg. obſerv. 2.*

Menoch. *cit. q. 74. à n. 36.* Mynsing. *cent. 4. observ. 83. n. 2.* Mihi præplacet opinio Alciati *L. 2. Paradoxor. c. 4.* ac aliorum, etiam huic Delegato executionem sententiæ à se latæ concedentium. Nam *C. In literis 9. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* supponitur universim de Delegatis, eos posse suam sententiam exequi, dum dicitur, si sententiam executioni mandârunt, vel mandari præceperunt, eorum auctoritatem & jurisdictionem cessare. Idémque supponitur *C. Pastoralibus 28. §. quia verò. eod.* Accedit primò, quòd cùm Judex Ordinarius sententiæ à se dictæ executionem mandare possit *L. pen. §. ult. ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisdict. L. ult. ff. de Confess.* & *cit. C. Significásti 7.* censendus est Delegato, cui causæ definitionem committit, pariter committere ejus executionem, cùm longè minus sit exequi, quàm decidere, eo ipso, quòd in executione versetur de se solum factum, quod nudo meróque executori liberè mandari potest. *L. Executorem C. de Executione rei judic.* Accedit secundò, quòd Delegatus fungitur partibus Ordinarij in causa sibi commissa. *L. 3. ff. de Offic. ejus, cui mand. est iurisdict.* Utigitur Ordinarius, si ipse causam definiret, ejus executionem haberet, ita & Delegatus. Accedit tertiò, quòd Judex datus sive pedaneus sententiam à se latam executioni mandare nominatim prohibetur *L. A Divo Pio 15. prin. ff. de R. J.* At Judici Delegato nec Pontificio nec Cæsareo Jure prohibita est executio. Censetur autem concessum, quod prohibitum non intelligitur. *L. Cum Prætor 12. prin. ff. de Judic.* Maximè cùm Delegatus facere ea omnia possit, & exequi, quæ ad causam expediendam pertinent. *cit. C. præterea 5.* & *L. suspicionis ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisdict. L. ad rem mobilem 56. & L. ad legatum 62. ff. de Procurat.* Demum executio judicati est mixti Imperij, ut omnes fatentur. Mixtum autem Imperium regulariter competit Judici Delegato, saltem de consuetudine, ut dixi suprà *n. 470.*

510. Neque verum est, quod dicunt Adversarij ex *L. Judex 55. ff. de Judicijs*, quòd Judex functus sit suo officio & desinat esse

esse Judex, postquam sententiam tulit. Sermo enim ibi est de Judice pedaneo. Quòd verò Delegati officium non expiret per pronunciationem sententiæ, patet ex *cit. C. literis* 9. & *C. Pastoralis* 28. Nec obest, quòd delegatio jurisdictionis juxta *C. cùm dilecta* 22. *de Rescript.* est stricti juris, ac idcirco non extendenda. Nulla enim hîc fit extensio jurisdictionis mandatæ ultra fines mandati, cùm hoc includat etiam executionem, ut probant rationes modò pro nostra opinione allatæ.

511. Decimò. Judex Delegatus integrum annum habet ad exequendam sententiam à se latam. *C. quærenti* 26. *de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Ubi tamen cum Glossa, ac Panorm. *n.* 7. distinguendum est. Vel enim Judex Delegatus sententiam nondum tulit. Et tunc ejus jurisdictio semper durat: quia Rescripta, si certum tempus definitum non sit, sunt perpetua, nisi revocentur. *C. si autem* 9. *de Rescript.* Vel tulit sententiam, sed executus non est; & tunc annus ipsi ad exequendum conceditur. Vel denique sententiam executus est: & jurisdictio ejus expirat. *C. in literis* 9. *eod.* dummodo sententiæ paruerint partes. Quòd si condemnatus paulò pòst ab executione recessit, iterum turbans victorem, perinde est, ac si non paruerit. *arg. C. Divortium* 21. *dist.* 1. *de Pœnit.* Unde Delegatus reassumere in tali casu poterit jurisdictionem, non ut iterum de causa cognoscat, sed ut ad veram & stabilem executionem victum compellat, si annus nondum finitus est. Glossa *in C. quærenti V. ad integrum annum.*

512. Verùm ex dictis Dubitatur primò: an ille, cui simpliciter delegata est jurisdictio in causa possessorij, possit vi hujus delegationis cognoscere de causa petitorij. Negandum est cum Gaillio *L.* 1. *observat.* 35. *n.* 11. ac communi aliorum: si quidem causa possessorij nuncupatim & in specie commissa sit. Partim quia delegatio jurisdictionis est stricti Juris, ut modò dictum est ex *C.* 22. *de Rescript.* ac proinde non censetur commissum, nisi quod palàm verbis in Rescripto est expressum. *L. quidquid* 99. *prin. de V. O.* Partim quia de se nihil commune habet proprie-

tas

tas cum possessione. *L. Naturaliter 120. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Partim denique, quia juxta praxin causa possessionis & proprietatis expresè & nominatim delegari solet, si Delegatus de utraque cognoscere debeat, uti patet ex *C. cùm ad sedem 15. prin. de Restitut. spoliat. C. significaverunt 36. prin. de Testib. & attestat.* Si tamen causa simpliciter & in genere commissa sit, non solùm nudum possessorium, sed etiam petitorium commissum intelligitur, uti patet ex *C. 1. de sequestrat. poss. & fruct.* & tradunt ibi Glossa *V. Indistinctè*, & DD. Censetur enim propter connexionem causarum, ne hæc dividatur, utraque esse commissa. Quin etiamsi sola possessorij causa nominatim commissa fuerit, incidenter nihilominus per viam reconventionis cognoscere super petitorio poterit Delegatus, si status causæ reconventionem patiatur. Glossa *in cit. C. 1.* Panorm. *ibid. n. 15. arg. C. 1. & 2. de mutuis petition.* & *L. 1. C. de Ordine cognit.*

513. Dubitatur secundò: an sicui simpliciter delegata fuerit certæ cujuspiam causæ cognitio, censeatur esse delegata etiam potestas ferendæ sententiæ. Negativam, quam tenet Glossa *in L. Qui procuratorem 57. ff. de Procurator. V. peragere*, Zasius *in L. à Divo Pio 15. ff. de Re Judic.* ac alij, sequitur praxis Cameræ Imperialis, teste Mynsing. *cent. 4. observ. 93.* Si Jure standum sit, videtur dicendum esse, concessâ causæ cognitione etiam ejus decisionem per sententiam definitivam concedi; nisi de mente contraria Delegantis vel ex verbis Rescripti vel aliunde constet. Ratio est: quia verba *Notio* & *Cognitio* complectuntur etiam jurisdictionem, ac per consequens potestatem causæ per sententiam definiendæ. *L. 99. prin. ff. de V. S.* Et, ut ait Julian. *L. 74. prin. ff. de Judic. de qua re cognoverit Judex, pronuntiare quoque cogendus erit.* Ergo cujus est de causa cognoscere, ejusdem pariter erit de ea pronunciare: & cui commissa fuerit cognitio, eidem pariter commissa censenda erit pronuntiatio sententiæ. Neque verum est, quod ait Mynsing. *l. c.* pro prima opinione optimum esse textum *L. Ubi 22. C. ad L. Cornel. de Falsis.* Quia nihil

hil aliud ibi dicitur, quàm quòd Judex non interlocutione, sed definitivâ sententiâ procedere debeat, quod suum sit de causa falsi judicium. Nec eidem opinioni suffragatur textus *L. solent 6. prin. ff. de Offic. Proconsul.* ubi causæ cognitio, non etiam definitio, & sententiæ pronunciatio Legato Proconsulis mandata dicitur. Nam, ut ibidem additur, *hoc genus mandati extraordinarium est.* Cùm enim jus gladij, de quo ibi sermo est, nemo transferre in alium possit, Legato suo Proconsul solùm mandare poterat cognitionem de criminibus pœnâ gladij dignis, non item decisionem. Non denique obest decantatum illud, jurisdictionem delegatam esse stricti juris, ac proinde delegationem cognitionis extendi non debere ad decisionem. Negamus enim hìc fieri extensionem, cùm sub cognitione, ut dictum est, decisio per sententiam comprehendatur. Saltem concedenda videtur Delegato Principis decisio causæ, si mandata ipsi sit ejus cognitio, cùm apertè dicant Impp. *L. 1. C. si contra jus vel utilitat. public.* eum judicare posse, cui ex suo Rescripto Imperatorio cognitio delata est.

514. Dubitatur tertiò: cùm Delegatus exequi sententiam à se latam possit, utrùm Delegatus Papæ armata manu executionem facere valeat. Certum est, quòd brachium seculare in subsidium invocare possit, si aliter causam sibi commissam expedire, aut sententiam exequi nequeat. Innocent. & Joan. Andr. *in C. Significásti 7. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 7.* Panorm. *n. 8.* Barbat. *col. 6.* Dec. *n. 4.* Zarabella *in Clement. un. eod.* Cùm enim Episcopo talis potestas invocandi brachium seculare concessa sit juxta communem DD. *arg. Can. Administratores 26. 24. q. 3.* à fortiori concessa ea est Delegato SS Pontificis, utpote qui quoad causam delegatam major est potestate & auctoritate, quàm Episcopus. *C. Sanè 11. eod.* Et quidem invocare potest, tametsi in Rescripto addita non fuerit solemnis illa clausula *invocato etiam, si opus sit, auxilio brachij secularis.* cùm semper subintelligatur, eò quòd de Jure insit: aliàs potestas Judici Delegato com-

missa sæpe manca foret & inutilis, quia executioni mandari non posset. Neque vel novum vel rarum est, ea in Rescriptis exprimi, quæ rei vel jure vel naturâ insunt. Ordinariè verò armatam manum ad executionem faciendam cogere non debet, sed in primis Judicis Ordinarij Ecclesiastici auxilium accersere, vel executionem ipsi committere: quod in Romano Imperio, ubi Episcopi temporalem simul jurisdictionem habent, non erit difficile: cùm in ipsorum territorio temporali executio fieri possit. In defectum verò Ordinarij Ecclesiastici, Laici auxilium implorandum erit. Si neuter succurrrere possit aut velit, poterit armatam ipse manum conducere, uti docet Decius *cit. n.* 4. & hac ratione dissidentes DD. opiniones conciliat. Quin etiam Episcopus, qui temporali jurisdictione caret, Officiales armatos habere potest, paratos ad executionem Justitiæ, si opus sit, adversùs contumaces, ut post Bald. *in L. Nam salutem §. fin. ff. de Offic. Præfecti Vigil.* tradunt communiter DD. apud Barbatia *l. c. col.* 7. Decium *n.* 6. Marta *p.* 1. *de Jurisdict. c.* 50. contra Panorm. *in cit. C.* 7. *n.* 10. Nam licèt Clericis interdictum sit usu armorum, excipiendus tamen est casus necessitatis, si videlicet sua jura contra impedientes aliter exercere, aut defendere non valeant. *arg. C. Dilecto* 6. *de Sent. Excomm. in* 6.

## §. VI.

## *Quod sit Officium Judicis Delegati?*

### SUMMARIUM.

515. *Fidem mandati facere debet Delegatus, si pars alterutra postulet: secùs non valebit processus.*
516. *Et formam mandati servare.*
517. *Nec non tempus præscriptum.*
518. *Quod tamen partium consensu prorogari potest.*
519. *Nisi prorogationem vetuerit Delegans.*

520.

520. *Debet admittere exceptiones rationabiles, & secundùm Juris æquitatem procedere.*
521. *Gratis item judicare, nec acceptare munera.*
522. *Nec extra locum constitutum de causa cognoscere.*
523. *Aut assessorem sine necessitate assumere.*

515. Postquam actum est de Potestate Delegati, subjungi oportet, quæ ad ejus Officium pertinent. Fidem ante omnia de mandata sibi jurisdictione facere debet Delegatus, ut partes ad comparendum compellere posset. Neque enim ante factam delegationis fidem citatus comparere tenetur. *C. Cùm in Jure 31. de Offic. & potest. Judic. Deleg. C. Cùm contingat 24. de Rescript. C. 2. de Dilation.* quia factum non præsumitur, sed probari debet; præsertim si in alterius præjudicium allegetur. Quod procedit de quibuscunque alijs Mandatarijs, Procuratoribus, imò & Legatis Apostolicis. De quo fusè Felin. *in cit. C. 31. n. 11.* Si postulatâ & non factâ fide delegationis procedat Delegatus, processus erit nullus *cit. C. 31.* Dixi: *si postulatâ.* nam si pars citata fidem sibi fieri non postulet, sed compareat & litem contestetur, valebit processus, nec poterit illa postea opponere defectum jurisdictionis, nisi cum onere probandi & ostendendi defectum. Panorm. *in cit. C. 31. n. 7.* & Barbatia *col. 8. arg. C. inter Monasterium 20. de Sent. & re judic.* Plerumque autem, si Delegans præsens est, ut facilè ex ipso quæri possit, literæ delegationis non exhibentur, uti notat Barbatia *l. c. col. 4.* Tametsi verò, ut fusè dixi suprà *à n. 18. & n. 498.* Delegatus in dubio de sua jurisdictione cognoscere possit: si tamen exhibito mandato vel pars citata vel Ordinarius nolit parere, inficians ejus jusisdictionem prætextu falsitatis in Rescripto apparentis, alteriúsve defectûs, non habet potestatem renuentes compellendi, nisi mandatam sibi jurisdictionem ita ostendat, ut rationabiliter de ea dubitari non possit. Innocent. *in cit. C. 31. n. 3.* Hostiens. *ibid.* Barbatia *col. 5.* ac alij. Nam Judici quidem Ordinario in dubio parendum est, quia fundatam habet jurisdictionem, ac in dubio inter Superiorem & subditum præ-

sumptio stat pro illo, *arg. C. Quid culpatur 4. 23. q. 1.* Delegatus verò non habet fundatam jurisdictionem, nec præsumptionem pro se. Unde non est ratio, cur in dubio melior sit ipsius conditio, quàm Judicis Ordinarij aut partis contradicentis.

516. Agnitâ semel à partibus jurisdictione Delegati, exercere hic eam & explicare debet, prout ipse Delegans eam expedire deberet, cùm ejus, qui mandavit, utatur actoritate. *L. 1. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. est Jurisdict.* proindéque non pro suo agat imperio & arbitrio, sed ejus, cujus mandato jus dicit, & cujus partibus fungitur. *L. 3. ff. eod.* Quem in finem in primis necesse est, ut formam factæ commissionis diligenter & exactè observet. *L. Diligender 5 ff. Mandati*, & *C. Cùm dilecta 22. de Rescript. C. Ex parte de Offic. & potest. Judic. Deleg.* aliàs processus est nullus *C. causam 16. de Offic. & potest. Judic. Deleg. cit. C. 22.* & cum Glossa ibi *V. Irritum* tradit communis DD. Quare si Delegatus sententiam latam contra tenorem mandati executioni mandavit, dejiciendo aliquem possessione, ante omnia restituendus est spoliatus. *C. 16. C. cùm causa 22. eod. C. conquerente 17. de Restit. spoliat.* Neque, si in sententia ferenda formam mandati neglexit, censetur functus suo officio: quare iterum judicare potest, uti colligitur ex *cit. C. 16.* Ratio datur *cit. L. 5. nam qui excessit* (fines mandati) *aliud facere videtur.* At qui aliud facit, quàm quod facere jussus est, nihil facit: quia ad illud non accepit jurisdictionem, sine qua actûs valor consistere nequit. Opus tamen est aliquâ circa formam præscriptam distinctione. Nam si in Rescripto mandatur, ut observetur forma aliqua seu conditio & ratio procedendi, quam Jus non præscribit, censetur illa esse substantialis, ita ut actus sit irritus, si non observetur. Covarr. *in C. alma mater de Sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 9. n. 4.* Sanchez *L. 3. de Matrim. disp. 33. n. 4.* ac alij: nisi ex ipsa materia subjecta, loquendi modo, curiæ consuetudine, aliísve circumstantijs colligi possit, quòd Delegans noluerit talem conditionem tanquam formam apponere, sed solùm observari voluerit pro faciliore causæ decisione. Sic v. g. si in Rescripto

scripto delegationis continetur, ut Delegatus personaliter ad certum locum accedat, ibique informationem capiat; vel ut hoc illúdve Beneficium alicui conferat, qui sit Doctor Theologiæ aut Juris Canonici &c. omissâ tali conditione actus Delegati erunt irriti. Cùm enim Delegans præter Juris communis dispositionem ista requirat, censetur ea specialiter exigere, & sic constituere formam substantialem, quâ omisâ actus est irritus. Si verò aliquam conditionem, quæ Delegato aliíve Mandatario præscribitur, Jus etiam commune requirit, novam formam non inducit, sed solùm institutionem & commonitionem Judicis Delegati. Glossa *in Clement.* 1. *de Offic. & potest. Judic. Deleg. V. Reperierint*, Innocent. *in C. prudentiam eod. n. 9.* Glossa *in Clement.* 1. *de Jure Patr. V. Inhibentes*: Suarez *L. 5. de Legib. c.* 31. *à n.* 8. Sanchez *l. c. n. 3.* Hinc si talis conditio de Jure communi non est substantialis, neque erit ob expressionem & mandatum Delegantis. Sic v. g. si cui facultas committatur dispensandi in Impedimento Matrimonij, vel Matrimonio assistendi, simúlque addatur, ut de more nuptijs præmittantur Denuntiationes, etiam his omissis valida erit dispensatio: quia hæ de Jure communi ad valorem Matrimonij non requiruntur. Pariter si Delegans dicat *Confer Beneficium Titio, si idoneus est*, valebit collatio à Delegato facta, tametsi Titius sit minùs idoneus, nec moribus aut scientiâ commendatus. Quia Jure communi valet collatio facta minùs idoneo; modò non sit infamis, aut omnino litteratus, aut aliàs de Jure inhabilis. Poterit tamen Delegans conditionem vel formam, quæ de Jure communi solùm accidentalis est, facere substantialem, si sine illâ nolit valere actum. Quod utrùm nolit, ex verbis delegationis colligendum est.

517. Secundò. Si in delegatione certum tempus præscriptum sit, intra quod causam delegatam absolvat, debet intra illud absolvere: quia talis præfinitio temporis est forma substantialis, cùm elapso termino expiret jurisdictio Delegati, utpote quæ solùm data est ad illud tempus præfinitum. *C. de causis 4. de Offic.*

*& poteſt. Jud. Deleg.* Si è contrario Superior Judici ordinario præcipiat, ut cauſam intra certum tempus expediat, malè quidem aget, negotium ultra illud extrahendo, non tamen propterea proceſſus erit invalidus, ut notant DD. *in cit. C. 4. n. 9.* Diſcriminis ratio eſt: quia in priore caſu Superior Delegato jurisdictionem cauſæ dat limitatè ſecundùm formam commiſſionis. In poſteriore caſu non dat jurisdictionem, ſed modum tantùm & terminum cauſæ tempeſtivè expediendæ. Qui modus ſubſtantialis cenſeri non debet, cùm non ſit facilè præſumendum, quòd Superior jurisdictionem alicui conceſſam adimere, ſeu ad ſe revocare velit.

518. Poſſunt nihilominus partes litigantes terminum Delegato præfixum prorogare & communi conſenſu extendere. *cit. C. de cauſis 4.* & *L. 2. §. 2. ff. de Judic.* ac dixi ſuprà *à n. 439.* Quia terminus cauſæ citiùs expediendæ videtur in partium favorem conſtitutus, cui proinde ipſæ renuntiare poſſunt. *arg. C. ad Apoſtolicam 16. de Regular.* Debet tamen hujusmodi prorogatio fieri currente adhuc termino per Delegantem præfixo: nam illo ſemel elapſo jam expiravit Delegati jurisdictio, ac idcirco prorogari ampliùs nequit: neque enim hac ratione prorogaretur, ſed de novo concederetur; quod fieri non poſſe partium conſenſu, ſuprà de Prorogatione *n. 404.* oſtenſum eſt.

519. Sed nec currentem adhuc terminum prorogare partes Delegato poſſunt, ſi prorogationem fieri vetuit Delegans. *cit. L. 2. §. 2.* Vel ſi appareat, terminum præfixum fuiſſe non in favorem partium, ſed ob bonum publicum aut cujuspiam tertij, cujus intereſt cauſam inter litigantes celeriter expediri, v. g. ne in præjudicium animarum & Eccleſiæ, aut diſpendium Cultûs Divini, Beneficium Eccleſiaſticum, de quo lis eſt, diu vacet. Quæ cauſa eſt, quòd terminus à Jure communi præfixus litibus expediendis à partibus prorogari nequeat, cùm Juris communis publicus favor privato prævaleat. DD. *in L. properandum 13. C. de Judicijs.* Cæterùm terminus cauſæ expediendæ à Delegante præfixus, ſumi tantùm debet de cauſæ abſolutione per ſententiam definitivam.

finitivam. Hujus proinde executio fieri potest post lapsum illius termini præstituti. *arg. C. significâsti 7. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Panorm. *ibid. n.* 2. Joan. Andr. *in cit. C. 4. n.* 19. Nisi fortè præfixus terminus fuerit vel ipsi jurisdictioni Delegati, v. g. si Delegans dixit: *Concedimus tibi jurisdictionem ad unum annum.* Tunc enim post annum ne quidem sententiam exequi potest: cùm etiam executio sententiæ sit actus jurisdictionis; vel præfixus terminus fuerit ipsi executioni: quia post hujus lapsum ipsa fieri nequiret. Si ipsi jurisdictioni vel executioni sententiæ terminum non præfixit Delegans, integer annus concessus est Delegato ad exequendam, ut dictum est suprà *n. 511.*

520. Tertiò. Debet Delegatus exceptiones partium rationabiles admittere, & secundùm Juris æquitatem procedere. *Can. In istis dist. 4. Auth. Jubemus in fin. C. de Judic. Novell. 126. c. 1.* tametsi Delegans certam formam præscripserit: quia Princeps in Rescriptis ad lites, quæ propriè ad Justitiam administrandam tendunt, non censetur derogare Juri communi. *C. causam quæ 18. de Rescript.* ac idcirco non debet formam procedendi à Delegante præscriptam observare cum magno præjudicio partis. *C. Ex parte 13. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Hinc etsi præfixus illi fuerit terminus, intra quem causam definire debeat, si tamen pars dilationem petat v. g. quia propter gravem infirmitatem causam instruere non potest, concedenda ea est, tametsi terminus ille præfixus propterea sit protrahendus. Quia Princeps non censetur præjudicare velle juri partium, præsertim naturalis defensionis. *C. super eo 15. eod.* Indidem consequens est, quòd etsi Princeps scribat, ut procedatur nullâ admissâ exceptione, intelligi id solùm debeat de exceptione irrationabili. Nisi in Rescripto excludatur omnis etiam rationabilis exceptio. Quod in civilibus causis ob gravem rationem quandoque ex plenitudine potestatis facere is potest, præsertim si aliud defensionis remedium parti litiganti supersit, ut docet Barbatia *in cit. C. 13. col. 6.*

521.

521. Quartò. Debet Delegatus gratis & cum omni puritate jurisdictionem exercere, ut dicitur *C. Statutum 11. §. Insuper de Rescript. in 6.* Ac idcirco nullum munus aut quidvis aliud à litigantibus, vel horum intuitu ab alijs, acceptare potest. *Nisi forsan* (ut *cit. §. Insuper* dicitur) *esculentum aut poculentum meră liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cùm ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas.* Additur ibidem *§. si quid* teneri Judicem ad restituendum, quod accepit, non obstante dantis remissione. Circa quod nonnulla hìc breviter observanda sunt. Primum est, quod *cit. C. Statutum* dicitur de Delegato SS. Pontificis ad lites deputato circa moderata esculenta & poculenta, non debere trahi ad alios Commissarios, quibus v.g. dispensationes super votis, aut matrimonij impedimentis committuntur, ut benè notat Laym. *in cit. C. n.* 14. Alterum est, non posse eadem trahi ad Judicem Ordinarium. Tametsi enim *L. Plebiscito 18. ff. de Offic. Præsid.* idem tradatur de Præside Provinciæ, qui Judex est Ordinarius, quod *cit. c. Statutum* de Judice Delegato ad lites, ut videlicet munus & donum non capiat, *nisi esculentum poculentúmve, quod intra dies proximos prodigatur*: id tamen revocatum prohibitúmque postea fuit *Novella 8. c. 7.* & *Novell. 80. c. 10.* ubi ijsdem præcipitur, ut nihil penitus præter ea, quæ constituta ipsis sunt, videlicet sua salaria, accipiant. Tertium est, licèt multi Theologi teneant, Judicem non teneri ad restitutionem munerum sponte oblatorum, priusquàm accedat sententia saltem declaratoria criminis, hoc tamen non esse intelligendum de ijs muneribus, quæ dantur ad redimendam, ut aiunt, vexam, quando videlicet pars aliquid dat, quia putat, se aliàs suum jus non consecuturam. Cùm enim in tali casu litigans det invitus, Judex non accipit absque injuria, & sic restituere tenetur ante omnem sententiam. Pariter restitui munera debent ante omnem sententiam, quando Lex vel Canon acceptionem non tantùm illicitam, sed etiam invalidam statuit, uti statuit quoad Delegatum

gatum Pontificium *cit. C. Statutum* §. *si quid*, quoad Visitatores Ecclesiarum C. *Exigit* 2. *de Consib. in* 6. quoad Episcopum circa Ordinum collationem, literas dimissorias ac testimoniales Trident. *sess.* 21. *c.* 1. *de Reform.* De hac munerum vetita acceptatione, & obligatione restituendi plura Theologi, præsertim Card. de Lugo *de Justitia disp.* 18. *sect.* 3. & *disp.* 37. *sect.* 11. ac Molina *tr.* 2. *de Justit. disp.* 83. & *seqq.*

522. Quintò. Non debet Delegatus in alia Diœcesi aut Civitate, nisi ad quam deputatus est, de causa cognoscere: præterquam si partium expressus consensus accedat. Aut nisi ob malitiam adversarij vel aliud impedimentum Delegatus Papæ in loco sibi constituto procedere nequeat. C. *Statuimus* 13. *de Offic. & potest. Judic. Deleg. in* 6. Sed neque alteri causam subdelegare potest quàm in locum in Rescripto designatum. *cit. C. Statuum* §. *in nullo* 3. Imò si Actor & Reus ejusdem Diœcesis & Civitatis sint, causa committi non potest extra Diœcesin aut Civitatem. Exceptis quibusdam casibus: ut si actio ab Episcopo vel Capitulo contra aliquem de Diœcesi; vel vice versa ab aliquo de Diœcesi contra Episcopum aut Capitulum; vel contra universitatem Civitatis, Villæ aut Castri dirigenda sit; vel denique si Actor Civitatem aut Diœcesin, in qua judicium agitandum est, ob justum periculum intrare non audet. His, inquam, casibus extra Diœcesin aut Civitatem commissio fieri potest: ita tamen, ut ultra unam dietam nemo à finibus suæ Diœcesis trahendus sit. *cit. C. Statutum* §. *cùm verò* 1. Quòd si partes sint diversarum Civitatum aut Diœcesium, & Actor in Civitate vel Diœcesi Rei Judicem habere recuset, poterit quidem in alia Civitate aut Diœcesi Judicem impetrare, non tamen in sua, nec Judex ultra unam dietam à Diœcesi Rei remotus esse debet, ut habetur *eod. C.* §. *cùm autem* 2.

523. Sextò. Non debet Delegatus assessorem sibi assumere, nisi eo indigeat. Quod conscientiæ ipsius committitur. Si sine necessitate assumat, ex proprijs ei providere cogitur. Si indiget, assumat, qui neutri parti sit suspectus. Curétque, ne ille ultra mo-

deratum stipendium aliquid exigat. *cit. C. Statutum de Rescript. in 6. §. Assessorem. 5.* Pariter curare debet, ne Notarius, quem in causa adhibet, in exigendo salario æqui & justi metas excedat. *cit. C. §. Notarium 6.* Denique non debet testes vocare, nisi quantum causæ conditio & status postulat. Is verò, qui testes produxit, competentes illis expensas subministrare debet, ut dicitur *cit. C. §. penult.*

## §. VII.

## *Quid Juris sit, si plures sint Delegati aut Subdelegati.*

### SUMMARIUM.

524. *Causa delegatur pluribus vel conjunctim, vel in solidum. Quod ultimum non præsumitur, nisi in rescripto exprimatur.*
525. *Pluribus si commissa simul est causa, nequit unus valide procedere sine altero.*
526. *Et mortuo uno vel inhabili reddito jurisdictionem amittit etiam alter.*
527. *Si facta est delegatio cum clausula, ut si unus non possit, procedant reliqui, possunt isti procedere, si alii nolint, tametsi possent.*
528. *Si plures sunt Delegati, major pars votorum obtinet.*
529. *Causâ pluribus in solidum delegatâ locum habet præventio.*
530. *Si simul cœperint cognoscere causam, unus sine reliquorum consensu eam expedire non potest.*

524. Cùm frequenter eadem causa pluribus simul delegetur, aut à Delegato Principis pluribus subdelegetur, explicandum est, quomodo plures hujusmodi Delegati aut Subdelegati in causa procedere possint ac debeant. Potest autem causa delegari vel subdelegari pluribus aut conjunctim, aut singulis in solidum. In solidum nunquam censetur pluribus delegata, nisi in Rescripto id exprimatur. *C. Causam 16. & C. Prudentiam 21. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* 525.

525. Si pluribus simul seu conjunctim, ut ferè fit, causa committitur, omnes ad eam concurrere debent, ita ut si unus non concurrat, processus sit nullus; nisi aliud in forma Commissionis expressum sit. *cit. C. 16. & L. Duo 39. ff. de Re Judic.* Secus est in Judicibus Ordinarijs, si plures jurisdictionem actualem habeant: poterunt enim & simul & seorsim judicare, uti colligitur ex *L. un. ff. de Offic. Consul.* & tradit ibi Bartol. *n. 1. & 2.* Gloss. *in C. ut Officium 11. de Hæret. in 6.* Gloss. *in cit. C. 21. V. Teneatur*, ac Panorm. *ibid.* Idémque communis DD. tradit de Judicibus delegatis ad universitatem causarum, v. g. duobus Visitatoribus Diœcesis: quòd eorum jurisdictio Ordinariæ æquiparetur.

526. Ex dictis consequens est, quod traditur *C. uno 24. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* si unus ex pluribus nominatim delegatis, moriatur, vel incapax fiat jurisdictionis, etiam reliquorum jurisdictionem expirare, & recurri ad Delegantem debere: nisi aliud in delegatione fuerit expressum. Idque verum esse existimo cum Molina *tr. 5. de Just. disp. 24. n. 1. §. quia ergo*, & Haunoldo *Tom. 5. de Justit. tr. 1. n. 126.* etiam tunc, quando unus eorum moritur re non ampliùs integrâ, dummodo moriatur ante sententiam. Sumitur ex *cit. C. 42. & C. licet 30. eod.* Ratio est: quia sicut si unus tantùm sit delegatus, & durante processu incapax reddatur jurisdictionis, pergere in causa non potest, tametsi cœpta jam sit: ita si complexum illud Delegatorum, cui Delegans jurisdictionem alligavit, non ampliùs detur, pergere reliqui nequeunt, quia sublato complexo vel Collegio Delegatorum sublata est jurisdictio. Si tamen unus ex Delegatis Pontificijs aliquem ex suis Collegis subdelegârit, poterit subdelegatus in causa procedere tam subdelegantis quàm proprio nomine, si subdelegans re non ampliùs integrâ mortuus, aut incapax jurisdictionis factus sit. C. *Quamvis 6. & C. Licet undique 30. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Idémque dicendum universim videtur de Delegatis Principum, quando causam subdelegant. Quòd si unus ex pluribus,

non nominatim, sed sub conceptu alicujus Dignitatis vel Officij, delegatis moriatur, vel incapax fiat, suspensa manet reliquorum jurisdictio, donec alius in Dignitate vel Officio succedat. *C. quoniam 14. eod.* Nam commissio facta intuitu Dignitatis aut Officij transit ad Successorem, tametsi res adhuc sit integra seu causa nondum cœpta, ut *in cit. C. 14.* tradunt Panorm. *n. 3.* & Decius *n. 3.* aliique ferè communiter apud Sanchez *L. 8. de Matrim. disp. 27. n. 7.* Quandonam verò commissio facta sit potiùs intuitu Dignitatis quàm Personæ, desumendum est cùm ex subjecta materia, tum ex adjunctis, maximè verò ex verbis commissionis. Sic v. g. si absolutè Officiali Episcopi, aut Decano Cathedralis Ecclesiæ vel Abbati certi Monasterij, sine expressione nominis personæ delegatæ, fiat delegatio, facta censetur intuitu Dignitatis. Sin fiat alicui expresso ejus nomine non factâ mentione Dignitatis, aut factâ quidem etiam hujus mentione, sed cum addito *ob perspectam nobis tuam fidem, peritiam &c.* aut *ex singulari, quam in tua persona habemus, fiducia &c.* censetur facta intuitu personæ. De quo fusè Sanchez *l. c. à n. 15.* & Laym. *in cit. C. 14. n. 1. & 2.*

527. Si plures sunt delegati cum clausula, ut si omnes non possunt, unus vel duo reliqui judicent, possunt illi duo procedere, si reliqui nolint, tametsi possent. *C. Prudentiam 21. §. Adjicimus de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Quia etsi tergiversatio non sit impossibilitas ex parte nolentis, est tamen ex parte alterius Judicis Delegati, qui cum nolente causam cognoscere non potest, ut advertit Panorm. *in cit. C. 21. n. 2.* Si verò plures sint delegati cum dicta clausula, & unus vel plures judicio intereſſe aut nolint aut non possint, possunt reliqui procedere soli, neque tenentur admittere subdelegatos eorum, qui non possunt, aut non volunt. *C. coram dilecto 34. eod.* Is tamen, qui impeditus fuit, cessante impedimento recuperat jurisdictionem, quippe quæ non censetur amissa, sed solùm suspensa fuisse. Eadémque est ratio de successore ejus, qui mortuus fuit: is enim in Jurisdictione succedit defuncto, & cum reliquis Delegatis exercere eam poterit, si

si quidem defuncto fuerit mandata ratione Dignitatis aut Officij, uti patet ex *C. quoniam 14. eod.* & *L. cùm aliis C. de Curatore furioſi.* Si denique cauſa ſit pluribus commiſſa ſub dicta clauſula, & unus Delegatorum recuſetur à partibus, vel à tertio, cujus intereſt, & cauſa recuſandi probabilis videatur, poteſt quidem ille, qui recuſatus non eſt, ſolus procedere: ſi tamen alter, qui recuſatus eſt, concurrat, proceſſus erit nullus. *C. cùm ſuper 23. eod.* De cauſa autem ſuſpicionis & recuſationis, cognoſcere ille vel illi debent, qui recuſati non ſunt. Si clauſula illa appoſita non fuit, ſuper recuſatione recurrendum eſt ad arbitros: ſi recuſatur Delegatus Epiſcopi, ad Epiſcopum; uti etiam tunc, quando recuſatur Epiſcopi Vicarius. *C. ſi contra 4. eod. in 6.*

528. Quando plures ſunt delegati, major eorum pars obtinet, v.g. ſi ex tribus Delegatis duo in eandem ſententiam conveniant. *cit. L. 39. ff. de Re Judic.* Excipitur caſus, qui affertur *C. Paſtoralis 14. de Reſcript.* Quando videlicet inter plures, qui per diverſa Reſcripta delegati ſunt, oritur controverſia: tunc enim, etiamſi plures ex ijs ſuper quæſtione Jurisdictionis concordent, recurrendum nihilominus eſt ad arbitros. Si verò Delegatorum vota contraria, ſint paria numero, recurrendum eſt ad Delegantem, & interim, donec ipſe decidat, ſententia eſt in ſuſpenſo. *C. fin. de Sent. & re judic. L. 28. ff. eod.* Aliud ſtatuitur de Judicibus Ordinarijs *cit. C. fin. & L. 38. ff. eod.* Horum enim vota contraria ſi paria ſunt, illorum ſententia prævalet, quæ favet Reo. Niſi cauſa ſit favorabilis, videlicet Matrimonij, Libertatis, Dotis, Alimentorum, Teſtamenti &c. tunc enim eorum ſententia prævalet, quæ ejusmodi cauſæ favet.

529. Hactenus de ijs Delegatis, quibus conjunctim cauſa commiſſa eſt. Si plures ſint delegati in ſolidum, ita ut etiam ſeorſim & ſinguli jurisdictionem exercere poſſint, datur locus præventioni, ita ut ſi unus eorum cauſam cœperit, reliqui ſe intromittere nec licitè nec validè poſſint: niſi is ex infirmitate alióve juſto impedimento progredi non poſſit; aut malitioſè nolit.

*C. cùm plures 8. de Offic. & potest. Judic. Deleg. & L. un. ff. de Offic. Consul.* Quòd si ex pluribus in solidum delegatis unus negotium inchoavit, censetur jurisdictio perpetuata etiam quoad reliquos, ita ut si Delegans moriatur, itémque Delegatus, qui causam præoccupavit, reliqui Delegati eandem finire possint: quia ab initio Judices dati sunt cum quadam communione, ut non solùm conjunctim procedere possint, sed etiam seorsim, & ita quidem, ut si is, qui præoccupavit, impeditus sit, vel longè abeat, aut moritur, alter in ejus locum succedat, & causam perficiat.

530. Dubium hîc movet Lapus *ad cit. c. 8. n. 3.* an si Delegati in solidum simul cognoscere inceperint causam, unus eorum sine reliquis expedire eam possit. Respondendum cum eodem est, non posse unum eorum, nisi reliqui tacitè saltem consentiant, vel impediti sint: quia sicut uno inchoante & præoccupante procedere reliqui nequeunt, ita pariter si omnes inchoârunt, & velut præoccupârunt causam, unus sine alijs procedere non poterit.

## §. VIII.

## *Quomodo cesset Jurisdictio Delegatâ.*

### SUMMARIUM.

531. *Jurisdictio mandata cessat vel omnino, vel solum ad tempus. Et vel ex parte* Delegantis, *vel ex parte* Delegati.
532. *Cessat revocatione* Delegantis.
533. Delegatus *non potest subdelegationem revocare, cœptâ jam causâ per subdelegatum.*
534. *Si subdelegata est causa, non ad subdelegantem, sed ad primum* Delegantem *appellandum est.*
535. *Revocatio publicè ignorata, aut non intimata* Delegato *vel* Subdelegato, *non impedit valorem processûs.*
536. *Jurisdictio* Delegati *finitur morte* Delegantis, *re adhuc integrâ.*

537.

537. *Non item, si ante mortem Delegantis cœpta jam sit à Delegato causa.*
538. 539. *Cœpta esse dicitur per solam citationem.*
540. *Tametsi hæc solùm emanârit à Judice, nec intimata fuerit parti.*
541. *Dummodo validè facta sit.*
542. *Per solam subdelegationem non perpetuatur jurisdictio Delegati.*
543. *Nec per hoc, quòd Delegatus acceptavit rescriptum delegationis.*
544. *Re adhuc integrâ per mortem Delegantis expirat jurisdictio etiam ad universitatem causarum delegata.*
545. *Jurisdictio delegata non expirat morte Delegantis, quamdiu hæc publicè ignoratur.*
546. *Subdelegatâ totâ causâ non extinguitur jurisdictio Subdelegati per mortem Subdelegantis, quando vivit Delegans; secùs, si pars tantùm delegata fuit.*
547. *Si cœpta jam fuit causa à Subdelegato, non expirat ejus jurisdictio per mortem Subdelegantis, tametsi hic eam non coperit.*
548. *Idem dicendum est, si cœpta causa fuit à Delegato ante mortem Delegantis, tametsi cœpta non fuerit à Subdelegato.*
549. *Morte Delegantis, re integrâ, delegata jurisdictio ipso jure extinguitur, ita ut opus non sit exceptione.*
550. *Non tamen extinguitur, si sit accessoria gratiæ jam factæ.*
551. *Nec quando facta est nomine Dignitatis.*
552. *Finita est jurisdictio Delegati, si functus est suo officio.*
553. *Non item jurisdictio Judicis Ordinarij.*
554. *Ratio discriminis assignatur.*
555. *Cessat jurisdictio Delegati lapso termino per Delegantem præscripto.*
556. *Aut si amisit dignitatem, cujus intuitu facta est delegatio.*
557. *Idem dicendum est de jurisdictione Subdelegati, si hic negotium ante dignitatem à Delegato amissam non inchoavit.*
558. *Si delegatio facta est intuitu personæ, expirat re integrâ jurisdictio*

*dictio Subdelegati, si Subdelegans deponitur dignitate: secùs, si renuntiat, aut ad aliam transfertur.*

559. *Suspenditur jurisdictio* Delegati *per impedimentum temporale superveniens* Deleganti.

560. *Nisi ante impedimentum causam inchoârit* Delegatus.

531. Jurisdictio Delegata vel omnino cessare potest: quâ ratione propriè dicitur expirare. Vel cessare potest solùm ad tempus, quamdiu v. g. durat impedimentum aliquod aut jurisdictionis exercendæ inhabilitas: quod si fit, dicitur Jurisdictio suspendi. Præterea cessare potest vel ex parte Delegantis vel ex parte Delegati aut Subdelegati. De singulis hisce modis Jurisdictionis aut interrumpendæ aut finiendæ ordine agemus.

532. Finitur in primis & expirat Delegata Jurisdictio, si eam revocet Delegans: nam, ut ait J. C. *L. 58. ff. de Judic. Judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat: vel etiam eo, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet.* Revocare autem delegationem potest Ordinarius, imò & alteri subdelegare, re etiam non amplius integrâ; saltem validè, imò & licitè, si justa revocandi causa subsit, ut quia sublato impedimento, quo priùs tenebatur, ipsemet causam cognoscere vult, vel quia fides & integritas Delegati meritò ipsi fit suspecta, vel quia postea ipsi innotuit, Delegatum non esse causæ tractandæ satis peritum, aut parùm industrium &c. Et quidem revocare arbitratu suo potest, etiamsi eam mandârit ad universitatem causarum, & sive Contentiosam sive Voluntariam delegârit, sive pro foro interno sive pro externo, ut cum communi DD. tradunt Suar. *Tom. 4. in 3. P. disp. 26. sect. 3. n.* 3. & Sanchez. *L. 8. de Matrim. disp. 33. n.* 6. Rationem dat Baldus *in L. qui se patris 3. C. Unde liberi:* quia utitur jure suo & re quasi propria. Dummodò Delegatum indemnem servet, ne ipsi suum officium damno sit. Neque hic discrimen est inter Delegatum aliósque Mandatarios. Nam licèt §. *Rectè Instit. de Mandato* re integrâ revocari mandatum posse dicatur, & sic à sensu contrario dicendum videatur, non posse revocari re non amplius

pliùs integrâ, hoc tamen DD. solùm admittunt, quando nulla justa revocandi causa subesset; vel quando contradiceret is, cum quo negotium cœptum geritur; aut quando ex revocatione damnum aliquod illi tertio vel mandatario aut in re aut in fama emergeret. Subdit tamen *l. c.* Suarez, Superiorem Delegantis non posse absque causa delegationem revocare: eò quòd injuriam irrogaret ipsi deleganti, eum privando absque causa jure delegandi, quod ex sua Jurisdictione Ordinaria habet. Et adeò, ait, manifestè injusta revocatio esse posset, ut videretur nulla. Sicut si Superior vellet injustè & absque ulla causa subditum privare munere suo, nihil validè efficeret. Quam doctrinam non vacat hîc examinare.

533. Si Delegatus Principis totam causam subdelegavit, eámque agere Subdelegatus jam cœpit, non potest commissionem factam revocare, aut alteri committere, aut se ampliùs immiscere. Imò moriente Subdelegato, aut quovis alio modo jurisdictionem subdelegatam post causam jam cœptam amittente, non redit jurisdictio ad Subdelegantem. *C. Venerabili 37. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* & ibi Glossa communiter recepta *V. Vices suas.* Quia per exercitium & inchoationem à Subdelegato factam jurisdictio Subdelegantis penitus expirat, eò quòd tunc censetur jam esse functus suo officio. Si autem res adhuc est integra, seu Subdelegatus nondum uti cœpit jurisdictione, poterit etiam Subdelegans potestatem revocare, ut monet Glossa *ibid. V. Non potuit*, & traditur *C. quamvis 6. eod. in 6.* Id enim commune est omni commissioni & mandato, ut dum res integra est, potestas commissa ad mandantem magis spectare videatur, quàm ad mandatarium, ideóque illius arbitratu revocari possit.

534. Ex modò dictis consequens est, quod traditur *C. super quæstionum 27. eod.* quòd si Delegatus Principis totam causam subdelegavit & pars à Subdelegato appellet, non ad Subdelegantem, sed ad Principem Delegantem appellandum sit: quia, ut dictum est, Subdelegantis jurisdictio expiravit. Si verò solùm partem

causæ subdelegavit, vel cum aliqua restrictione, ratione cujus posset jurisdictionem in aliquo eventu reassumere, appellandum erit ad Subdelegantem.

535. Sed sive Ordinarius revocet delegationem, sive Delegatus subdelegationem, revocatio vim non habebit, nec valorem processûs impedit, nisi illi, cujus potestas revocatur, intimata fuerit ab ipso revocante vel ejus nomine per missum nuntium, procuratorem, vel literas, ut post Bartol. *in L. Barbarius ff. de Offic. Prætor. sect. 2. n. 18.* Bald. *ibid. sect. 2. n. 28.* ac communem aliorum docent Rebuff. *in Praxi Benefi. tit. de Forma Vicariatûs n. 212.* Menoch. *de Arbitrar. Judic. L. 2. casu 185. à n. 40.* & Sanchez *L. 3. de Matrim. disp. 30. n. 11. arg. L. Si fortè 17. ff. de Offic. Præsid.* junct. Gloss. *V. Cognoverit.* Eadémque est ratio de casu, quo potestas Delegati est revocata, sed revocatio publicè ignoratur, de quo mox plura *n. 545.*

536. Secundò. Finitur jurisdictio Delegati morte Delegantis, re adhuc integrâ seu nondum cœpto ante ejus mortem negotio. *L. Et quia 6. ff. de Jurisdict. C. Gratum 20. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* & *C. Licèt undique 30. eod.* Aliter discurrendum est de jurisdictione Judicis Ordinarij non vicaria: hæc enim per mortem conferentis non finitur, tametsi Ordinarius eà uti nondum cœperit. *cit. L. Et quia 6. ff. de Jurisdict.* & *C. 2. de Offic. Legati in 6.* Rationem dat Panorm. *in C. Relatum de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 4.* quia Jurisdictio Ordinaria à Lege vel Principe concessa, cùm primùm acceptata est, tanquam gratia, vel potiùs tanquam jus quoddam, inhæret personæ, conferens ipsi statum ac dignitatem Judicis ac Superioris. Gratia autem, Jus, seu Beneficium alicui à Principe concessum, morte concedentis non expirat. *C. si super 9. eod. in 6.* ergo neque Jurisdictio Ordinaria. Quin firmior de se est ista Jurisdictio, quàm aliæ gratiæ Principis. Hæ enim ordinariè expirant cum Principe, si concessæ sint ad beneplacitum concedentis. *C. si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* at Jurisdictio Ordinaria etiam tali formâ concessa, propter

propter favorem & utilitatem publicam non extinguitur cum concedente, ut post Baldum aliósque docent Menoch. *L. 1. de Arbitrar. Judic. q. 69. n. 9.* Ant. Gabriel. *Tom. 3. Comm. opin. tit. de Præbend. concluſ. 1. n. 32.* & Sanchez *L. 8. de Matrim. c. 28. n. 5.* E contrario Jurisdictio Delegata, cùm ſit inſtar mandati, quod in gratiam mandantis fieri ſolet, potiùs ſpectat ad Delegantem quàm Delegatum; unde illius veluti oſſibus inhæret, donec per uſum & exercitium eam ſibi velut appropriare & ſuam facere incipiat Delegatus, uti ſumitur ex *C. quamvis §. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg. in 6.* Varias alias rationes afferunt alij, quas refert & expendit Emman. Gonzalez *in C. Gratum 20. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg. n. 5.* Dixi autem, Jurisdictionem Ordinariam non vicariam morte concedentis, etiam re integrâ, non extingui. Vicarij enim jurisdictio, utpote eadem cum jurisdictione conſtituentis Vicarium, expirat hoc ipſo, quando deſinit in concedente, adeóque etiam re non integrâ: quod etiam de alijs Officialibus ad nutum amovibilibus dicendum eſt.

537. Si verò cœptum jam fuerit à Delegato negotium ante mortem Delegantis, perpetuatur ejus jurisdictio, nec cum Delegante expirat. *cit. C. 20. & 30.* Quia tunc jam propriam velut ac ſuam fecit jurisdictionem Delegatus. Idémque dicendum eſt de Jurisdictione, quæ ſtabili Lege delegata eſt, prout per Concilium Tridentinum Epiſcopi in multis, præcipuè circa Exemptos ab ipſorum jurisdictione, conſtituti ſunt Sedis Apoſtolicæ Delegati: durat enim hujusmodi jurisdictio, quamdiu durat & non tollitur Lex, tametſi Legislator mortuus ſit: quia ipſa Lex cenſetur continuò delegationem confirmare.

538. Nonnullæ jam, quæ ex dictis emergunt, quæſtiones breviter examinandæ ſunt; quia ijs non deciſis manca & inutilis foret doctrina modò tradita. Itaque dubitatur primò, quandonam res non ſit ampliùs integra. Pugnare hîc inter ſe videntur *C. Relatum 19.* & *C. Gratum 20. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg.* quorum priore dicitur, ſi lis ante obitum Delegantis fuerit con-

testata, ejus morte non extingui mandatum seu delegationem. Requiritur ergo ibi litis contestatio ad hoc, ut jurisdictio delegata perpetuetur, seu non extinguatur cum Delegante. Altero verò asseritur, cùm per citationem causa sit veluti cœpta, posse Judicem Delegatum, imò debere in causa procedere, si post citationem Delegans fuerit mortuus. Sufficit ergo sola citatio ad perpetuandam Delegati jurisdictionem. Varias hîc conciliationes moliuntur DD. quas videre est apud Emman. Gonzal. *l. c. n. 4.* & Sanchez *L. 8. de Matrim. c. 28. n. 9.* quarum celeberrima est, quam afferunt Innocent. Joan. Andr. Hostiens. ac plerique alij in *cit. C. Relatum*, supplendum esse *maximè*, ita ut sensus sit, rem non esse integram, siquâ ratione negotium à Delegato cœptum jam sit, maximè, si lis fuerit contestata. Quam tamen expositionem satis refellunt ultima textûs verba: *Si verò ante litis contestationem decessit, non est à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum.* Itaque meliùs cum Panor. Decio, Felino, ac alijs dicitur, quamvis Lucius VIII. *cit. Relatum* censuerit tutius, non esse procedendum à Delegato, si mors Delegantis ante litis contestationem contigerit, nihilominus aliam sententiam amplexum esse ejus Successorem Urbanum III. *cit. C. Gratum*, voluisséque, ut ad perpetuandam jurisdictionem Delegati sufficiat citatio.

539. Igitur contra Germonium, Vega, Perez, Arellanum, aliósque, quos refert ac sequitur Emman. Gonzalez *l. c. n. 4.* dicendum est cum communissima reliquorum DD. de Jure Canonico non finiri morte Delegantis jurisdictionem Delegati, si citatio patris eam præcessit, etsi absque litis contestatione. Cùm ita statutum sit *cit. C. gratum 20.* quod est posterius illo altero, nimirum *C. 19.* cùm Urbanus fuerit Successor Lucij. Neque aptæ sunt illæ explicationes, quas Emman. Gonzalez *l. c.* aliique pro sua opinione illi adhibent. Imò juxta Joan. Andr. Ancharan. Hostiens. Bald. ac alios, quos citat Sanchez *l. c. n. 8.* ne quidem citatio est necessaria, sed sufficit ad hoc, ut res cœpta dicatur, Judicem

cem quomodocunque cœpisse uti jurisdictione, exercendo quemcunque actum judicialem. Certè juxta praxim sufficit citatio, & complures Legistæ contendunt, eam sufficere etiam de Jure Civili. Hinc verò

540. Dubitatur secundò, an ad hoc, ut cœptum esse dicatur negotium per citationem, & res non sit integra, sufficiat, eam à Judice Delegato esse egressam, etiamsi necdum ad citandum pervenerit, antequam moreretur Delegans. Negant, requirúntque, ut pervenerit ad partem, Cardin. Zabarella *in Clem. 2. Ut lite pend. n.* 11. *oppos.* 6. & nonnulli alij, quos sequitur Molina *Tr. 5. de Just. disp. 19. n.* 3. dicens, citationem, antequam ad partem citandam perveniat, non esse citationem, sed expeditionem citationis. Quod juxta Haunold. *Tom. 5. de Just. tr. 1. n.* 111. perinde est, ac siquis diceret, formationem vocum in aëre non esse locutionem, antequam alter audiat, sed expeditionem locutionis. Sed reverâ per hoc solùm, quòd citatio emanavit à Judice, non potest dici partem esse citatam, nisi citatio ipsi intimata fuerit. Nihilominus dicendum est cum Glossa magna communiter recepta *in Clement. 2. Ut lite pend.* sufficere ad perpetuandam Delegati jurisdictionem, emanâsse citationem à Judice, nec opus esse, intimatam parti fuisse. Nam in primis *cit. C. 20.* non requiritur, citatam fuisse partem, sed propositum fuisse citationis edictum. Deinde quamvis completa citatio tribus partibus constet, mandato Judicis de parte citanda, executione nuntij, & relatione ejusdem, asserentis se citâsse: solum tamen mandatum de citando propriè est actus jurisdictionalis. Sola igitur sufficit, ut dicatur Judex cœpisse uti jurisdictione. Demum ut res dicatur non ampliùs esse integra, solus actus Judicis considerandus est, qui perfectus est per solum citandi mandatum, utpote quod est quædam Sententia Interlocutoria, juxta Glossam *in L. cùm Clericis C. de Episc. & Cleric. V. Sententiarum.* Hinc multò minùs necessaria est trina citatio, nec una peremptoria, ut contra Ancharan. docent Archidiacon. Joan. Andr. Panorm. Felin.

Imola, ac alij apud Sanchez *l. c. n. 14.* Non tamen sufficit Citatio anomala, ea videlicet, quam absque Judicis auctoritate facit creditor debitori fugitivo. Quamvis enim permissa sit à Lege, ut observat Bartol. *in L. Neminem C. de exhibend. reis*, per textum *L. ait Prætor §. si debitorem ff. de his, quæ in fraud. credit.* non tamen est legitima, utpote facta absque Judicis auctoritate, neque est actus jurisdictionalis. Anton. *in C. 1. de Judic. n. 22.* Panorm. *ibid. n. 33.* Felin. *in cit. C. Gratum. n. 5.*

541. Dubitatur tertiò, an si citatio ex defectu alicujus requisiti sit nulla, nihilominus dici possit, cœptum jam esse negotium nec rem ampliùs esse integram. Affirmant Hostiens. *in C. Licet 30. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 2.* & Roman. *in L. More ff. de Jurisdict.* quia Judex, ut ajunt, præcipiendo citationem, etsi invalidè, verè uti jam cœpit suâ jurisdictione. Sed placet opinio negans Glossæ *in C. cùm plures de Offic. Deleg. in 6.* & *ibid.* Joan. Andr. *in fin.* Ancharan. *n. 6. q. 3.* ac aliorum, quos refert Sanch. *l. c. n. 16.* quia juxta *C. quamvis eod. in 6.* ad perpetuandam jurisdictionem requiritur ejus usus & exercitium. At tale exercitium non est actus invalidus, quia est abusus, non usus jurisdictionis. *Can. ubi ista dist. 73.* & *Can. Privilegium 11. q. 3.* Hinc *C. penult. de Foro comp.* requiritur, ut reus sit *legitimè citatus*, seu, uti suprà interpretatus sum, ut citatio legitimè emanârit: quia citatio nulla nullum effectum producere potest, cùm perinde sit, ac si omnino facta non fuisset.

542. Dubitatur quartò, an jurisdictio eo ipso perpetuata esse censeatur, quòd Delegatus causam subdelegavit. Affirmant Glossa *in C. penult. de Offic. Deleg. in 6. V. Processum*, Hostiens. *in C. Licèt undique eod. n. 2.* & *ibid.* Joan. Andr. *n. 6.* Angel. *in L. Et quia ff. de Jurisd. n. 6.* Paul. Castr. *in L. More ff. eod. n. 9.* ac alij. Rationem dant: quia Jurisdictio perpetuatur, quamprimùm Delegatus eâ uti cœpit. *cit. C. Licèt.* At subdelegando utitur Jurisdictione sibi delegata. Sed asserendum est cum Panorm. Dec. Imol. Felin. ac alijs, quos refert Sanchez *l. c. n. 18.* per solam subdelegationem

nem non perpetuari Jurisdictionem, sed necesse esse, ut citatio facta sit vel ab ipso Delegato vel à Subdelegato. Hæc sententia manifestè supponitur *C. penult. de Offic. & potest. Judic. Deleg. in 6.* dum ibi appellatio agnoscitur rationabilis & justa ex eo, quòd Subdelegatus admittere noluit exceptionem, quâ recusabatur tanquam carens Jurisdictione, eò quòd Delegans fuerit mortuus, antequam vel ipse Subdelegatus vel Delegatus in causa processisset. Eadem supponitur *C. ult. in fin. de Offic. Legati.* Ratio est: quia delegare & subdelegare, sicut & Notarium eligere, non sunt actus judiciales: quamlob rem etiam extra territorium Judicis Ordinarij seu Delegantis fieri possunt, ut notat Felin. *in cit. C. Relatum 12.* ac idcirco per exercitium talis actûs non est cœptum judicium.

543. Ex quo consequens est, admittendum non esse, quod cum Hostiens. Bald. ac Joan. Andr. docet Silvester *V. Delegatus q. 6. n. 8.* rem non ampliùs esse integram, si Delegatus acceptat præsentatum sibi à parte Rescriptum delegationis, aut Subdelegatus Rescriptum subdelegationis. Nam acceptare Rescriptum est solùm acceptare Jurisdictionem Delegatam, non autem eam exercere. Atqui ad perpetuandam Jurisdictionem requiritur ejus exercitium & cœptum judicium, ut constat ex *cit. C. Relatum, C. Gratum, C. Licet undique.*

544. Dubitatur quintò, utrùm Jurisdictio Contentiosa ad universitatem causarum delegata, mortuo Delegante expiret. Negat Ancharan. *in cit. C. licet q. 4.* quia hujusmodi Delegata Jurisdictio æquiparatur Ordinariæ; at Ordinaria non finitur morte Delegantis. Sed affirmandum est cum Panorm. *in cit. C. Relatum n. 7.* Bald. *in cit. C. Licet n. 6.* Felin. *in cit. C. Pastoralis §. quoniam de Rescript. n. 3. fallent. 4.* Alexandr *in L. Moreff. de Jurisdict. n. 29. & 37.* ac communi aliorum. Sumitur ex *C. Ne aliqui de Hæret. in 6.* ubi deciditur, favore Fidei officium Inquisitorum non cessare morte concedentis re integrâ, cùm tamen eorum potestas sit delegata ad universitatem causarum, ut notant Joan. Andr.

Andr. & DD. *in C. per hoc de Hæret. in 6.* ergo ubi favor Fidei non est, cessat morte concedentis re integrâ. Eadem quoque ratio, quam universim attuli *n. 536. in fin.* pro jurisdictione delegata, hîc militat etiam pro ea, quæ mandata est ad universitatem causarum. Quod dicitur, hanc Jurisdictionem Ordinariæ æquiparari, tunc solùm procedit, quando in Delegatum transijt, ipsique plenè acquisita est per aliquem actum judicialem vi ipsius exercitum: tunc enim, etiamsi unam tantùm causam tractare cœperit Delegatus, ejus Jurisdictio etiam quoad alias nondum cœptas stabilita & perpetuata manet, propter earum connexionem in delegatione factam. Aliud foret, si plures causæ in commissione specificè expressæ fuissent: nam tunc unâ earum cœptâ Jurisdictio quoad alias non cœptas morte Delegantis cessaret, ut docent Bartol. *in L. More ff. de Jurisdict.* Paul. Castr. *ibid. n.* 10. Dec. *n. 56.* Jason *n. 36.* Curt. Jun. *n. 84.* Angel. *in L. Et quia ff. de Jurisdict. n.* 5. Bald. *in C. Pastoralis §. quoniam de Rescript.* ac alij. Præterquam si causæ inter se connexionem habeant, ita ut una alteram secum trahat: tunc enim juxta *L. ult. C. de duobus reis* perpetuata Jurisdictio quoad unam causam, erit perpetuata etiam quoad alias.

545. Dubitatur sextò, utrùm Jurisdictio Delegata, si nondum exerceri cœpta sit, per mortem Delegantis expiret, si hæc ignoretur. Distinguendum hîc est inter ignorantiam publicam & privatam Delegati. Si hic mortem illam ignoret, extincta nihilominus est ejus Jurisdictio, ita ut licèt bonâ fide procedat, acta nihilominus sint invalida, ut cum communi DD. tradunt Covarr. *Pract. qq. c.* 11. *n.* 2. & Sanchez *L.* 3. *de Matrim. c.* 22. *n.* 55. & 59. quia Jura suprà allegata *n.* 536. absolutè pronuntiant, re adhuc integrâ morte Delegantis extingui Jurisdictionem Delegati. Si verò mors Delegantis eo in loco, ubi Delegatus Jurisdictionem exercet, publicè ignoretur, valent, quæ ab ipso acta sunt, tametsi ipse privatim mortem illam sciat. *arg. L. Barbarius ff. de Offic. Prætor.* Cùm hîc concurrant titulus coloratus, ac publica ignorantia defectûs ex morte provenientis; quo casu in impedi-

mentis,

mentis, quæ Juris duntaxat humani sunt, uti hoc est, de quo agimus, Lex & voluntas Principis ob publicam utilitatem supplet defectum, ut ad *cit. L. Barbarius* tradunt Juristæ, consentientibus, etiam quoad Sacram Jurisdictionem, Theologis.

546. Dubitatur septimò, an expiret Jurisdictio Subdelegati per mortem Delegati, si adhuc vivit Ordinarius, qui delegavit, & res adhuc est integra quoad Subdelegatum. In diversas, si unquam, opiniones hîc abierunt DD. Omissis illis, qui ambiguè loquuntur aut fluctuant, uti Innocent *in C. Licet undique de Offic. Deleg. n. 5. V. alijs autem*, Hostiens. *ibid. n.* 4. Joan. Andr *n.* 18. Speculat. *tit. de Judice Deleg. §. Restat videre n.* 7. omissâ item aliquorum sententiâ simpliciter affirmante, ut Angel. *in L. Ut quia ff. de Jurisdict. n.* 3. Cacialup. *in L. More ff. eod. n. penult.* ac aliorum simpliciter negante, ut Anchar. *in cit. C. Licet q. 5.* præferenda videtur opinio Barth. Socini *in cit. L. More n.* 74. sic distinguentis. Aut subdelegatio facta est in totum, nimirum committente Delegato omnes vices suas. Et tunc eo mortuo, vivente adhuc primo Delegante, non extinguitur Jurisdictio Subdelegati, tametsi causa cœpta nondum fuerit à Subdelegante. Extinguitur verò, si partem tantùm causæ subdelegavit Delegatus: sive ipse causam jam cœperit, sive non. Ratio discriminis est: quia quando subdelegatio fit in totum, Delegatus totam à se Jurisdictionem abdicat, ac ideò non appellatur tunc ad ipsum, sed ad Delegantem juxta *C. Super quæstionum §. Porro de Offic. Deleg.* & Jurisdictio subdelegata tunc pendet à solo Delegante, ac propterea non perit, quamdiu ipse est superstes, quamvis moriatur Delegatus nondum cœptâ per Subdelegatum causâ. At quando subdelegatio fit pro parte, Delegatus non abdicat à se totam Jurisdictionem, & idcirco ad ipsum appellatur juxta *cit. §. Porro.* quia Jurisdictio subdelegata ab ipsius Jurisdictione pendet, quo fit, ut ipso moriente pereat Jurisdictio Subdelegati, si iste causam tractare nondum cœpit. Æquè probabilis, & prioribus duabus opinionibus pariter anteferenda videtur quarta Jasonis *in cit. L. More n.* 13. sic distinguentis. Quando

do Delegatus ex speciali potestate sibi à Delegante tradita subdelegat, non perit potestas Subdelegati per mortem Subdelegantis, quamvis negotio per Subdelegantem nondum cœpto, si Delegans superstes est: quia ipse est prima radix, & censetur substituens. Secùs, si Delegatus subdelegat jure proprio: quia tunc non primus, seu Judex Ordinarius & Delegans, sed ipse Delegatus censetur substituere.

547. Dubitatur octavò, an expiret jurisdictio Subdelegati per mortem Delegantis cœpto jam per ipsum Subdelegatum negotio, nondum tamen per Delegatum. Dicendum est, non expirare. Ita supponitur *C. penult. de Offic. Deleg. in 6.* & tradunt *ibi.* Dominic, *n. 5.* Franc. *n. 2.* & Imola *in cit. C. Licet de Offic. Deleg. n. 2.* quia si Subdelegatus uti cœpit jurisdictione, hæc jam radicata est seipsâ, ac proinde jam non pendet ampliùs à primo Delegante & Subdelegante.

548. Dubitatur nonò, an expiret subdelegata jurisdictio, quando Delegans moriturre adhuc integrâ quoad Subdelegatum, non tamen quoad Delegatum, sive si cœptum quidem fuit negotium à Delegato ante Delegantis mortem, non verò à Subdelegato. Dicendum est, neque in hoc casu expirare. Quia ut perpetuetur, satis est alterutrum, videl. vel Subdelegantem vel Subdelegatum, uti cœpisse jurisdictione ante mortem Delegantis, ut constat ex *C. penult. de Offic. Deleg. in 6.* & tenent *ibi* Glossa *V. Processum*, Domin. *n. 5.* Franc. *n.* 1. Ferretus *vol. 1. consil. 158. n. 1. & 2.*

549. Dubitatur decimò, an potestas delegata per mortem Delegantis expiret ipso jure. Affirmandum est cum Bart. Bald. Panor. Joan. Andr. Dec. ac communi aliorum, quos refert & sequitur Sanchez *L. 8. de Matr. disp. 28. n. 41.* ubi ait, id esse verissimum. Patet ex *C. fin. v. Officium de Offic. Deleg. in 6.* ibi: *Officium autem quorumcunque Conservatorum, ipso jure, quoad non cœpta negotia per obitum concedentis volumus expirare.* Et *C. Si cui 36. de Præbend. in 6.* de delegata potestate Beneficia

conse-

conferendi ait Pontifex: *illa quidem expirat omnino, si concedens re integrâ moriatur.* Accedit, quòd *cit. C. Gratum* & *C. Licet undique de Offic. Deleg.* ac *L. 6. ff. de Jurisdict.* absolutè & sine mentione exceptionis traditur, per mortem mandantis expirare mandatam jurisdictionem exerceri nondum cœptam. Contrarium tenent, & non expirare jurisdictionem ipso jure, sed solùm ope exceptionis, adeóque, si hæc non opponatur, valere acta Judicis Delegati, tradunt Innoc. *in cit. C. Licet n. 2. v Aliis autem*, Hostiens. *in summa tit. de Offic. Deleg. §. Et qualiter*, Archidiac. *in C. pen. eod. in 6. n. 2.* Speculat. *tit. de Offic. Deleg. §. Restat n. 7.* cum Goffred. Franc. & Brixiensi Moventur I. quia *cit. C. penult.* admittitur appellatio partis contra Subdelegatum, quia hic exceptionem de morte Delegantis admittere recusârat. Verùm in casu *cit. Cap.* intervenerat quidem exceptio; at non dicitur, eam fuisse necessariam ad excludendam jurisdictionem Subdelegati. Moventur II. quia tempus datæ inspiciendum est juxta *C. Eam te 7. de Rescript.* & tempore præsentationis imprimitur Delegato jurisdictio: ergò hanc non extinguit ipso jure mors Delegantis postea superveniens. Sed negatur hæc consequentia: quia etsi per rescriptum concedatur jurisdictio, non tamen radicatur & stabilis est in Delegato, nisi postquam eâ uti cœperit, ac ante hunc usum pendet à Delegantis jurisdictione; hæc autem ipsius morte extinguitur, ac per consequens etiam jurisdictio Delegati ab illa dependens. Moventur III. quia mortuo Delegante re adhuc integra, potest Delegatus procedere ex partium consensu, uti sumitur ex *C. Cùm venissent 25. de Testib.* At si jurisdictio expirâsset, non posset partium consensus illam conferre, ut dictum est suprà *n. 404.* Verùm *cit. C. 25.* solùm dicitur, quòd per appellationem interpositam non possit impediri confirmatio sententiæ, si appellans post appellationem interpositam coram Judice *à quo* egit & respondit, cùm is, qui post appellationem respondet, illi renuntiet. Interim non negatur, posse ipsum agere adversus sententiam de nullitate, si Delegatus ante mortem

Delegantis uti non cœpit jurisdictione, sed primùm post illam.

550. Dubitatur undecimò, utrùm universim procedat regula hactenus tradita, videlicet expirare mandatam Jurisdictionem, si mandans re integrâ moriatur. Respondetur, hîc quoque, ut ferè in alijs regulis, dari exceptiones. Nam inprimis non procedit, si delegata jurisdictio sit accessoria gratiæ jam factæ: sicut enim gratia non perit, tametsi moriatur, qui eam concessit, etiam antequam eâ uti cœperim; ita nec potestas accessoria, quia sequitur naturam gratiæ principalis. *Si super gratia* (inquit Pontifex *C. 9. de Offic. Deleg. in 6.*) *cuiquam à Sede Apostol. factâ executores fuerint deputati, æquum esse censemus, ut sicut ipsa gratia (licèt nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic nec etiam re integrâ perimatur executoribus data potestas, quam veluti gratiæ prædictæ accessoriam, naturam sequi congruit principalis. Ne gratiam eandem vel reddi quandoque omninò inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cum illius dispendio, cui facta extitit) differri contingat.* Hæc decisio procedit, etiamsi gratia facta non sit ab ipso Principe, v. g. SS. Pontifice vel Imperatore, sed etiam ejus Legato, uti cum Archidiac. Anchar. Joan. Andr. Dominic. Franc. ac alijs docet Gabrielius *L. 6. Conclus. commun. conclus. 1. de Præb. n. 4.* quia militat eadem ratio. Procedit item, tametsi is, cui facta est gratia, eam nondum acceptârit ante mortem concedentis, sed primùm postea: quia gratia semel facta non expirat morte concedentis, tametsi eam nondum acceptârim vel per me vel per alium, ut post Lap. Dominic. Franc. Portium, ac alios docent Sanchez *cit. disp. 28. n. 43.* & Suar. *L. 8. de Legib. c. 31. n. 21.* ubi id fusè probat: & ferè nemo est, qui acceptationem requirat ad hoc, ut gratia dicatur esse facta, uti loquitur Palao *tr. 3. disp. 4. pun. 16. §. 2. n. 5.* Denique procedit non de mero tantùm executore, ut aliqui volunt; sed etiam de eo, qui aliquam causæ cognitionem habet, ut cum Franc. *in cit. C. 9. n. 4.* ac alijs tradit Sanchez *l. c.* E contrario non pro-

procedit, quando potestas executoris non est accessoria gratiæ: quia tunc militat ratio *cit. C. 9.* assignata. Hinc si lite inter partes super privilegio ortâ impetretur Judex, perit ejus jurisdictio morte Delegantis re integrâ. Dominic. *in cit. C. 9. n. 6.* Franc. *l. c.* Sanchez. *l. c.* Nec procedit quoad Judices privilegiorum conservatores: nam eorum potestas expirat morte concedentis re integrâ. *C. fin. de Offic. Deleg. in 6.* Ratio est partim, quia horum Conservatorum potestas propriè non est accessoria privilegij, cùm ex hoc agere privilegiatus & excipere possit absque Conservatore; partim quia etiam extinctâ Conservatoris potestate non redditur privilegium inutile, & sic cessat hîc illa ratio decisionis Pontificiæ. Denique non procedit de gratia solùm facienda: tum quòd Pontifex solùm loquitur de gratia facta; tum quòd gratia facienda perit morte concedentis re integrâ, ut tradunt omnes, & patet ex *C. Si cui* 36. *de Præbend. in 6.* Gratia facta est (ut hoc obiter notem) quando rescriptum directè alloquitur privilegiandum, concedendo ipsi aliquam facultatem, tametsi usus ejus facultatis requirat cooperationem alterius tanquam delegati, v. g. sicui detur facultas eligendi confessarium, suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, petendi dispensationem, Beneficium Ecclesiasticum &c. aut sicui delegatur facultas indefinitè respectu personarum, v. g. absolvendi ad se accedentes, aut absolvendi à casibus reservatis, dispensandi in votis, impedimento aliquo matrimonij, cum quibus dispensandum censuerit. Gratia concedenda est, si facultas delegatur non in favorem Delegati, sed præcisè ut favor exerceatur erga personam determinatam, v. g. ut cum Titio dispenset in hoc vel illo impedimento, vel irregularitate, aut eum absolvat à peccatis, censurâ &c. Quod verum est non tantùm si Delegato relinquatur libertas v. g. dispensandi; sed etiam, si jubeatur id facere, ut contra Sanchez *l. c. n. 87.* Garc. *p. 6. de Benefic. c. 2. §. 3. à n. 304.* Palao *l. c. n.* 3. aliósque nonnullos, ostendunt Suar. *cit. c. 31. n. 13.* & Haunold. *de Justit. tr. 1. c. 4. àn. 232.* ac satis manifestè patet ex *cit. C. 36. de Præbend. in 6.*

551. Præterea locum non habet dicta regula, quando delegata est jurisdictio nomine Dignitatis, v. g. si Pontifex dicat *Sedes Apostolica tibi committit*, aut alijs verbis utatur, quæ denotent, non â persona, sed à dignitate committentis jurisdictionem proficisci. Patet ex *C. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* & ratio est: quia sicut Dignitas nunquam perit, ita nec jurisdictio. Qua de causa jurisdictio, quam multis in casibus concessit Episcopis S. Synodus Tridentina tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, non extinguitur morte SS. Pontificum, quia non perit Lex seu Constitutio Concilij, per quam illa jurisdictio est concessa. Eandem ob causam non perit jurisdictio Dignitati v. g. Ducali aut Episcopali concessa, sed transit ad Successorem in Dignitate: quia Dignitas cum persona, quæ eam gerit, non extinguitur. Hinc quæ modò dixi, non tam sunt limitatio illius Regulæ, quàm explicatio: regula enim dicit, morte mandantis re adhuc integrâ, & morte mandatarij, mandatum extingui. At quando ipsa Dignitas aut Lex mandat, aut quando Dignitati quidpiam committitur, mors non intervenit. Cæterùm, ut notat, & fusè probat Sanchez *cit. disp. 28. n. 46.* commissiones factæ Ordinarijs in forma communi, v. g. ad dispensandum in impedimentis Matrimonij, censentur fieri nomine Pontificis, non nomine Dignitatis, ac propterea re integrâ cessant per mortem Pontificis. Unde cum Covarruv. *Pract. qq. c. 11. n. 2. in fin.* dicendum videtur, nunquam censeri delegationem nomine Dignitatis factam esse, nisi expressè solius Dignitatis, & non etiam Pontificis aut Imperatoris, nomen sit adscriptum. Sed jam reliquos, quibus mandata jurisdictio extinguitur, modos prosequamur. Itaque

552. Tertiò. Finitur Delegati Jurisdictio, si functus est suo officio, ut patet ex *C. In literis 9. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Unde communis Canonistarum docet *in cit. C.* cum Innocent. *n. 2.* Panorm. *in C. 1. de Sent. & re judic. n. 28.* & Dyno *in Reg. 21. Jur. in 6.* quòd Judex Delegatus, postquam semel sententiam tulit, sive bene, sive malè, non possit eam revocare & iterum judicare

dicare: quia functus est officio sibi commisso, uti sumitur ex *C. Si compromissarius §. Si verò eligat de Elect. in 6.* & traditur *L. Si ut proprius 4. C. Quomodo & quando Judex sent. proferre deb.* ubi Interpp. docent, si sententia à Judice Delegato invalidè lata sit, v. g. die festo, vel contra partem non citatam, aut absentem non contumacem, finitam esse ejus jurisdictionem. Nisi Delegati sententia nulla sit ob formam mandati non observatam; tunc enim censetur non fuisse usus suâ jurisdictione, uti notat Panorm. *in cit. C. 9. n. 4. arg. L. Quid tamen 21. ff. de Recept. Arbitr.* Aut nisi sit Judex Delegatus ad universitatem causarum: cùm hic Ordinario æquiparari soleat, de quo mox. Poterit quoque executor Gratiæ, v. g. Beneficialis, si ob Juris vel facti errorem provisionem irritam fecit, aliam validè facere, ut cum Innocent. notat Panorm. *in C. 1. de Re Judic. n. 28.* Cùm enim gratia jam facta effectum consecuta non sit, ideóque permaneat, ejus quoque executio permanere debet. arg. *C. Si super 9. de Offic. Deleg. in 6.* Plures alias limitationes afferunt Decius & Barbatia *in cit. C. 9.*

553. Aliud receptum est de Judice Ordinario. Hic enim, si sententiam ipso Jure irritam tulit, v. g. contra manifestum Jus, potest eam revocare, atque novam sententiam pronunciare. *L. Si Præses 6. C. Quomodo & quando Jud.* Quia, ut ait Glossa communiter recepta *in L. Judex 55. ff. de Re Judic.* quod nullum est, nullum effectum producit. *arg. L. Si se §. Condemnatum ff. eod.* & *L. Si expressim 19. ff. de Appellat.* Potest tamen in tali casu etiam Superior adiri, ut revocatâ seu potiùs invalidâ declaratâ sententiâ ab inferiore Judice invalidè latâ aliter judicet. Bartol. *in cit. L. Si expressim n. 34.* ubi *n. 15.* regulam tradit, quòd sicut appellatio totam causam ad Superiorem devolvit, ita etiam devolvere possit nullitas sententiæ latæ. Imò hodie usu fori ubique ferè obtinuit, ut Judex superior de nullitate ab inferiore commissa cognoscat, præsertim si nullitas ex malitia vel injuria Judicis proveniat. Gaill. *L. 1. observ. 127. n. 7.* Brunnem. *in cit. L. si ut proponis n. 4.* Quod modò dictum est de Ordinario, ipsum posse emen-

emendare sententiam à se invalidè latam, Angel. ac alij, quos sequitur Menoch. *L. 1. Arbitrar. q. 67. à n. 28.* extendunt ad Delegatum Principis. Sed communior aliorum, de qua Gutierez *L. 1. Canon. qq. c. 2. n. 17.* meliùs id negat, cùm *cit. L. si ut proponis* hunc Delegatum non excipiat. Ipse quoque Judex Ordinarius suam sententiam revocare non potest, si ipso Jure invalida non est: quia nisi ab ea appellatum, ideóque causa ad Superiorem devoluta fuerit, transit in rem judicatam, ita tamen, ut damnum parti condemnatæ inde natum resarcire teneatur.

554. Ratio, cur Judex Delegatus officio suo functus esse censeatur, si sententiam, quamvis ipso Jure nullam, pronunciavit; vel, si alteri delegavit exequendam, ita ut eam reassumere non possit, si Subdelegatus exequi cœpit, tametsi executionem perficere nolit aut non possit: Ordinarius verò his casibus non censeatur functus suo Officio, sed immiscere se ulteriùs possit. Ratio, inquam, hujus differentiæ est, quam Baldus *in cit. L. si ut proponis*, Felin. ac alij afferunt: quia Judex Ordinarius ampliorem magisque stabilem jurisdictionem habet, quam alteri delegando aut semel sententiam proferendo saltem habitu & in radice retinet: Judex verò Delegatus potestatem habet angustam & restrictam, ac quasi momentaneam, ita ut, si semel egit, quod mandatum est, omni potestate exutus sit.

555. Quartò. Expirat Jurisdictio Delegati cum termino à Delegante præscripto, ita ut post ejus lapsum procedere ampliùs nequeat, tametsi res non sit ampliùs integra: nisi partes ipsi prorogent jurisdictionem. Videantur, quæ dixi suprà *n. 517.* Quibus hîc duo duntaxat addenda sunt. Primum est. Si terminus statuatur certus & nominatus, v. g. *Delegatio valeat usque ad Natalem Domini* aut *diem primum Januarij*, nihil interest, seriùs an citiùs Rescriptum Delegationis pervenerit ad Delegatum: nam elapso Natali Dominico, aut primo die Januarij, expirat delegatio & jurisdictio Delegati. Si verò nominatus non sit dies, sed delegatio facta ad medium v. g. annum, trimestre &c. tale vel seme-

semestre vel trimestre primùm incipit currere à die accepti Rescripti. *C. super eo in fine de Appellat.* ubi DD. cum Glossa notant eum diem, quo Delegatus Rescriptum accipit, non esse computandum. Alterum est. Si Judex Delegatus malitiosè impeditur, quò minùs intra præfixum terminum causam absolvat, debet eam alteri Judici, qui neutri parti suspectus sit, intra illud tempus cognoscendam remotâ appellatione committere; nisi utraque litigantium pars consentiat, ut lis prorogetur. Ita statuitur *C. Pastoralis 28. §. fin. de Offic. Deleg.* Qui casus est specialis, quo subdelegatus à Delegato SS. Pontificis remotâ appellatione procedere potest. Ratio danda est: quia non est consonum æquitati, ut pars una ex propria fraude, impediendo jurisdictionem Delegati, commodum ferat cum alterius partis incommodo.

556. Quintò. Finitur Jurisdictio Delegati, si dignitate, cujus intuitu delegatio ipsi facta est, privatus & depositus fuerit, aut per resignationem vel promotionem eâ decesserit. Ita Innocent. *in C. Quoniam 14. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 1.* Joan. And. *n. 4.* Panorm. *n. 8.* ubi communem dicit, contra Joan. Monach. *in C. Statutum de Rescript. in 6. n. 8.* ubi contrarium docet, si dignitas per promotionem amittatur. Ratio patet: quia cùm delegatio, uti ponimus, adhæreat dignitati, non potest hâc amissâ ipsa permanere. Transit igitur unà cum dignitate ad Successorem, & quidem, tametsi res adhuc sit integra, seu causa nondum per Antecessorem fuerit cœpta. *cit. C. Quoniam.* Quin amissâ dignitate amittit jurisdictionem Delegatus, licèt judicium jam inchoârit. Innocent & Joan. Andr. *ll. cc.* ac alij apud Sanchez *L. 8. de Matrim. disp. 27. n. 27.* E contrario, si delegatio fuerit personalis, seu intuitu personæ, & non dignitatis vel officij facta, unà cum dignitate vel officio non amittetur, tametsi res adhuc sit integra: dummodo Delegatus ob crimen non fuerit depositus. Glossâ *in C. Statutum 11. de Rescript. in 6 V. Canonicus,* Monach. *ibid. n. 7.* Joan. Andr. *n. 20.* Card. Zabarella *in Clement. 2. de Rescript. q.*

6. Decius *in cit. C. quoniam col. 6.* Ancharan. *in C. si gratiosè de Rescript. in 6.* Tabiena *V. Delegare q. 12. n. 13.* Flamin. *L. 1. de Resignat. Benefic. q. 11. n. 6.* Quia sicut Privilegium personale, ita & Personale Rescriptum personæ adhæret, & cum ea perpetuatur, dummodo statum incompossibilem & contrarium non assumat. Addit cit. Glossa à communi DD. recepta, quòd si tempore commissionis seu datæ literarum Delegatus capax fuerit, videlicet in Dignitate constitutus vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, eam exequi possit, tametsi tempore præsentationis literarum Dignitatem vel Canonicatum jam resignârit. Et vice versa, si tempore præsentationis sit jam constitutus in Dignitate vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, nondum verò fuerit tempore commissionis, eam, si intuitu Dignitatis facta sit, exequi non possit: eò quòd in talibus initium spectandum sit. *arg. C. si eo tempore 9. de Rescript. in 6.*

557. Ex modò dictis dubium emergit, an si Delegatus Principis à Dignitate depositus fuerit, vel eidem renuntiârit, Subdelegatus procedere possit, si res adhuc est integra. Hîc rursus distinguendum est inter delegationem factam intuitu Dignitatis, & intuitu Personæ. Si facta est intuitu Dignitatis, Delegato deposito, vel renuntiante, vel ad aliam Dignitatem translato, expirat jurisdictio Subdelegati, si res adhuc est integra, seu negotium à Subdelegato nondum cœptum. Glossa *in C. Licet 30. de Offic. Deleg. V. Re integrâ* Imola *ibid. n. 25.* ac alij, contra Hostiens. Panorm. & Barbat. *ibid.* Ratio est: quia re adhuc integra per mortem Delegati à Principe expirat jurisdictio Subdelegati; ergò etiam per depositionem aliámve privationem. Cùm mors naturalis & civilis æquiparentur, quando eadem militat ratio; hîc autem eadem militat, quia per depositionem æquè ac per mortem naturalem Delegatus amittit jurisdictionem, si hæc concessa fuerit intuitu Dignitatis. Neque valet, quod contrariæ opinionis DD. dicunt, eo jure causam à Delegato subdelegari, quo eam accepit; cùm igitur eam acceperit jure Dignitatis, eodem

dem eam ſubdelegare, ac idcirco cùm Dignitas non expiret per depoſitionem, nec ſubdelegationem ejus intuitu factam expirare. Reſpondetur enim, hinc ſolùm ſequi, quòd jurisdictio intuitu Dignitatis delegata non expiret, ſed tranſeat ad ſucceſſorem in Dignitate; non verò, quòd maneat penes Subdelegatum ejus, qui Dignitatem amiſit. Huic enim plus juris competere nequit, quàm Delegato: Delegato autem amiſsâ dignitate nihil ampliùs juris competit. Ratio eſt, quam dedi paulò antè *n. 551. in fin.* quia, ordinariè loquendo, delegatio aut ſubdelegatio non procedit à Dignitate, ſed à Perſona: aliàs commiſſiones Pontificiæ, vel Imperatoriæ, per mortem Pontificis aut Imperatoris etiam re integrâ non expirarent, quia Sedes ac Dignitas Pontificia & Cæſarea ſemper manent. Fatendum tamen eſt, poſſe commiſſionem procedere non à Perſona, ſed à Dignitate. Et tunc tametſi Delegans moriatur etiam re integrâ, non tamen expirat jurisdictio Delegati, uti cum Panorm. Franc. Felin. Imol. ac aliorum communi tradunt Covarr. *Practic. qq. c. 11. n. 2. §. Poſtremò*, & Sanchez *L. 8. de Matrim. diſp. 28. n. 44.* quia Dignitas ſemper manet. Quâ doctrinâ limitatur aſſertio facta ſuprà *n.* 536. Nunquam tamen, ut ijdem DD. obſervant, cenſetur commiſſio procedere immediatè à Dignitate Delegantis, niſi in Reſcripto exprimatur, v. g. ſi ibi dicatur *Sedes Apoſtolica tibi committit.*

558. Si verò cauſa alicui à Principe delegata ſit intuitu perſonæ, rurſus diſtinguendum eſt. Si enim Delegans Dignitate deponatur, expirat Subdelegati jurisdictio, quando res adhuc eſt integra. Non verò expirat, ſi Delegatus Dignitati aut Canonicatui renuntiavit, vel ad aliam Dignitatem translatus eſt. Ratio primæ partis eſt: quia dum res adhuc eſt integra, jurisdictio delegata cenſetur potiùs pertinere ad Delegantem vel Subdelegantem, ab eóque dependere, ut non ſemel hactenus dictum eſt: conſequenter ſi is deponatur, vel aliâ ratione ſtatum incompoſſibilem aſſumat, cum quo jurisdictio ſtare nequeat,

non poterit ampliùs in persona Delegati vel Subdelegati fundari. Ratio posterioris partis est: quia si Delegatus, cujus delegatio est personalis, seu in ejus persona, & non in Dignitate vel Officio fundata, renuntiet aut transferatur, nihilominus retinet jurisdictionem quoad illam causam, ut dictum est suprà *n. 482.*

559. De omnimoda cessatione & extinctione Jurisdictionis delegatæ hactenus egimus. Explicandum restat juxta distinctionem factam suprà *531.* quomodo eadem cesset ad tempus, seu suspendatur. Itaque suspenditur, quando post delegationem jam factam supervenit Delegato aliquod impedimentum, quod usum & exercitium Jurisdictionis non in perpetuum, sed solùm ad tempus adimat. Glossa *in C. sciscitatus* 13. *de Rescript. V. Infamem.* Panorm. *ibid. n. 7.* Decius *n. 7.* ac alij. Quod verum est, sive impedimentum sit naturale, v. g. furor, amentia; sive legitimum, v. g. si Delegatus efficiatur servus, vel infamiam Juris contrahat, utpote quæ ipso facto privationem muneris publici inducit. *L. 2. §. si miles. ff. quib. ex cauf. infamia contrah.* Dixi: *infamiam Juris.* Nam si contrahat solùm infamiam facti, ex perjurio v. g. aut homicidio, non potest repelli, nisi ex crimine specialiter sit suspectus parti. Tametsi enim criminosus testis, saltem per partis exceptionem, repelli possit. *C. Testimonium 54. de Testib.* non tamen propterea etiam Judex ob crimen & contractam inde facti infamiam repelli poterit, nisi, ut dixi, parti inde suspectus fiat. Rationem discriminis dant Panorm. *l. c. n. 8.* Imola *n. 19.* Dec. *n. 7.* quia contra Judicem, si malè judicâsse videatur, competit remedium appellationis, ejúsque officium est publicum, ac propterea tam facilè recusari non debet. Dixi autem, per temporale impedimentum suspendi Jurisdictionem delegatam: unde illo sublato hæc recuperatur in causa delegata. Anton. *in cit. C. 13. n. 23.* Panorm. *n. 10.* Decius *n. 8.*

560.

560. Ob eandem rationem si Delegans sit excommunicatus, aut suspensus, non toleratus, non quidem omnino cessat jurisdictio Delegati, etiam re adhuc integrâ; suspenditur tamen, donec Delegans ab Excommunicatione aut Suspensione sit absolutus. Hostiens. & Dominic. *in C. 1. de Offic. Vicarii in 6.* Panorm. *in C. Licet* 30. *de Offic. Deleg. n. 8.* Tabiena *V. Vicarius n. 8.* Sanchez *L. 3. de Matrim. disp.* 30. *n. 7.* cum Joan. Andr. Anchar. Franco, ac alijs. Si verò negotium à Delegato cœptum sit ante Excommunicationem vel Suspensionem Delegantis, per hujus inhabilitatem non suspenditur Delegati jurisdictio; quia per usum jam est radicata & perpetuata. In quo differt à jurisdictione Vicarij Generalis, cùm hujus jurisdictio semper, etiam re non ampliùs integrâ, suspendatur per suspensionem jurisdictionis Episcopi, ut patet ex *cit. C.* 1. *de Offic. Vicarij in 6.* & tradit communis DD. apud Sanchez *l. c. n. 6.*

# CAPUT III.

## De Foro Continentiæ Causarum.

### §. I.

### *An Causæ Connexæ ad idem Forum pertineant.*

SUMMARIUM.

561. *Causæ continentes in eodem Foro disceptandæ sunt.*
562. *Continentia causarum provenit vel à personis, vel à rebus, vel ab actione.*
563. *Afferuntur Leges & rationes de non dividendis causis connexis.*
564. *Causæ connexæ decidendæ sunt à Judice superiore, qui respectu utriusque partis & causæ est competens.*

565. *Nisi Judex inferior in aliqua causa sit competens respectu utriusque litigantis.*

566. *Tametsi valeat processus, si causæ continentes dividantur:*

567. *Non tamen licitè dividuntur.*

561. Tametsi pro diversitate cùm Territoriorum, Magistratuum, ac Subditorum, tum etiam Rerum ac Causarum, diversa sint Fora, quæ adeunda sunt, & regulariter loquendo declinari ac subterfugi nequeunt: non solùm, quòd publica auctoritate constituta sunt *L. Privatorum C. de Jurisdict. omn. Judic.* sed etiam, quia in bonum litigantium introducta, quibus invitis mutari nequeunt. *Can. pervenit. 13. 11. q. 1.* Nihilominus si causæ sunt connexæ, seu, ut vocant, continentes, in eodem Foro disceptandæ sunt, quamvis ipsi Rei cæteroqui diversi sint Fori seu diversis Judicibus subjecti, ut mox dicetur. Continentes seu Connexæ causæ sunt, quæ communem habent liquidationis & discussionis qualitatem ac rationem, propter quam una sine altera plenè ac liquidè cognosci ac definiri nequeat. Gœddæus *in C. 1. de Sequest. possess. ac fruct. n. 28.* Ummius *Disp. 4. ad Process. Judic. thesi 4. n. 17.* Unde patet, quid sit continentia causarum. Est nimirum rei controversæ connexio, & colligatio, vel, ut loquuntur, perpetuitas, quæ separari causam negotiúmve non patitur, sed uno eodémque vult terminari judicio.

562. Hanc causarum continentiam non æqualiter distribuunt DD. ut videre est apud Tiber. Decianum *vol. 2. respons. 97. n. ult.* Gaill. *L. 1. observat. 32. n. 3. & 4.* Friderum Mindan. *L. 3. de continentia causarum c. 2. n. 8.* ubi eam ad duodecim capita extendit, Menoch. *de arbitrar. Judic. casu 371. à n. 4.* Gœddæum *l. c.* Græveum *L. 1. concl. 32. n. 1.* Triplici autem ferè respectu continentia causarum dicitur, nimirum vel Personarum, vel Rerum, vel Actionis, ut ex dicendis §. *seq.* constabit

563. Continentes autem causas dividi non debere, sed in eodem Foro & ab eodem Judice tractandas esse, decisum est *C. ult. de Rescript. C. penult. de in integr. restit. C. 1. de Sequest. possess.*

*sess. & fruct. L. Ordinarii C. de R.V. L. Nulli 10. C. de Judic. L. omnes C. Arbitrium tutel. & tot. tit. ff. de quib. reb. ad eund. Judic. eat.* Ratio sic statuendi erat: tum quòd connexio & unitas causarum non patitur divisionem actionum, sed idem est connexorum judicium. *L. Quæ religiosis 43. & L. Habitator 59. ff. de R.V.* tum quòd lites de causis connexis commodiùs sub uno Judice tractentur, & faciliùs malitijs hominum, longos sæpe processuum circuitus quærentium, occurratur. *cit. C. ult. de Rescript.* Simúlque absurdum vitatur, ne scilicet unus Judex aliter judicet quàm alter, ac ejusdem criminis Rei inæqualibus pœnis afficiantur. Tum quòd lites contrahi Reipublicæ interfit. *L. properandum C. de Judic. & L. item si res 4. §. 1. ff. de alien. judic. mutand. caus.* ac idcirco plures instantiæ & judicia vitanda. Tum denique ne partes pluribus judicijs fatigentur. Plures alias rationes accumulant Mindan. *l. c. n.* 2. & 3. Gœdd. *l. c. n. 31.* ac alij.

564. Ex eo verò, quòd causæ continentes ab uno eodémque Judice tractandæ sunt, consequens est, quòd tota lis coram Judice proximè superiore ventilanda sit, qui videlicet respectu utriusque partis & causæ sit competens. *cit. L. Nulli 10. C. de Judic. & tot. tit. ff. de quib. reb. ad eund. Jud. eat.* Hinc Camera Imperialis ob causæ continentiam fundatam habet jurisdictionem, ut observant Mynsing. *cent. 1. observat. 4.* & Denais. *in Synopsi Jur. Cameral. rubr. continentia causarum*, ac patet ex ipsa Imperij Lege in Recess. Deputat. anno 1600. §. bey unserem Käyserlichen Cammer-Gericht / & §. *seq.* Estque fundata ob causarum continentiam Judicis Superioris jurisdictio in prima statim instantia, non solùm si omnes Rei sunt ipsi mediatè subjecti; sed etiam, si unus plurésve mediatè, immediatè alij, ut patet exemplis, quæ adducit Mynsing. *l. c.*

565. Non tamen semper ob connexionem causarum omisso Judice inferiore superior adeundus est, ut observant Zanger. *c. 1. de Exception. p. 2. n. 370.* & Matth. Stephani *L. 1. de Jurisdict. c. 32.*

*c. 32. n.* 3. Nam si v. g. res hæreditariæ aliáve communia bona eodem loco & non in diversis sita sunt, ijdem fratres, socij, aut cohæredes, quamvis in diversis territorijs domicilia habentes, vel petitione hæreditatis, vel familiæ herciscundæ judicio, vel communi dividundo, rectè coram Judice loci, ubi bona sita sunt, conveniuntur: quoniam Judex competens est. *L. un. C. ubi de hæredit. agi oportet.* Item si quis possessorium & petitorium ratione rei sitæ sub jurisdictione Judicis Titij, intentare vel simul vel successivè vellet, non poterit adiri superior præterito Titio: cùm hic sit competens ratione tam possessorij quàm petitorij. *C. 1. de causa possess. & propriet. cit. L. Nulli 10. C. de Judic. L. fin. C. ubi in rem act. L. 1. C. ubi de hæredit agi oport.* Pariter si plures Tutores in diversis territorijs habitent, nihilominus de ratiocinijs ibi conveniri debent, ubi tutelam administrârunt; non coram Judice superiore, cùm rationes reddi ibi oporteat, ubi negotium gestum est. *L. 1. C. ubi de ratiocin.* Itaque tunc solùm ob continentiam causarum adeundus superior Judex est, quando inferior in aliqua causa non est competens Judex utriusque litigantis.

566. Sed gravis hîc controversia est inter DD. utrùm processus sit invalidus, si causæ continentes non apud eundem Judicem, ut fieri oportet, sed apud diversos ventilentur. Invalidè procedi asserunt Glossa *in C. 3. de Rescript. in 6. V. proceſſ.* Marian. Socin. *in C. 1. de Mut. petit. n. 25. V. quartò*, Maranta, ac alij. Quam sententiam Alexand. apud Maranta dicit communem, & Ummius *l. c. n.* 18. in puncto Juris veriorem esse censet. Valere processum utriusque Judicis tenent cum Bald. Alexand. Jason. Felin. ac alijs Sichad. *in cit. L. 10. C. de Judic. n. 15.* Gaill. *cit. observat.* 32. *n.* 13. Mynsinger. *cent. 1. obser. 97.* Matth. Stephani *l. c. n.* 12. ac communissimam dicit Mindan. *cit. c. 2. n. 5.* â qua, cùm praxi recepta esse videatur, non est recedendum. Fatentur tamen cit. DD. si contra divisionem exceptum sit, & exceptione non attentâ Judex procedat, neque causam ad Superiorem remittat, processum fore invalidum. Porrò hujusmodi exceptio, cùm dila-

toria

toria sit, ante litis contestationem opponenda erit. Mynsing. & Gaill. *ll. cc.* Stephani *l. c. n.* 10. Sichard. *l. c. àn. 8.* Gœdd. *l. c. n.* 15. Tertacinq. *L.* 2. *Resol. tit. de Judic. resol.* 3. *n.* 10. Probabile tamen est, quod docet Jacob. de Belloviso apud Imol. *in cit. L.* 10. eam posse etiam post litem contestatam opponi. Etsi enim exceptiones dilatoriæ opponendæ sint ante, juxta *L. penult. & ult. C. de Exception.* hoc tamen solùm videtur procedere, quando agitur de favore & præjudicio ipsorum litigantium ; secùs si de publico, uti hîc : nam lex vult, ut causæ continentes non dividantur, idque non tantùm in favorem partium, sed etiam, & præcipuè, ob favorem publicum, ut patet ex dictis *n.* 563. Legi autem, cujus dispositio respicit non præcisè favorem privatorum aut Judicis, sed publicum, non possunt partes & Judex renunciare & præjudicare, ac idcirco tametsi pars contra divisionem primùm post litem contestatam opponat, aut omnino non opponat, Judex nihilominus eâ decisione stare debet, & causas connexas non dividere.

567. Illud quoque in controversiam trahitur, an Judex competens causas connexas non solùm possit decidere, sed etiam teneatur. Teneri negat Cuiacius *L.* 2. *observat.* 35. loquens de causa possessionis & proprietatis. Verùm affirmandum est cum communi aliorum, quam citat & sequitur Menoch. *cit. casu* 371. *n.* 9. quia si semel cognovit v. g. super possessione, jam satis declaravit, velle se etiam super proprietate possessioni connexa cognoscere, neque quod semel placuit, displicere ampliùs potest. Accedit, quòd non in commodum Judicis, sed favore publico ad finiendas quamprimùm lites inductum est, ut causæ continentes non dividantur. Non igitur in ipsius arbitrio est eas dividere. Aliàs ob divisionem puniri non posset : atqui juxta *cit. L. Nulli C. de Judic.* si monitus contumaciter pergit causam divellere, punitur. Quemadmodum & Actor, qui adversarium coram diversis Judicibus citat, puniendus est, vel amissione causæ, ut docent Petr. de Bellapertica, Cynus, Alberic. Ancharan. ac alij apud Sichard. *in*

*cit. L. Nulli n. ult.* & Gaill. *cit. obser.* 32. *n.* 6. & 7. vel, ut cum Panor. Felin. ac Jason. tradit communis, pœnâ Judicis arbitrariâ cum refusione expensarum.

## §. II.

## *Quæ Causa ob Continentiam in eodem Foro tractandæ sint.*

### SUMMARIUM.

568. *Continentia causarum datur, si ab uno res in diversis territorijs sitæ petantur.*
569. *Aut, si ab uno diversi fori Rei conveniantur.*
570. *Aut plures sibi vendicent rem communem, plurésve cohæredes judicio herciscundæ contra unum agant.*
571. *Agendum est de Proprietate, ubi actum est de Possessione.*
572. *Et ibi civiliter, ubi criminaliter.*
573. *Déque causis Emergentibus & Incidentibus, ubi de Principali.*
574. *Causa tamen spiritualis, si incidat coram Judice laico, remittenda est ad Ecclesiasticum.*
575. *Creditor non potest unam partem debiti petere coram uno Judice, & alteram coram alio.*
576. *Et juxta non paucos, qui examinatus fuit in una Academia, non potest Gradum Literarium suscipere in alia.*

568. Quæ causæ continentes seu connexæ sint, dixi in genere *n.* 561. In specie nunc de quibusdam agendum est, ut ex paucis casibus allatis appareat, quæ dividi nequeant, sed coram eodem Judice communi discutiendæ sint. Primò itaque continentia causarum datur, si ab uno res in diversis locis sitæ petantur, v. g. si à Titio vindico res plures, quarum aliæ sub hoc, aliæ sub alio Judice sitæ sunt. Aut si contra eundem ago petitione hæreditatis, cujus itidem res in diversis territorijs reperiuntur. Aut si ab ipso hypothecariâ actione possessionem pignoris itidem in diver-

diversis territorijs sparsi avoco. Aut quando aliâ quapiam actione plures res continentur, quemadmodum in actione Tutelæ Gloss. & DD. *in L. Nulli* 10. *C. de Judic.* præsertim Jason *n. 3. V. Secundò dicitur*, Afflict. *decis. 354. n. 13. V. Tertiò*, ubi aliud exemplum ponit de utili actione negotorium. Tunc igitur, ne pluribus & diversis instantijs fatigemur, cum Judicem adeundum esse, qui utriusque loci Judice proximè superior sit, docent post alios Vultejus *ad L. 4. c. de Jurisdict. omn. Judic. á n. 25.* & Mindan. *L. 3. de Proces. c. 3. mem. 2. & 3.* Verùm etsi in istis casibus continentia causarum detur, ita ut judicium inter plures diversorum territoriorum Judices dividi non debeat: non tamen apparet, quàm rectè superior Judex adeatur. Si enim admittitur opinio docens, quòd Judex domicilij cum Judice rei sitæ concurrat (quam tamen suprà *n. 216.* rejeci) & unus duntaxat reus est, aut plures, sed sub eodem Judice domicilium habentes, Judex iste domicilij adiri poterit, ut adeò necesse non sit ad Superiorem deveniri. Neque obest, quòd Judex domicilij actorem in bona, quæ extra ipsius jurisdictionem sita sunt, immittere non possit. Non enim hinc consequens est, quòd superior illicò adeundus sit. Aliàs ille, qui ex contractu obligatus est, in loco obligationis conveniri non posset, si nulla ibi bona possideat: quod falsum esse constat ex dictis *n. 176. ac seqq.* & *n. 198.* Concluſum tamen in Camera Imperiali fuit teste Schvvanmann. *L. 1. Proces. Cameral. c. 6. n. 7.* processum decernendum esse, si quis à Camera petierit, tametsi in uno loco major, in altero minor pars sita esset.

569. Secundò. Continentes causæ sunt, & ab eodem terminandæ Judice, si ab uno diversi fori debitores conveniantur, v. g. plures Contutores, qui diversis jurisdictionibus sunt subjecti. *L. omnes 5. C. arbitrium Tutelæ.* Marian. Socin. *in C. 2. de Mut. petit. n. 31.* Mindan. *L. 3. de Processib. c. 4. mem. 1.* ubi *mem. 3. & 4.* existimat cum alijs, superiorem Judicem adeundum esse. Sed nihil obstare videtur, quò minùs rectè conveniantur apud Judicem obligationis contractæ, & ubi tutelæ administratio gesta est,

juxta *L. 1. C. Ubi de ratiocin.* Eadémque est ratio de pluribus unius delicti complicibus: tametsi enim coram uno Judice conveniendi sint, ut cum Jasone ac communi DD. docent Gaill. *cit. obser. 32. n. 12.* & Menoch. *de arbitrar. Judic. casu 371. n. 12.* ratio tamen adeundi superiorem Judicem non est: cùm respectu omnium sit competens ille, in cujus territorio delictum patratum est. *L. 1. C. Ubi de crim. agi oport.* Fundata tamen est Cameræ jurisdictio, si quis contra Statum Imperij & ejus alteriúsve Statûs subditum agere velit. Mynsing. *cent. 1. observ. 4. n. 4.* Tametsi enim Status Imperij privilegio Austregarum gaudeant, ut dictum est suprà *n. 338. & seqq.* quia tamen locum Austregæ non habent quoad eos, qui mediatè tantùm subditi sunt Imperio, consequens est, communem subditi immediati & mediati adeundum esse Judicem, qui est Camera Imperialis.

570. Tertiò. Si plures sibi vendicent rem velut communem v. g. servum, aut plures cohæredes judicio familiæ herciscundæ contra eundem agant, causæ connexio est, ita ut apud eundem Judicem expedienda sit. *L. 1. ff. De quib. reb. ad eund. Jud. eat.* DD. *in cit. L. 10.* Jason *l. c. V. Tertiò*, Afflict. *l. c. V. Quintò* Marian. Socin. *l. c. n. 25.* Mindan. *l. c. n. 9.* Nisi quilibet rem sibi in solidum peteret, uti advertit Socin. *l. c.* Non tamen placet, quod idem Mindanus ait, non coram Judice Rei, sed omnium proximè supremo agendum esse. Non enim ulla est ratio, cur Rei, si unus est, aut plures, eidem tamen Judici subjecti, Judex prætereatur, & cur hîc illa regula de sequendo Rei foro exceptionem patiatur. Et quamvis in communibus judicijs uterque contendentium Actoris & Rei munus sustinere videatur, is tamen Reus habetur, qui à reliquis ad faciendam divisionem convenitur. Unde ejus forum sequendum est, nec nisi absurdè quisquam dixerit, Judicem utrique litiganti communem adiri debere ex eo, quòd de causa tam Actori quàm Reo communi agitur. Illud concedendum est, quod idem tradit *l. c.* & *L. 1. c. 34. n. 9.* quòd pignoratus in bonis immediatè ab Imperio dependentibus, quam-

quamvis cæteroqui Landsassius & mediatè Imperio subjectus, contra pignorantes mandatum & processum in Camera Imperij impetrare possit, si tamen Rei immediatè Imperio subjecti sint.

571. Quartò. Apud eundem Judicem ob causæ continentiam agendum est de proprietate, ubi causa possessionis ventilatur. Nam *Legali provisione decretum est, tam momenti* (momentaneæ possessionis) *quàm proprietatis causâ, sub uno eodémque Judice debere cognosci*, ut dicitur *C. 1. de Causa Possess. & Propriet.* Legalis hæc provisio habetur *L. 13. C. de R. V.* ibi: *Ordinarij Juris est, ut mancipiorum orta quæstione, priùs exhibitis mancipiis de possessione judicetur, ac tunc demum proprietatis causa ab eodem Judice decidatur.* Quamvis enim causa Possessionis & Proprietatis sint separatæ. *L. 12. §. 1. ff. de Acquir. possess.* ac propterea permisceri prohibeantur *L. permisceri ff. eod.* quoad rationem tamen procedendi, modum probandi ac perveniendi ad dominium, ejúsque decisionem, pares habentur, nec ordinis ratione divelli patiuntur. Gœdd. *in cit. C. 1. n. 35.* Costald. *ad tit. ff. de quib. reb. ad eund. Judic. eat.*

572. Quintò. Agendum est civiliter, ubi criminalis causa examinata fuit. Gaill. *cit. observ. 32. n. 11.* & *L. 1. de pace publ. c. 11. n. 26.* Mindan. *L. 3. de Proceff. c. 5. n. 19.* cum communi DD. Hinc teste Mynsing. *cent. 1. observat. 97.* decisum in Camera Imperiali fuit, quòd si spoliatus contra pacem publicam egerit in Camera contra spoliatorem ad pœnam banni, & super restitutione damnorum sibi illatorum agere velit coram Judice spoliatoris Ordinario, repelli possit exceptione de non dividenda continentia causæ.

573. Sextò. Decidendæ sunt causæ Incidentes & Emergentes, sive illæ, quæ oriuntur occasione Principalis, & ita ipsam afficiunt, ut de ejus meritis constare non possit, aut processus impediatur, nisi illæ examinentur ac decidantur: hæ, inquam, causæ decidendæ sunt, ubi agitur de principali. *L. 3.* & *L. 10. C. de Judic. L. 1. C. de Ordine Judic. L. fin. C. de Ordine Cognit. C. penult.*

*mult. in fin. de in integr. restitut.* E. g. si Actori vel Accusatori, vel Testi objiciatur, quòd non habeat personam standi in judicio; vel Testi, quòd in judicio pejerârit, pecuniam pro testimonio acceperit &c. Plura alia exempla refert Gœdd. *l. c. à n.* 30. súntque passim obvia. Porrò adeò verum est, quòd Judex, qui cognoscit de causa principali, cognoscere possit ac debeat etiam de incidente ac emergente, ut licèt aliàs de incidente cognoscere nequiret, si principaliter moveretur, possit tamen in casu, quando solùm incidit. Hinc Zasius *in cit. L. 3. C. de Judic. n.* 11. tradit, Judicem super incidente criminali causa cognoscere posse, licèt aliàs non possit. Ratio dari potest: quia multa, ut ait Gœdd. *l. c. n.* 33. per consequentiam permittuntur, quæ principaliter fieri prohibentur.

574. Restringenda est facta modò assertio quoad causas spirituales: harum enim si quæ incidat apud Judicem secularem, remittenda est ad Ecclesiasticum civili judicio interim pendente. *C. Lator 5. Qui filii sint legitimi.* Mynsing. *cent. 1. observat. 100.* ubi refert, aliquoties ita in Camera Imperiali observatum & decisum fuisse, Sichard. *in cit. L. 3. n. 8.* Zasius *ibid. n.* 13. Farin. *in Praxi Crim. q. 8. n.* 25. cum communi DD. Exemplum habetur *cit. C. 5.* de eo, cui coram Judice seculari de hæreditate Avi litiganti objectum fuit, ejus patrem non fuisse legitimo matrimonio natum. Ibidémque decernitur, quæstionem incidentem de legitimo matrimonio, tanquam spiritualem, remittendam esse ad Judicem Sacrum, ac interim Judici Laico supersedendum esse decisione quæstionis principalis. Ex quo cum Canonistis rectè infert Mandosius *de Inhibit. q. 10. n. 2.* quòd si laicus cognoscere vellet super huiusmodi causa Ecclesiastica, inhiberi id ipsi possit, & mandari, ut non procedat, nisi causâ spirituali priùs per Judicem competentem decisâ. E contrario si de causa Ecclesiastica cognoscat Judex Ecclesiasticus etiam inter laicos, ac incidat secularis quæstio, hanc ille æquè ac Ecclesiasticam decidere potest, ut ex Baldo & communi DD. notat Gœdd. *l. c. n.* 38. & patet ex *C. 3. de Dona-*

*Donation. inter vir. & uxor.* Rationem hujus diversitatis petenti, Bartoli Magister Cynus *in cit. L. 3. C. de Judic.* calumniosè respondet, nullam aliam dari posse, quàm quòd id ab ipsis (Ecclesiasticis) receptum sit propter ambitum jurisdictionis secularis usurpandæ. Vera & solida ratio est, quòd spiritualia tanquam digniora trahant ad se causam secularem ut connexam & viliorem, at non vicissim ea, quæ inferiora sunt, trahant ad se, quod est superius & dignius. Item quòd non sit supra potestatem Judicis Ecclesiastici causas profanas decidere; sit verò supra potestatem Judicis profani decidere Sacras. Hinc sicut oleum non consecratum misceri potest oleo consecrato juxta *C. Quod in dubijs de Consecrat. Eccles.* ita à Judice sacro causæ sacræ misceri & jungi potest profana. Hæc porrò solùm procedunt de causa spirituali emergente vel incidente in judicium seculare: nam si alia causa, quæ spiritualis non sit, incidat, passim receptum est, illam non ad suum Judicem remitti, sed unà cum principali apud eundem Judicem examinari Schrader. *de Feud. p. 10. sect. 1. n. 99.* cum communi DD. solo ferè refragante Mynsingero *cit. observ. 100. in fin.* & præjudicium quoddam Cameræ Imper. afferente.

575. Septimò. Creditor non potest unam partem debiti petere coram uno Judice, & aliam coram alio: ne continentiæ causa dividatur. Gloss. *in C. ult. V. Per varias literas* & Panorm. *n. 12. de Rescript.* Gemin. *in C. Dispendia eod. in 6.* Jason *in cit. L. 10. C. de Judic. n. 3.* & *in L. Quidam existim. ff. Si cert. pet. n. 8.* Socin. sen. *L. 1. consil. 41. col. 2.* Et quamvis Gemin. Butr. ac alij apud Menoch. *L. 2. de Arbitr. casu 371. n. 15.* censeant, hoc solùm procedere coram Judicibus Delegatis, quoad Ordinarios verò posse unam partem agitari coram uno, alteram coram altero: idem tamen ob identitatem rationis etiam de Ordinarijs tenent Bald. Paul. Castr. ac Jason *in cit. L. 10.* Panorm. *l. c. n. 13.* ac alij. Ut tamen assertio locum habeat, necesse est, summam esse eandem, & uno eódemque tempore deberi. Nam si esset summa diversa, vel ejusdem summæ pars esset hodie debita, altera v. g. intra mensem,

sem, adiri pro diversis partibus diversi Judices competentes possent, quia in tali casu non divideretur continentia causæ, cùm ratione diversitatis summæ vel temporis diversæ causæ censeantur, ut notat Menoch. *l. c.*

576. Octavò. Juxta Bald. *in L. Qui indignus ff. de Senator.* Jason *l. c. n.* 10. Sichard. *in cit. L. Nulli C. de Judic. n.* 13. Zas. *ibid. n.* 22. Menoch. *l. c. n.* 16. si quis in una Academia examinatus fuit pro Gradu Literario consequendo, non nisi in illa eum accipere licitè potest: quia, ut ajunt, continentia causæ dividi non debet. Nisi, uti limitant idem Jason & Butr. ac Imol. *in C. Cùm inter* 2. *de Renuntiat.* in alia Academia novum examen subeat: tunc enim ibi posse gradum ipsi conferri, tametsi Academiæ, in qua prius examen subiit, aut etiam Licentiam suscipiendi Doctoratûs accepit, jurârit de non accipiendo alibi Doctoratu. *arg. cit. C.* 2. quia juramenta, transactiones, renuntiationes, & rescripta, intelliguntur de rebus præsentibus, nec se extendunt ad non cogitata. *L. Cùm Aquiliana ff. de Transact. L. Mater decedens ff. de Inofficioso Testam.* Præcipuè Renuntiatio est strictissimi juris, tam respectu rerum, *L. Qui cum tutoribus C. de Transact.* quàm respectu personarum, *L. Si unus §. Antea ff. de Pactis.* Sed qui alicubi pro Gradu examinatur, non cogitat de examine alibi subeundo. Verùm nec assertio nec ejus limitatio videtur esse recipienda. Non quidem ipsa assertio: quia non apparet, quâ ratione id, quod Leges statuunt de non dividendis in judicio causis connexis, trahatur ad extrajudicialia, cùm pro istis non pugnet ratio, propter quam suprà *n.* 563. dixi, causas connexas ab eodem Judice decidendas esse. Non limitatio de Juramento: nam qui jurat, se alibi Insignia Doctoralia non accepturum, absolutè censetur se ad hoc obligare; ac illi, qui juramentum deferunt, censentur eum velle absolutè obligare: quia juramentum, transactio &c. ad illos tantùm casus se non extendunt, quos jurans aut transigens excepisset, si tempore præstiti juramenti de iis cogitâsset, & quos prudens quisque in iisdem circumstantiis excepturus esset. Quòd autem

autem inter hosce casus sit ille, de quo hic agitur, nullâ probabili ratione suadetur.

## §. III.

## *Quandonam Causæ Connexæ dividi possint.*

### SUMMARIUM.

577. *Validè dividuntur causæ connexæ, si contra divisionem non excipitur.*

578. *Facienda est divisio, quando Judex, qui aditur, non est competens in utraque causa.*

579. *Aut, quando unus ex litigantibus est laicus, alter Clericus.*

580. *Aut, si reus in primo judicio contumax fuit.*

581. *Aut, si agitur solum de executione.*

582. *Aut, si juramentum contractui fuit additum.*

577. Quòd Causarum continentia dividi nequeat, ut hactenus dictum est, regulariter quidem procedit, nihilominus in quibusdam casibus fallit. Nam in primis validè dividuntur causæ connexæ, quando contra divisionem non excipitur, ut dixi suprà *n. 566.* & cum citatis ibi DD. tradunt Panorm. & Innocent. *in C. Cum M. Ferrariensis de Constitut.* Felin. *in C. ult. de Judic. n. 8.* Afflict. *decis. 354. n. 2.* Cravetta *consil. 60. n. 5.* & *consil. 258. n. 7.* Menoch. *de Arbitrar. casu 371. n. 20.* & Zasius *in L. Nulli 10. C. de Judic. n. 9.* Quandonam autem opponi debeat exceptio prohibitæ divisionis, dixi *cit. n. 566.*

578. Secundò. Fieri potest divisio, imò etiam debet, quando Judex aditus non est competens in utraque causa connexa. Hinc si in causa seculari coram Judice laico motâ incidat causa Ecclesiastica, e. g. super Matrimonio, Voto, Decimis, Beneficio Ecclesiastico, Excommunicatione &c. hujusmodi causa ad Judicem Sacrum remittenda est, ac interim causâ principali à Judice laico supersedendum, ut dixi suprà *n. 574.* ac eleganter probant Bartol. *in L. Commodato §. Duobus ff. Commod.* & Bald. *in L. Si*

*cum patruo 6. in fin. C. Communia utr. Judic.* & patet ex *C. Lator 5. Qui filii sint legit. C. Tuam 3. de Ord. cognit.* & *C. Si Judex laicus 12. de Sent. Excomm. in 6.* Idémque dicendum esse videtur de causa Statûs incidente coram Judice minimam jurisdictionem vel mediocrem exercente, videl. si vertitur in dubium, an quis sit liber vel servus, filius vel non filius, agnatus vel non agnatus, ut loquitur Zasius *in L. Quoties C. de Judic. n. 3.* Nam de causa Statûs nemo cognoscit, nisi Præses vel major Magistratus. *L. Placet 2. C. de Pedaneis Judic.* Verùm obstat textus *L. 3. C. de Judic.* ibi *Quoties quæstio Statûs bonorum disceptationi concurrit, nihil prohibet, quò magis* (quò minùs) *apud eum quoque, qui alioquin super causa Statûs cognoscere non possit, disceptatio terminetur.*

579. Tertiò. Dividendæ causæ erunt, si unus ex litigantibus sit laicus, alter Clericus: v.g. si Clericus coram laico Judice contra laicum agat possessorio, ac postea contra ipsum agatur petitorio: nec enim qui priùs tractavit causam possessionis contra laicum Judex laicus, tractare poterit contra Clericum causam proprietatis, sed remittere eam tenetur, saltem si diversis judicijs illæ causæ proponuntur, & super proprietate Clericus à laico in eodem judicio non reconvenitur. Ita statuitur *C. ult. de Judic.* & notant ibi Interpp. ac Paul. Castr. Alexand. Zas. aliíque *in cit. L. Nulli C. eod.* Neque vel huic vel præcedenti assertioni obstat, quòd juxta dicta *n. 573.* Judex incompetens ratione continentiæ causarum fit competens. Nam aliud est Judicem esse incompetentem, aliud esse incapacem jurisdictionis. Unde licèt incidentia causæ det jurisdictionem, sicut prorogatio; neutra tamen tollit incapacitatem. Discriminis ratio est: quia jurisdictio Judicis incompetentis tantùm est restricta ad certum genus causarum, vel certum locum, aut certas personas, reipsâ verò talis Judex aliquam jurisdictionem habet, quæ proinde prorogatur per causæ incidentiam. At verò incapacitas est omnimoda inhabilitas & defectus jurisdictionis, qui defectus ubi datur, locum non habet prorogatio, juxta dicta suprà *n. 404. & seqq.* Cùm igitur in casibus modò enarratis Judex secularis

laris nullam omnino habeat jurisdictionem, & quoad illas causas sit incapax jurisdictionis, consequens est, quòd per causæ incidentiam illam non acquirat.

580 Quartò. Si reus in primo judicio contumax fuit, poterit causa dividi & Judex mutari. Bartol. *in L. Quamvis ff. de Dam. infect.* & *in L. Sepulchri ff. de Sepulch. viol.* ac *in L. ubi cœptum ff. de Judic.* Paul. Castr. *in cit. L. Nulli*, Panorm. *in C. Proposuisti* & *C. Dilecti de Foro comp.* ac communis aliorum. Quod esse notabile ait Zasius *in cit. L. Nulli n. 12.* eò quòd inde aliquando resupinatus fuerit. Rationem dant: quia indignum est, ut quis assequatur cõmodum ex sua contumacia. *L. Evidenter ff. de Except. rei iudic.* Quin Bart. *in cit. L. Quamvis.* Sichard. *in cit. L. Nulli n. 16.* aliíque asserunt, contumaci exceptionem de non dividenda causa etiam tunc negari posse, quando vellet reficere expensas primi judicij: eò quòd, qui semel Judicem contempsit, non possit invito actore moram purgare. *L. Litigatores prin. ff. de Arbitr.*

581. Quintò. In executivis, seu cùm ad executionem proceditur, dividi causa potest, ita ut non tantùm alia atque alia via eligi possit, v. g. petendo contra debitorem, ut in possessionem pignoris mittar, ac postea, ut is personaliter capiatur, donec satisfaciat; sed etiam postquam ab uno Judice petij, ut mittar in possessionem pignoris, aut ut hoc distrahere mihi licitum sit, possim ab alio petere, ut debitor incarceretur. Bartol. *in L. Consentaneum. C. Quomodo & quando Judex col.* 2. Sichard. *l. c. n. 19.* ac alij. Adducunt *L. 1. §. Quid ergo ff. de Ventre inspic. L. Qui legati 5. C. Ut in possess. legat. L. Nemo carcerem* 2. *C. de Exactor. tribut.* Verùm non apparet, quid in rem præsentem istæ Leges faciant. Ac idcirco cum Jasone non immeritò dubitat Zasius *l. c. n.* 13. an hoc de Jure procedat. Meliùs forsan ex eo probatur, quòd in iis, quæ paratam habent executionem, non est opus figurâ aut strepitu judicij.

582. Sextò. Si juramentum adjectum fuit contractui, possunt juxta Jason. & Sichard. *in cit. L. Nulli n. 17.* Joan. Andr.

*in C. fin. de Foro comp. in 6.* aliósque, cumulari judicia, & debitum (tametsi unicum sit, ac propterea continentia causæ detur) peti apud Judicem secularem, simúlque propter juramentum, utpote quod est spirituale, peti à Judice Ecclesiastico, ut partem cogat ad observationem juramenti, vel ut Judici seculari scribat, ut ipse ad hoc cogat debitorem. Rationem dant: quia juramentum adjicit forum foro, *cit C. fin. de Foro Comp. in 6.* habétque paratam executionem, sicut sententia & instrumentum depositi. *L. 2. ff. de Jurejur.* & Bart. ac DD. *ibi*: Verùm duo hîc casus distinguendi sunt. Primus, quando constat de juramento & debito, reo id non negante, sed moram duntaxat trahente, aut ex iniquitate solvere recusante. Alter, quo reus negat, se contraxisse, vel juramentum adjecisse, aut debere eo modo, quo petitur &c. Primus casus non differt ab eo, quem modò proposui *n. 580.* & sic juxta opinionem ibi propositam uterque Judex adiri poterit. Quoad alterum varia est responsio DD. qui enim jurisdictionem Judici seculari extendunt ad factum rei spiritualis, concedent, secularem decidere prædictam quæstionem posse, videlicet utrùm juramentum contractui adjectum fuerit, an non; cùm hæc sit facti quæstio: negabunt verò, qui tenent (uti tenent plurimi, de quibus infrà *à n. 676.*) laicos cognoscere non posse de rebus spiritualibus, tametsi quæstio solùm super facto vertatur.

## §. IV.

### *An, si Clerici & Laici communis est causa, solus Judex Ecclesiasticus cognoscat.*

SUMMARIUM.

583. *Solus Judex Ecclesiasticus cognoscit, si Clericus & Laicus simul delinquunt.*

584. 585. *Solvuntur opposita.*

586. *Judex laicus non potest irruere in ædes Clerici, ejúsque complicem*

*plicem extrahere. Nec ab eodem exigere impensas in captura complicis factas.*

587. *Complex Clerici in delicto notorio judicari à Magistratu seculari potest juxta multos.*

588. *Si inter plures cohæredes unus est Clericus, omnes conveniuntur coram Judice Eccles. Uti etiam, si ipsi hæredes inter se super divisione litigant. Aut, si Clericus & Laicus sunt simul executores testamenti.*

589. *Nec non, si agitur judicio communi vel contra plures tutores & curatores, inter quos est Clericus.*

590. *In causa individua frater Laicus gaudet immunitate fratris Clerici.*

591. *Inter litis consortes, si unus habet privilegium fori, eodem gaudent & reliqui.*

592. *Major habens rem communem cum minore restituitur in integrum.*

593. *Nec præscriptio locum habet in rebus laico cum Ecclesia communibus, nisi eo tempore, quo præscribitur contra Ecclesiam.*

583. Celebris hæc est & sæpe agitata controversia, ut ait Fachin. *L. 9. Controv. Jur. c. 31.* acidcirco separatim hîc tractanda, tametsi ejus decisio satis ex modò dictis pateat. Quemvis à suo Judice competente, Clericum ab Ecclesiastico, Laicum à Laico, judicandum esse, docent Gutierez *L. 1. pract. quæst. q. 6.* Cravetta *consil.* 232. Cevallos *p. 2. q. 69. n. 7.* Gaill. *de Pace publ. c. 1. n. 29.* Covarr. *practic. quæst. c. 24. n. 1.* ubi contrariam opinionem, de qua mox, opinatur esse falsam, opinione nimis facili, ac nullatenus illis, quas adducit, rationibus fundatâ. Hos aliósque non non paucos sequuntur ex Theologis Thom. Sanchez *in Opusc. tom. 1. l. 3. c. un. dubit. 30. n. 5.* Molina *de Just. tr. 3. disp. 49. n. 24.* Bonacina *tom. 3. in Bull. Cœnæ disp. 1. q. 16. pun. 5. n. 20.* ac alij. Utrumque tam Clericum quàm Laicum à Judice Ecclesiastico judicandum esse tradunt plurimi, ac propè innumeri, quos allegant Covarr. *l. c.* Fagnan. *in C. Nullus de Foro comp. à. n. 29.* Delbene

*de Immunit. Eccleſ. c.* 10. *dubit.* 17. *n.* 2. & Sperelli *Deciſion. Fori Eccleſ. deciſ.* 19. *n.* 4. ex quibus Barthol. Socin. *in L. cùm Senatus ff. de Rebus dub.* & Scaccia *L.* 1. *de Judicijs cauſ. c.* 11. *n.* 24. teſtantur, hanc ſententiam praxi receptam eſſe, ac teſte Pignatelli *tom.* 1. *conſult.* 481. *n.* 1. iteratò declaravit S. Congregatio Immunitatis, debere Epiſcopum de tota cauſa cognoſcere, & laicum æquè ac Clericum judicare. Secluſis etiam his declarationibus vera eſt hæc deciſio ex eo, quòd ſi duo Rei judicandi ſunt ab eodem Judice; unus Clericus, alter Laicus, cognitio pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum, juxta ea, quæ paulò antè dixi *n.* 579. Atqui ſi plures ejusdem delicti ſunt rei, conveniendi ſunt coram eodem, Judice, ut pariter ex communi DD. dixi *n.* 569. Unde Fachin. *l. c.* §. *Continentia* præproperè & nimis fidenter dixit, nullam, ſi Clericus peccat cum laico, continentiam cauſarum dari. Ratio, quam affert, quòd diverſæ ſint perſonæ delinquentes, nulla eſt, cùm manifeſtum ſit ex Juribus & DD. hactenus allegatis, diverſarum jurisdictionum perſonas ob continentiam cauſæ coram eodem Judice conveniendas eſſe. Videatur Mynſinger *cent.* 1. *obſerv.* 4. ubi refert, ita iudicatum fuiſſe à Camera Imperiali. Verum quoque non eſt, cauſam alterius non eſſe connexam alteri: cùm ſit idem utriusque & conjunctâ malitiâ patratum delictum. Hoc autem juxta communem DD. continentiam cauſæ habet.

584. Neque obeſt, quòd juxta *C. Clerici* & *C. cùm ab homine de Judic. C. ſi diligenti C. ſi Clericus C. Licet de Foro comp.* Judici Eccleſiaſtico cognitio cauſarum Clericorum, ſeculari ſecularium competat: hoc enim regulariter quidem procedit, ſicut quòd quilibet Reus coram Judice ſuo immediato conveniendus ſit; non tamen ſi ſpecialis ratio, videlicet continentia cauſarum, jubeat adiri Judicem Eccleſiaſticum, vel mediatum Superiorem.

585. Pariter non obſtat, quam objiciunt, Bulla Pij V. edita 26. Maij anno 1563. nam fuit correcta & ad terminos Juris communis ac Concilij Trident. redacta per aliam Bullam Pij V. die 20. Jun. anno 1566. emiſſam, ut bene notat Scaccia *l. c.* Denique non adver-

adversatur, quem opponunt, textus *L. si quis uxori ff. de Furt.* Nam, ut benè advertit Ambrosin. *Tract. de Immunit. Eccles. c. 20. n. 9.* cùm uxor de furto non teneatur ob res viro subtractas *tit. L. si quis §. 1.* si alius, qui opem ei præstitit ad furandum, hanc immunitatem haberet, impunitus evaderet. Undemirum non est, quòd privilegio uxoris non gaudet, ut ibidem dicitur. Hæc autem ratio in nostro casu non militat. Quidquid sit de rationibus intrinsecis, & consuetudine alicubi contraria, nostra sententia decisa fuit à S. Congregat. Cardin. teste Scaccia *l. c.* & Pignatelli *l. c.* Videri possunt Tiber. Decian. *Tract. crim. lib. 4. c. 9. à n. 44.* Scaccia *l. c.* & Ambrosin. *de Immun. Eccles. c. 10. n. 5.* ubi adversantium argumenta solidè refellit.

586 Quemadmodum verò contrariæ opinionis praxim non damno, ita nonnulla circa eam advertenda duxi. Primum est, quòd nullo modo licitum sit Judici laico ejúsve Ministris irruere in domum Clerici & concubinam v. g. inde extrahere. Quia hoc foret jurisdictionem coactivam & violentiam contra ipsum Clericum exercere: quod esse vetitum laicis adversùs Clericos, patet ex suprà dictis de Immunitate Clericorum. Alterum est, tolerandam non esse consuetudinem quorundam Judicum laicorum expensas factas in captura & custodia suspectarum fœminarum postea à Clericis exigentium. Cùm enim Clericus, ut ponitur, fœminam capi non jusserit, & suo delicto expensarum illarum causa tantùm per accidens fuerit, consequens est, quòd earum exactio quoad Clericum haberet rationem pœnæ, quam constat Clericis à laico inferri non posse. Accedit, quòd per hujusmodi condemnationem in expensas judicium ferretur de crimine Clerici nec citati nec auditi. Hoc autem excedit potestatem Judicis secularis.

587. Denique dissimulandum hîc non est, doctrinam modò traditam, ab Anchar. aliisque compluribus limitari quoad concubinas publicas Clericorum: harum enim delictum esse mixti fori, posséque eas puniri etiam à Judice laico. Quod Sperelli *cit. decis. 9. n. 5.*

*n.* 5. in puncto Juris putat esse verius, eò quòd Prælatus tolerans publicum Clerici concubinatum censeatur causam velut abdicare, eámque, quantum attinet ad feminam complicem, ad Judicem laicum remittere. Addit tamen, se neque in isto casu vidisse procedi à laico Magistratu, sed ab isto solere admoneri Prælatos, ut provideant & hujusmodi scandala tollant. Concubinarius autem notorius est, qui ut talis per sententiam fuit condemnatus, aut in judicio se talem est confessus & in confessione perseverat, aut si crimen in judicio fuit probatum, & concluſum in causa. *C. Vestra* & *C. ult. de Cohabit. Cler.* & *mul. C. Cum olim de V. S. C. 1. de Confess. C. Exceptionem de Exception. L. Ictus fustium ff. de Infamib. L. Sciant C. de Probat. L. Gesta ff. de Re judic.* Aut si notorium sit *per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit*, ut dicitur *cit. C. ult. de Cohab. Cler.* & *cit. C. 7.* & *8.* Quin dicitur publicus & notorius Concubinarius, qui feminam suspectam domi retinet, eámque à Superiore monitus non vult dimittere, uti expressè decisum esse à Concilio Basileensi *sess. 20.* refert Diaz *in Pract. crimin. c. 73.* & sumitur ex *C. Si quisquam 2. de Cohabit. Cler.* De notorio Concubinatu fusè Farin. *Oper. Crimin. p. 5. tit. 16. q. 188. p. 2.*

588. Ut autem veritas eorum, quæ hactenus de continentia Causarum dicta sunt, tantò meliùs eluceſcat, juvat ex iis, quæ inde sequuntur, aliqua in medium afferre, & doctrinam generatim traditam exemplis illustrare. Itaque consectarium inde est I. Quòd si plures coheredes conveniuntur, v. g. pro præstandis alimentis, aut solvendis debitis defuncti, intérque eos est Clericus, omnes pro eadem causa communi conveniendi sint coram Judice Ecclesiastico. Bartol. *in L. Præcipimus C. de Appell.* & *in L. Solent ff. de Alim.* & *cibar. legat.* Felin. *in C. 1. de Præscript. n. 6.* Marant. *de Ord. Jud. p. 4. dist. 11. n. 21.* Benzon. *de Censur. tr. 1. disp. 16. lib. 5. c. 1. §. Præter Juris.* Pariter, si disceptent super divisione hæreditatis, ac inter reos sit Clericus, controversia per Judicem Eccles. est dirimenda. Bartol. *in cit. L. Solent col. pen.* Marsil.

sil. *in repet. ad rubric. ff. de Fidejuss. n. 134.* Car. de Grassis *de Effect. Cleric. effect. 1. n. 520.* Eadem est ratio de casu, quo Clericus & laicus sunt executores testamenti: conveniendi enim sunt coram tribunali sacro. *C. Joannes 19. de Testam.* & *ibi* Zabarella, Alexand. *in L. Præcipimus C. de Appellat.* Marsil. *l. c. n. 19.* Jason *in L. Si emancipati C. de Collationib. col. 4.* Barbat. *in rubr. de Offic. Deleg. col. 2.* Car. de Grassis *l. c. n. 494.* Benzon. *l. c.*

589. II. Si contra plures agendum judicijs communibus, videlicet familiæ herciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, vel plures tutores, aut curatores ejusdem tutelæ vel curæ, & ex iis unus sit Clericus, adeundus est Judex Eccles. Felin. *in C. de Præscript. n. 6.* Marian. Socin. *in C. Prudentiam de Mut. petit. n. 30.* Gratian. *tom. 3. Discept. for. c. 641. n. 6.*

590. III. Tametsi in materia dividua fratres laici non gaudeant immunitate ex persona fratris Clerici, cum quo habent communia bona pro indiviso, ut post Speculat. *tit. de Cleric. conjug. n. 14.* & *15.* ac alios bene tradunt Ferret. *de Gabellis n. 436.* & Car. de Graff. *l. c. effect. 3. à n. 86.* ac propterea cogi possint laici ad dividendum bona eum in finem, ut constet, quanta sit portio, ex qua collectæ solvendæ ab ipsis sint, juxta Speculat. *l. c.* §. 1. *V. ad hujus* Capra *regul. 96. n. 7.* ac alios: si tamen causa sit individua, fratres laici ex persona fratris Clerici immunitate gaudent. Specul. *l. c.* Dec. *in Auth. Cassa C. de SS. Eccl. col. 2.* Natta *vol. 1. consil. 1. n. 10.* & *consil. 54. n. 2.* Surd. *vol. 3. consil. 301. n. 80. arg. L. Si communem ff. Quemadm. servit. amitt.* Exemplum sit de onere hospitandi seu hospitium dandi militibus, à quo cùm immunis sit Clericus juxta *L. 1. C. de Episc.* & *Cler.* etiam quoad domos patrimoniales juxta declarationem S. Congreg. Card. apud Barbosa *lib. 1. de Jure Eccl. c. 39.* §. *5. n. 71.* fratres quoque laici in eadem domo habitantes immunes sunt. Natta & Surd. *ll. cc.* Universim in materia individua Clericus & laicus simul conveniendi sunt coram Judice Eccles. Bartol. *in L. Præcipimus* §. *1. C. de Appell.* Marian. Socin. *l. c.* Matthesilaus *notab. 144. V. si in causa individua.* Qua de causa

laici non ligantur ſtatutis laicorum quoad jus, quod individuum habent cum Clericis. Aretin. *conſil.* 23. *n.* 3. Rochus de Curta *tr. de Conſuet. ſect.* 8. *n.* 62. Decian. *tom.* 1. *Tract. Crim. lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 6. Carol. de Graſſ. *l. c. effect.* 2. *n.* 55. Covarr. *Pract. qq. c.* 34. *n.* 2. cum Bald. Aretin. Bartol. Socino ac aliis.

591. IV. Si inter litis conſortes eſt Clericus aliúsve habens privilegium eligendi forum, omnes ratione connexionis eodem privilegio gaudent. Riccius *p.* 3. *deciſ.* 179. *in fin.* Novarius *tr. de Elect. & variat. Fori q.* 45. *ſect.* 1. & latè ac doctè Vivius *Deciſ. Neapol. deciſ.* 521. Menoch. *conſil.* 136. *n.* 22. *arg. L.* 2. *C. de Epiſc. & Cler.*

592. V. Major habens communem rem cum minore, ratione connexionis gaudet reſtitutione in integrum. Aretin. *conſil.* 25. *n.* 3. Jaſon *in L. Si mater C. de Inoff. teſtam. n.* 10. Cephal. *lib.* 5. *conſil.* 661. *n.* 76. Covarr. *l. c.* Oddus *tr. de Reſtit. in integr. q.* 46. *art.* 4. ubi complures allegat.

593. VI. Si laicus rem habet communem cum Eccleſia, adversùs ipſum non habet locum præſcriptio, niſi tanto tempore, quanto opus eſt ad uſucapiendas res Eccleſiæ. Innocent. & Panorm. *in C. ad audientiam de Præſcript.* Marſil. *Singul.* 180. Jaſon *in L. Si emancipati C. de Collat. n.* 17. Natta *conſil.* 590. *in fin.* Surd. *cit. conſil.* 301. *n.* 83. Univerſim immunitas conceſſa uni ex ſocijs communicatur & alteri. Gloſſ. *in L. fin. C. de Muner. & honor.* Jaſon *l. c.* Cephal. *cit. conſil.* 661. *n.* 78. Surd. *l. c. n.* 80. Gratian. *conſil.* 130. *n.* 6. Schrader. *p.* 3. *de Feud. c.* 4. *n.* 13. Ex quo colligit Sperelli *deciſ.* 41. *n.* 75. colonos Clericorum non teneri ad onera ſecularia.

CAP.

# CAPUT IV.

## De Foro Reconventionis.

### §. I.

### *Quâ ratione Forum per Reconventionem acquiratur.*

SUMMARIUM.

594. *Reconventio utroque Jure concessa est.*
595. *Reconveniri actor potest coram Judice non suo.*
596. *Et coram Judice etiam Delegato.*
597. *Non item coram Arbitro.*
598. *Nec coram illo, qui in causa reconventionis jurisdictionem non habet.*
599. *Facienda est reconventio ante litis contestationem, vel in continenti ante juramentum calumniæ.*
600. *Facta post litis contestationem operatur quidem competentiam Judicis, non tamen simultatem processûs.*
601. *Causa Conventionis & Reconventionis quandoque dividi possunt.*

594. Reconventio, seu, ut nominatur L. II. Decretalium Titulo IV. Mutua petitio (sic dicta quòd Actor petat aliquid à Reo, ac iste vicissim ab Actore, vel quòd unus litigantium petat seu impetat alterum) est actio à Reo convento durante conventionis judicio agitata, Germanis wider: oder gegen Klag. Non rarò enim contingit, dum Actor libellum & petitionem offert Judici, ac adversarium convenit, vicissim ab isto libellum offerri, & aliquid contra Actorem vel ab Actore peti. Est hæc mutua petitio utroque Jure concessa, præcipuè cit. Tit. Decretalium & *L.* 14. *C. de Sentent. & Interlocut.* ac æquitati naturali maximè conformis. Cùm æquissimum sit, ut si Actor Judicem non recusat, coram

quo agat contra alium, eundem non recuſet, dum agitur contra ſe. *cit. L. 14.* ac idcirco Actor Judicem, coram quo reconvenitur, recuſare tanquam ſuſpectum non poteſt. Accedit, quòd Actor non eſt diſtrahendus & vexandus varijs judicijs: quod fieret, ſi ipſe dein coram alio Judice reſpondere deberet.

595. Ex quo naſcitur, Actorem reconveniri poſſe coram Judice non ſuo, hácque ratione Forum ſortiri, quod Reconventionis dicimus. Eo ipſo enim, quòd alterum convenio coram Judice non meo, prorogo tali Judici in me jurisdictionem, & contentus eſſe debeo, ut viciſſim coram ipſo conveniar, ac propterea exceptionem Fori non competentis opponere nequeo. *L. 22. ff. de Judic. L. 11. §. 1. ff. de Jurisdict. L. 38. ff. Mandati,* & *cit. L. 14. junctâ Authent. Et conſequenter C. de Sent. & Interloc.* Neque Actor, licèt alioquin exemptus, liti â ſe intentatæ renunciare Reo invito poteſt, ſi reconveniatur: tametſi lis nondum conteſtata ſit. Carpz. *p. 1. Jurispr. For. conſtitut. 7. defin. 15.* cum Baldo ac alijs *in cit. Auth. Et conſequenter.* Prorogatur autem jurisdictio per Reconventionem in omnibus illis caſibus, in quibus eam prorogari poſſe dixi ſuprà *ad n. 450.* Ex. gr. reconveniri poteſt actor de ſumma 100. florenorum, etſi de tanta quantitate iſte Judex non poſſit judicare, juxta dicta ſuprà *n. 407.* E contrario non valet reconventio in cauſa ſpirituali coram Judice laico; nec in criminali, ſi Judex jurisdictionem habet tantùm in civilibus; nec in cauſa Feudali, ſi Judex non ſit Feudi Dominus vel Pares Curiæ; ac viciſſim Judex ſolùm in feudalibus non poteſt eſſe Judex in reconventione ſuper allodialibus.

596. Habet autem Reconventio locum etiam coram Judice Delegato. *C. 1. de Mutuis petit.* Quod tamen ſolùm procedere, ſi delegatus ſit ad inſtantiam Actoris; non verò, ſi ad inſtantiam utriusque, aut motu proprio Principis, tradit cum Bart. Panorm. ac alijs Maranta *in Speculo Judic. p. 4. diſt. 6. n. 13.* quia, ut ajunt, ſi ad inſtantiam Actoris delegatus eſt, locum habet ratio tradita *in cit. L. cùm Papinianus 14. C. de Sent. & Interlocut.* quòd

vide-

videlicet Actor Judicem, quem eligit pro se, non debet rejicere contra se. Quæ ratio cùm procedat etiam in casu, quo delegatio facta est ad instantiam utriusque partis, non apparet, cur tunc coram Delegato non possit fieri reconventio.

597. Non item coram Arbitris fieri potest Reconventio. *C. cùm dilectus 6. de Arbitris.* Ratio ibi datur: *cùm arbitri judicare non valeant, nisi de his tantùm, super quibus in eos extiterit compromissum.* Notant tamen Maranta *l. c. n. 20.* Zanger. *c. 1. p. 2. de Exception. n. 377.* Berlich. *p. 1. conclus. 22. n. 43.* Carpzov. *p. 1. Jurispr. For. constit. 7. defin. 5. n. 5.* hoc verum duntaxat esse de Arbitris Compromissarijs, seu partium consensu electis. Idémque indicatur *cit. c. 6.* verbis *extiterit compromissum.* Aliud igitur est de Arbitris ex necessitate Statuti electis: cùm isti Ordinariam Jurisdictionem habeant à Lege.

598. Demum reconventio non nisi coram illo Judice fieri potest, qui in illo genere causæ jurisdictionem habet. Speculat. *L. 2. p. 1. tit. de Reconvent. §. 2. n. 9.* Bart. *in Auth. Et consequenter C. 1. de Sent. & Interlocut.* & communis Canonistarum *in C. 1. de mutuis petit.* Exempla paulò antè dedi *n. 595. in fine.*

399. Quantum jam attinet ad rationem faciendi reconventionem & in ejus causa procedendi, dicendum est, eam fieri debere ante litis contestationem, vel saltem in continenti ante juramentum calumniæ, & non ex intervallo, ut cum communi DD. tradit Maranta *l. c. n. 6.* patétque ex *Clement. 2. de V. S. Novell. 96. c. 2. C. 1. h. t.* ac *Auth. Et consequenter C. de Sent. & Interlocut.* Facta sic reconventio à DD. vocatur propriè dicta, & requirit, ut post litem contestatam ac responsionem à Reo ad libellum Actoris factam statim etiam respondeat Actor reconventus. *C. 1. h. t.* Estque tunc causa Conventionis & Reconventionis uno processu ventilanda, & de utraque unâ sententiâ judicandum. Mynsing. *cent. 1. observ. 10. n. 1.* Carpz. *l. c. defin. 1. n. 3.* cum Bart. ac communi DD. Concordat Ordinario Cameræ Imperialis *p. 3. tit. 30.* Quòd si Judex non procedat pari passu, sed priùs in causa Conventionis

pronuntiet, ſententia non quidem erit nulla, appellare tamen poterit Reus juxta Panorm. aliósque ex *L. 1. §. fin. ff. Quæ ſententia ſine appell.* Si tamen alterutra cauſa celeritatem exigat, & imminеat periculum animarum, neceſſe non eſt ſimul terminari, ſed poterit urgentior expediri dilatâ alterâ. Idémque eſt, ſi petitio v. g. Actoris altiorem indaginem requireret, ac idcirco longiores dilationes: poterit enim tunc illa differri, & priùs expediri cauſa Reconventionis. Maranta *l. c. n. 9.* cum Panorm. Speculat. ac aliis.

600. Poterit quandoque Reconventio fieri etiam poſt litem conteſtatam, & uſque ad ſententiam definitivam. Maranta *l. c. n. 5. & 6.* cum Decio, Lanfranc. ac alijs. Et patet ex *C. Diſpendia 3. §. Reus de Reſcript. in 6.* ubi abſolutè dicitur, quòd Reus durante eodem judicio poſſit reconventionis beneficio apud eosdem Judices de ſuo jure experiri. Quamdiu igitur durat judicium, locus eſt reconventioni. Tunc tamen dicitur Reconventio Impropria. Et licèt operetur competentiam Judicis, non tamen etiam operatur ſimultatem proceſsûs. Non enim per eam retardatur cauſa conventionis, ſed hæc procedit, & tunc primùm deciditur cauſa reconventionis. Maranta *l. c. n. 6.* cum Bart. Bald. ac aliis. Idque receptum eſt Jure Bavarico *p. 6. Ordinis Judicialis Statuto 4.* Quin addunt, quòd in tali caſu Actor in cauſa Reconventionis non tantùm non teneatur reſpondere, donec finita Conventionis cauſa fuerit, ſed quòd inſuper cauſam Reconventionis ad ſuum Judicem proprium trahere poſſit, cùm in iſta cauſa ſit Reus: niſi fortè cauſa Reconventionis aliàs eſſet peritura, aut moram non pateretur.

601. Univerſim non ita connexæ ſunt cauſæ Conventionis & Reconventionis, quin abſolutè dividi poſſint. Nam ſi Actor in cauſa Conventionis ſuccubuit & appellavit, poteſt Judex in cauſa Reconventionis procedere, nec neceſſe eſt, ut eam remittat ad Judicem appellationis, vel expectet, donec iſte cauſam Conventionis deciderit. Maranta *l. c. n. 9.* Berlich. *p. 1. concluſ. 22. n. 61.* cum Innocent. ac alijs. Si tamen in reſcripto Conven-

ventionis posita sit clausula *appellatione remota*, observari ea debet etiam in causa Reconventionis. Imola *in C. 2. h. t. n.* 1. Panorm. *ibid. n. 2.* Rationem dant cum Felino: quia causa Reconventionis æquiparatur causæ Conventionis, & modum procedendi ejusdem imitatur.

## §. II.

## *In quibus Causis concedatur Reconventio.*

### SUMMARIUM.

602. *Locus est reconventioni in omnibus causis specialiter non exceptis. Etiam summariis. Et in diverso causæ genere.*
603. *Enarrantur illæ, in quibus non admittitur reconventio.*
604. *In Bavaria subditi non reconveniuntur nisi in causis connexis.*
605. *Declaratur, quæ sint causæ connexæ.*

602. Locus est Reconventioni in omnibus causis specialiter non exceptis. *L. Præses 1. §. ult. ff. de Var. & extraordin. Cognition.* Et quidem in causis etiam summariis, in quibus non reperitur expressè prohibita, aut qualitas negotij non repugnat. *Clem. sæpe de V. S. §. Verùm.* Neque in eodem tantùm causæ genere, sed etiam diverso, ita ut si ex. gr. conveniar actione Empti, reconvenire possim actione Locati. Communis DD. refragante Anton. Fab. eámque in eodem tantùm genere causæ concedente, eò quòd *cit. L. 14. C. de Sent. & Interlocut.* reconventionem solùm concedat in eodem negotio, nec loquatur de diverso. Verùm respondetur, ibi per negotium non intelligi causam, sed litem & instantiam, seu exercitium judicij. Conceditur pariter juxta communem DD. contra eundem Anton. Fab. reconventio tam ad actionem Realem, quàm Personalem: ita ut si conveniar Reali, reconvenire possim Personali, ac viciſſim.

603. Sunt tamen nonnullæ causæ, in quibus reconventio permissa

permissa non est. Et primò quidem interdicta est in causis Excommunicatorum: his enim imposita quidem est necessitas aliis respondendi, sed negata facultas conveniendi. *C. 5. de Exception.* Secundò. Non conceditur in causa appellationis. *L. 1. ff. Eum, qui appellavit.* Quia appellatio non videtur interposita, nisi propter necessitatem, seu injuriam, quam appellans sibi factam esse putat. Igitur aliam ob causam Judex appellationis invocandus non est. Tertiò. Permissa non est in causis executivis, ijs videlicet, quibus urgetur executio rei judicatæ, aut vi instrumenti. *Auth. Et consequenter C. de Sent. & Interlocut.* Bald. ac Interpp. ibi, Maranta *l. c. à n.* 30. Quartò. Non habet locum in Depositio. *C. fin. de Depositio. L.* 11. *C. eod.* quia Depositum debet habere paratam executionem, præsertim si res moram non patiatur. Universim juxta utrumque Socinum, Joan. Andr. ac alios, quos refert Menoch. *de Arbitr. Judic. casu 184. à n. 3.* non admittitur reconventio, quando conventio ob moræ periculum celeritatem desiderat. Quintò. Non in causa spolij. Cùm is, qui agit ex spolio, seu à spoliatore sua repetit, non teneatur ei respondere (nisi super causa spoliationis) donec spolium restituerit. *C. ult. de Ordine Cognit.* An hoc locum habeat etiam tunc, quando remedio *Redintegrandæ* agitur contra tertium, qui rem ablatam detinet, sed non spoliavit, dubium est. Negandum contra Bartolum videtur cum Panorm. & Maranta *l. c.* quia *cit. C. ult.* solùm dicitur, quòd spoliatus non teneatur respondere spoliatoribus. Existimo tamen, etiam tertio non teneri respondere spoliatum, si is conscius sit spolij & possessor malæ fidei: quia rem ablatam malâ fide retinendo instar spoliatoris est. Sextò. Reconventio fieri nequit in Criminalibus criminaliter actis: nisi Reus majus crimen criminaliter intentet, vel suam suorúmve injuriam persequatur. *L. si quis reus 5. ff. de Publ. Judic. L. 1. & 19. C. Qui accusare non poss.* Imò Reus criminaliter conventus ne quidem civiliter reconvenire adversarium potest, nisi coram ipsius Judice ordinario ac competente. *L. Consensisse 2. §. Item si quis v. Non tamen*

*tamen ff. de Judic.* Bart. *in cit. Auth. Et consequenter n. 7.* Berlich. *p. 1. concl. 22. n. 27.* Neque qui civiliter conventus est, Actorem criminaliter reconvenire potest, etsi cæteroqui Judex, coram quo vult reconvenire, sit competens etiam in criminalibus: quia causa criminalis hoc habet privilegij, ut eâ pendente qualibet civili supersedeatur. *L. ult. C. de Ord. Judicior.* Denique si Judex aliquo deferente inquisitionem instituit, non habet locum reconventio: unde petente inquisito non tenetur Judex inquirere in delatorem de simili vel alio crimine. Maranta *l. c. n. 65.* Speculat. *L. 2. p. 1. tit. de Reconvent.* §. 2. *n.* 1. & *L. 3. p.* 1. *tit. de Inquisit.* §. 1. *n.* 13. Molignat. *de Reconvent. q. 65.* Si tamen conventus de crimine civiliter Actorem de alio crimine civiliter reconvenire velit, admittenda erit reconventio: dummodo fiat coram Judice suo & Ordinario. Maranta *l. c. n. 68.* Molignat. *l. c. q. 64.* Berlich. *p.* 1. *conclus.* 22. *n.* 30. Septimò. Locus Reconventioni non est in causis Feudalibus, ut obiter dictum *n. 595.* & nunc explicandum est. Igitur si convenio Titium coram ipsius Judice competente in causa allodiali, non possum coram eodem reconveniri in feudali: nisi Judex ille Ordinarius sit Feudi Dominus, aut ejus consensus accedat. Gaill. *L.* 1. *observ. 40. n. 6.* Berlich. *l. c. n. 19.* Zanger. *p. 2. de Exception. c. 1. n. 381.* Schraderus *de Feud. p. 10. sect. 1. n. 199.* quamvis postea sui immemor tradat contrarium *sect. 6. n. 235.* Assertionis ratio est: tum quòd in causa Feudali non est concessa prorogatio, ut dixi suprà *n. 456.* reconventio autem est prorogatio: tum quòd fieri nequit coram Judice, qui in genere causæ, in quo est causa reconventionis, jurisdictionem non habet juxta dicta. *406.* & *595.* Judex autem ordinarius, coram quo convenior in allodialibus, non habet jurisdictionem in causis feudalibus, nisi sit Dominus, à quo Titius à me conventus & ego feudum habemus. Vicissim conventus in causa feudali coram Domino Feudi vel Paribus reconveniri non potest in causa non feudali, uti contra Mozz. *de Natural. Feud. n.* 114. §. *an verò etiam* ac alios tradunt cum Innocent. ac Baldo Sonsbec. *de Feud. p.* 14. *n. 38.*

Weſembec. *c. 17. n. 19.* ubi communem dicit, & Vult. *Lib. 2. c. 3. n. 9.* ac receptum eſſe in Camera Imperiali teſtatur Mynſinger. *cent. 4 obſerv. 90.* loquens de Paribus Curiæ. Eſt autem par ratio de Feudi Domino jurisdictionem ordinariam non habente, ac de ipſo quoque procedunt rationes modò allatæ, cùm æquè, ac Pares Curiæ, non habeat jurisdictionem, niſi ex Lege Feudorum, ſolùm in cauſa feudali eam concedente. Octavò denique Actor reconventus Reum reconvenire non poteſt: ne aliàs nimiùm accumulentur in eodem judicio cauſæ, ejúsque fiat perturbatio.

604. Hactenus dicta de Jure communi procedunt. Jure Bavarico *p. 6. Ordinis Judicialis Lege* 1. inductum eſt, ut ſi conventus & reconventus ſint ambo in Provincia, ſeu ſubditi Bavariæ, & & cauſa reconventionis à prima cauſa dependeat, locum tunc habeat reconventio; ſecùs, ſi non dependeat. Quod pariter Jure Saxonico receptum eſt, teſte Carpz. *l. c. defin. 8.* Provincialis autem ſeu ſubditus conventus ab extraneo, hunc reconvenire poteſt, ſive cauſa reconventionis à conventionis cauſa dependeat ſive non. *cit. p. 6. Leg. 2.* ubi ratio hujus diſcriminis affertur.

605. Quænam autem ſint cauſæ connexæ non convenit inter DD. Receptum quidem inter eosdem eſt, uti patet ex iis, quæ tradit Menoch. *de Arbitrar. caſu 95. à n. 6.* Pacianus *L. 1. de Probationibus c. 26. & ſeqq.* Frider. Mindan. *de Contin. cauſar. c. 6.* connexa negotia eſſe, quæ ad eundem finem tendunt, quæ ad eandem ſpeciem pertinent, quæ ex conſequentia factorum diviſionem non recipiunt, vel, ut alij loquuntur, quorum unum ſine altero ſtare non poteſt, quorum unum pendet ab altero &c. Verùm præterquam quòd iſtæ regulæ nimis generales ſunt, & ad caſus particulares facilè applicari ſæpe non poſſunt, ſaltem ad præſentis quæſtionis ſubjectum non ſunt adæquatæ, ut ex dicendis apparebit. Itaque alij alias hîc regulas tradunt. Connexas cauſas eſſe dicit Zanger. *p. 2. de Except. c. 1. n. 387.* quæ ex eadem ſpecie contractûs vel ex eodem inſtrumento ac fundamento naſcun-

naſcuntur. Quod maximè, ſi non unicè, locum habet in illis contractibus, ex quibus naſcuntur duæ actiones, una directa, altera contraria, uti ſunt contractus Depoſiti, Commodati, Pignoris, Mandati. Verùm ſunt connexæ aliæ, quæ hâc regulâ non continentur, v.g. cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis, aliæque continentes, de quibus actum eſt ſuprà *n. 568. & ſeqq.* Æquè parùm univerſale eſt, quod Lancellot. & Moller. ajunt apud Carpz. *Jurispr. for. p. 1. conſtit. 7. defin. 12. n. 3.* cauſas connexas eſſe, quando ſententia lata in una parit exceptionem in altera. Hinc cùm certa regula dari nequeat, rectè cum eod. Carpz. *l.c.n.2.* ſecuto Alciat. ac alios, arbitrio Judicis relinquitur, quænam cauſæ ſint connexæ. Quemadmodum ad idem arbitrium recurrendum eſſe videtur in aliis cauſis, utrùm reconventio concedenda ſit, quando imploratur officium Judicis, v.g. per querelam inofficioſi; item ubi nullitas intentatur; ubi uxor dotem repetit; ubi quis debitum eſt confeſſus; in cauſa reſtitutionis in integrum, alimentorum, electionis, fractæ pacis &c.

## §. III.

### *Utrùm Clericus coram Judice ſeculari reconveniri poſſit.*

SUMMARIUM.

606. *Reconveniri coram Judice laico poteſt Clericus in cauſa, quæ eſt ejusdem rationis cum principali, vel cum hac connexionem habet.*

607. *Secùs in cauſis aliis. De conſuetudine tamen etiam in his reconvenitur.*

608. *Quando reconveniri poteſt, locum habent ea, quæ aliàs in reconventione uſitata ſunt.*

609. *Exceptis quibusdam caſibus.*

610. *Non poteſt Judex laicus ſententiam ſuam exequi in perſona*

*Clerici, vel bonis ejusdem etiam patrimonialibus.*

611. *Ratio hujus assertionis affertur.*

612. *Et defenditur ab oppositis.*

606. Multùm refert in hac celebri controversia, utrùm causæ Conventionis & Reconventionis sint connexæ vel ejusdem generis, an non. Quod tamen discrimen hîc annotare passim negligunt DD. Si Clericus agens contra laicum coram Judice laico ab eo reconveniatur super re habente connexionem cum petitione principali & causâ conventionis, vel quando est ejusdem rationis, non dubito reconventionem valere. Ex. gr. si Clericus calumniosè laicum accuset, poterit de calumnia reconveniri, & de hac cognoscere Judex laicus, non quidem ad illum puniendum, sed ad condemnandum in expensas, & Reum ab instantia absolvendum. Idémque est, si Clericus de debito laicum conveniat v. g. actione ex mutuo, & à laico itidem de debito reconveniatur, v.g. actione venditi. Neque litigium, quod est inter DD. procedere de hujusmodi causis existimo, sed omnes facilè consensuros, posse reconveniri à laico Clericum: quia talis reconventio habet rationem naturalis defensionis, sicut allegationes & probationes, quas pro se affert Reus: éstque instar exceptionis. Perinde igitur & æquè, ac exceptiones seu dilatoriæ seu peremptoriæ, coram Judice etiam laico proponi potest.

607. Itaque quæstio duntaxat videtur procedere de causis diversi generis & connexionem non habentibus, v.g. an Clericus coram Judice laico reconveniri possit in causa commodati, si laicum ipse convenit in causa mutui. Negant complures Theologi & Canonistæ, quorum sententia Juri scripto est conformior, & sic in puncto Juris probabilior, ut benè observant Illust. D. Schmid Bavariæ Cancellarius, & cum ipso Prænob. D. de Bassis *Semicentur. 2. quæstion. Forens. controvers. 12. n. 1.* Nam Jura Sacra (quibus hîc standum est) absolutè prohibent, ne Clericus etiam in causa civili coram Judice laico conveniatur. *C. 4. 8. 10. de Judic. C. 2. & 7. de Foro compet. C. un. de Cleric. Conjug. in 6.*

*in 6. Can. 5. 6. 8. & 14. 11. q. 1.* ac fusè dixi suprà *n. 225. & seqq.* Reconventio autem est altera conventio, & sub conventione in genere tanquam species continetur. Cùm igitur omnis species prohibita censeatur, quando prohibetur genus, nisi aliqua excipiatur *L. 147. ff. de R. J.* nullibi autem excipiatur reconventio, dicendum omnino erit, Clericos de Jure coram laico Judice nec reconveniri posse. Verùm contrarium docent non modò omnes Heterodoxi (quos in hujusmodi quæstionibus non moramur) & plerique ferè Legistæ Catholici, si excipiatur Cynus, Anton. Faber, Klingius, Thesaurus, ac quidam alij: sed etiam Theologi quidam ac Canonistæ, nimium Innocent. Hostiens. Turrecrem. Dec. Joan. Andr. Tabiena, Sylvest. ac alij, quos referunt & sequuntur Thom. Sanchez *in Opusc. Moral. L. 6. c. 1. dub. 1. n. 3.* & August. Barbosa *L. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 2. n. 137.* ac ipsa etiam consuetudo: quæ quia plurimorum DD. calculo approbata, nec ullibi, quod constet, à SS. Pontificibus reprobata est, absit, ut eam condemnem. Non tamen hîc aliqui argumentum benè deducunt ab expensis, in quas Actor Clericus à Judice laico condemnari potest salvo privilegio Fori Clericali Statui competente. Nam condemnatio in expensas ob temeritatem Actoris à sententia absolutoria Rei necessariam dependentiam habet, quam neutiquam habet causa Reconventionis à causa Conventionis, uti vel ex eo satis patet, quòd Curia Feudalis temerè litigantem pro feudo condemnare in expensas potest, quin tamen reconventionem extra causam feudalem admittere possit, prout dixi paulò antè *n. 595. & 603.*

608. Admissâ autem consuetudine reconveniendi Clericum coram Judice seculari, consequens est, quòd reconveniri possit etiam coram Judice Delegato juxta dicta *n. 596.* Et quòd non tantùm in judicio Ordinario, sed etiam in Summario, de quo *n. 602.* quódque reconventione semel coram laico factâ teneatur stare judicio, nec possit pro arbitrio à conventione desistere, juxta dicta *n. 595.* ac universim ea observanda sint, quæ ad reconventio-

nem requiri hactenus dixi. Quam in rem Barbosa *l. c. à n.* 140. fusè allegat testimonia DD.

609. At verò etiam juxta plerosque ex illis, qui reconventionem Clerici coram Judice laico admittunt, locum ea non habet, quando attentatur in criminalibus, tametsi in his laicus reconveniens tantùm vellet agere civiliter. Decian. *Tract. crim. L. 4. c. 9. n.* 17. Scaccia *de Judic. p.* 1. *c.* 11. *n.* 93. Trentacinq. *L. 2. var. resolut. tit. de Mut. petit. resol.* 1. *n.* 33. Petr. Barbosa *in L. qui prior. ff. de Judic. n.* 86. ac alij communiter. Aut quando causa reconventionis foret Spiritualis vel Spirituali annexa: cùm pateat, de hac cognoscere esse supra potestatem Judicis secularis. Aut si laicus fraudulenter egisset procurando sui conventionem coram Judice laico, ut sic ipse coram eodem reconvenire Clericum posset: cùm sua fraus nemini patrocinari debeat. Aut quando Clericus non ageret nomine proprio, sed alieno, tanquam Tutor, Curator, aut Procurator. August. Barbosa *l. c. n.* 149. cum Carolo de Grassis, Squillante, ac alijs. Idémque dicendum foret, si Clericus ageret nomine proprio & reconveniretur nomine alieno. Neque reconveniri poterit Clericus coram Arbitro voluntario, juxta dicta *n.* 597. Aut si vertatur una ex causis, in quibus reconventioni locum non esse dixi *n.* 603.

610. Dubium hîc nascitur, an contra Clericum, qui coram Judice laico laicum convenit, vel ab eo reconventus & condemnatus fuit, executio à Judice laico fieri possit. Receptum inter Catholicos & certum est, executionem in ipsa Clerici persona fieri non posse, exceptis casibus, quos suprà enarravi *à n.* 313. Receptum non minùs & certum est, eam fieri non posse in bonis merè Ecclesiasticis, seu ad ipsam Ecclesiam & Beneficium pertinentibus: nisi hæc aliunde sint obnoxia Magistratui laico, nimirum ratione reservatæ jurisdictionis. Igitur quæstio solùm est de bonis patrimonialibus Clericorum. Non posse eam etiam in his bonis fieri, sed compulsionem & executionem ad Judicem Ecclesiasticum pertinere, cum comuni DD. tradunt Vincent. de Franchis *decis.*

*decis. 193. n. 16.* Auguſt. Barboſa *l. c. n. 156.* Bonacina *de Legib. diſp. 10. q. 2. pun. 1. §. 4. n. 5.* Vivian. *Lib. 1. deciſ. 49. n. 6.* Ant. Genuenſ. *Pract. Archiep. Neapol c. 12.* Borell. *tom. 1. tit. 7. de Cleric. n. 83.* Ratio eſt: quia bona etiam patrimonialia Clericorum ſunt acceſſoria ad perſonam, præſertim ubi agitur de foro & jurisdictione, uti cum Panorm. aliorúmque communiſſima tradit Sperelli *deciſ. 12. n. 35.* addens *n. 36.* hanc eſſe veram, indubitabilem ac practicatam opinionem, ac fusè probant Suar. *L. 4. Defenſ. Fid. c. 16. n. 12. & c. 24. n. 11.* Laym. *L. 4. Theol. Mor. tr. 9. c. 6. n. 9.* Aug. Barboſa *in C. 4. de Immun. Eccleſ.* & *L. 1. Jur. Eccleſ. c. 39. §. 5.* Delbene *de Immun. Eccleſ. c. 5. dub. 2. & 13. c. 9. dub. 34. & 35.* Refragantur & executionem in bonis patrimonialibus fieri poſſe aſſerunt Petr. Barboſa *in L. Qui prior 29. ff. de Judic. n. 99.* Menoch. *conſil. 1000. n. 78.* & Oliva *de Foro Eccleſ. p. 2. q. 6. n. 3.* malè allegantes Felinum, Baldum, Decianum.

611. Rationem dat Oliva *l. c. n. 4.* quia bona patrimonialia Clericorum ex nullo capite ſunt exempta, niſi quia Clericorum ſunt, & ſic ratione perſonæ: ergo ſi ipſa perſona Clerici non eſt exempta, ſed reſpondere cogitur coram Judice laico, nec ipſa ſunt exempta. Unde *n. 5.* ait: *non obſtat argumentum de perſona ad res pro contraria* (opinione) *adductum: retorquetur enim in contrarium, quia ſicut perſona Clerici non gaudet privilegio fori, ſic etiam ejus bona temporalia gaudere non debent.* Verùm hinc ſolùm ſequitur, quòd ſicut in dictis caſibus laicus Judex ſententiam ferre poteſt in Clericos, ita illa ſe extendat ad ipſorum bona; non verò, quòd in illis executionem facere poſſit. Unde ex communi doctrina modò traditâ invertitur argumentum & ſic retorquetur: eo modo bona Clericorum ſunt exempta, quo modo ipſa Clericorum perſona; ergo cùm in hac à Judice laico executio fieri non poſſit, nec poterit in illis.

612. Neque obſtat, quod cum Ant. Butr. Imol. Panorm. ac aliis ait Felin. *in C. 10. de Conſtitut. n. 8.* bona Clericorum non gaudere

dere privilegio Ecclesiarum, nisi ubi id est expressum vel ubi omnimoda utrimque pugnat ratio. Hîc enim pugnat omnimoda ratio: quia quoad forum & jurisdictionem potiùs consideratur persona quàm bona, uti advertunt Panorm. *lect. 2. in cit. C. 10. n. 3. in fin.* Dec. *ibid. n. 18. & n. 66.* Cardin. *in Clem. 2. de Censib. notab. 2.* aliíque, quos referunt Surd. *consil. 361. n. 65.* ac Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 49. n. 3. & 4.* ac benè explicat Suar. *cit. c. 16. n. 12.* quia lex, Statutum, vel sententia disponens circa bona non potest nisi per aliquam personam observari, quæ lege vel sententiâ obligetur; nec quisquam habet jurisdictionem in bona, nisi etiam habeat in personam, cujus illæ res sunt. Cùm ergo secularis Magistratus non habeat jurisdictionem in personam Clerici, nec habere potest in ejus bona, quæ adhærent tanquam accessorium principali. Sicut igitur exequi sententiam non potest in persona Clerici, ita nec in ejus bonis. Accedit, quòd expressum est in Jure, bona Clericorum etiam patrimonialia esse exempta à Jurisdictione laicorum, cùm textus *C. Non minùs 4 & C. Adversùs 7. de Immun. Eccles. C. Quanquam 4. de Censib. in 6.* de bonis Clericorum indistinctè loquantur. Súntque hæc Jura renovata & additâ in contravenientes excommunicatione confirmata in Bulla Cœnæ *clausula 18.* uti post alios notant Toletus *in Summa lib. 1. c. 30. n. 5.* Suar. *de Censur. disp. 21. sect. 2. n. 100.* & *disp. 23. sect. 3. n. 2.* Molina *tr. 2. de Just. disp. 970. n. 3.* Alijs privilegijs, pro quibus nec eadem Jura nec ratio stant, quæ stant pro Ecclesijs & ipsis Clericorum personis, fatemur, non gaudere eorum bona patrimonialia. Hinc uti cum Panorm. ac alijs Felin. *l. c. à n. 9.* tradit, & suprà positam regulam explicat, possunt ista bona præscribi sicut laicorum; nec competit quoad ea restitutio in integrum; possúntque vendi, si Clericus ex illis debitum canonem aut pensionem non solvat; debentur ex ijsdem decimæ; possunt auctoritate propria alienari (nisi ad ea ordinatus fuerit Clericus) nec non compromissum & transactio super ijsdem fieri &c. Quæ omnia non procedunt in bonis merè Ecclesiasticis, seu ad Ecclesiam pertinentibus.

PARS

# PARS V.

# De Causis ad certum Forum pertinentibus.

## CAPUT I.

## De Causis pertinentibus ad Forum Ecclesiasticum.

### §. I.

### *Quæ Causæ ad Forum Ecclesiæ privativè pertineant.*

SUMMARIUM.

613. *Causæ Ecclesiasticæ aliæ sunt Sacræ, aliæ Temporales, Mixtæ aliæ.*
614. *Causarum Sacrarum Judex competens est solus Ecclesiasticus. Causæ sacræ sunt quæstiones de Fide, Sacramentis, Voto &c.*
615. *Item Matrimoniales.*
616. *Cognoscere tamen Judex laicus potest, an quis horum parentum sit filius.*
617. *Cogere potest ad implenda Sponsalia.*
618. *Et ad standum matrimonii legibus.*
619. *Punire potest eos, qui clandestinè contraxerunt.*
620. *Nec non adulteros.*
621. *Solus judicat super dote & alimentis, si de his principaliter agitur.*
622. *Validè statuit solemnitates extrinsecas matrimonio.*
623. *De matrimonijs Infidelium solus judicat.*
624. *Infidelibus statuit impedimenta matrimonij tam dirimentia quàm impedientia.*

625. *Causa Hæresis & Simoniæ privativè pertinet ad forum Ecclesiasticum.*

626. *Uti etiam causæ contra Clericos motæ, quamvis temporales.*

627. *Jurisdictio Sacra non competit Acatholicis.*

613. Causarum, quæ in judicium deducuntur, aliæ sunt Ecclesiasticæ, aliæ Temporales seu Seculares, aliæ Mixtæ. *Can. 2. 4. q. 1. C. super eo de Offic. Deleg. C. cùm sit junct. Glossa fin. de Foro Compet.* Ecclesiasticæ dividuntur in Ecclesiasticas Sacras & Spirituales, quas aliqui D D. dicunt Meras Ecclesiasticas. Tales sunt, quæ ex objecto suo sacræ sunt, seu quæ versantur circa rem sacram & spiritualem. Et in Ecclesiasticas non meras, quæ habent objectum de se quidem profanum & temporale, ratione tamen personæ Ecclesiasticæ, contra quam proponuntur, alióve ex capite ad cognitionem Judicis sacri pertinent. Ut si conveniendus sit Clericus super fundo, equo &c. Causæ Temporales seu profanæ sunt, quæ ad sui cognitionem jurisdictionem sacram non requirunt, quòd nec ratione ipsius rei, super qua, nec ratione personarum, contra quas moventur, quidquam sacrum & spirituale continent, ac idcirco ad Judices laicos pertinent. *Can. quoniam dist. 10. Can. cùm ad verum dist. 93. C. Novit. de Judic.* Mixtæ denique sunt, quæ ad utrumque Forum, Ecclesiasticum nimirum & seculare, cum jure præventionis pertinent, eò quòd ipsarum objectum de se temporale quidem est, ratione tamen Constitutionum, quæ circa eas Jure tam Sacro, quàm Civili editæ sunt, utrique Foro sunt subjectæ: vel circa objectum quidem spirituale versantur, ad cognitionem tamen etiam Judicis Laici alio ex capite pertinent, ut patebit ex dicendis.

614. His præsuppositis, quæ à multis parùm distinctè, & explicatè traduntur: certum est primò, & in confesso non tantùm apud omnes Catholicos, sed & Heterodoxos (ut videre est apud Zanger. *c. 1. p. 2. de Exception. n. 421.* Thom. Michaël *de Jurisdict. thesi 39.* ac passim alios) causas merè Ecclesiasticas, seu sacras, ad solius Judicis Ecclesiastici cognitionem pertinere, nec ullam in ijs

ijs potestatem & jurisdictionem Laicis competere, ut patet ex *C. 2. 3. & 17. de Judic. C. 3. de Ordine Cognit.* ac alijs plurimis Canonibus, quos enumerare nimis prolixum foret. Hujusmodi causæ sunt, quæ pertinent ad Fidem, Sacramenta, & Sacramentalia, absolutionem à Votis & Juramentis, Beneficia Ecclesiastica, ac eorum Electionem, Postulationem, Collationem &c. institutionem & observationem Festorum ac Jejuniorum, Sacrificium, Ritus Sacros, Irregularitates, Censuras, aliásque pœnas merè Ecclesiasticas. Quod verum est, tametsi non sint de re ex natura sua & immediatè sacrâ, sed spiritualibus solùm connexâ, uti sunt Reditus Beneficiales, Jus Patronatûs, & Decimæ. De harum competente foro fusè ago *p. 5. Tractatûs de Jure Decimarum à n. 572.* Unde supervacaneum judico hîc aliquid de ijs addere.

615. Huc quoque pertinent causæ Matrimoniales. Has enim solùm à Judice sacro decidendas esse, patet ex *Can. 10. 35. q. 6. C 12. de Excessib. Prælat. C. Tuæ 5. §. si verò de Procurator. C. 1. de Consang. & Affin.* Unde si quæstio vertatur, an matrimonium sit validum, an divortium seu separatio à thoro facienda sit propter Adulterium, Sævitiam, Lepram &c. an Sponsalia de futuro sint legitimè & validè inita, an dissolvenda sint &c. tractari causa debet à Judice tantùm Sacro. *cit. C. Tuæ 5.* Idque verum est non solùm, quando directè agitur de causa matrimoniali; sed etiam, quando solùm incidenter, ut si ratione hæreditariæ successionis incidat quæstio, an matrimonium, ex quo natus est hæres, fuerit legitimum. *C. 3. de Ordin. Cognit. C. 5. qui filij sint legit.* Quam ob rem Camera Imperialis in hisce causis processus non decernit, nec appellationes recipit juxta Ordin. Cam. *p. 1. tit. 9. in addit. V.* Wann auch der Käyser / & Memoriale de anno 1570. quo Assessoribus injunctum fuit, daß sie sich der Matrimonial-Sachen entschlagen sollen. Gail. *L. 1. obser. 112. n. 17.* Thom. Michaël. *cit. thesi 39.* Et quamvis nonnulli asserant, causam Matrimonij tunc solùm ad Judicem sacrum privativè pertinere, quando agitatur inter ipsos conjuges: secùs, si inter unum conjugem & ejus filium,

vel inter filium & extraneum. Hæc tamen limitatio à communi DD. meritò exploditur, utpote omni fundamento destituta.

616. Aliquid tamen circa Matrimonium posse Judicis secularis jurisdictionem fatendum est. Nam I. cognoscere & decidere potest, si dubitatur, an v. g. Titius sit horum parentum filius, aut an genitus sit ex fornicatione, vel à parentibus, inter quos matrimonium esset existimabatur: quia in his casibus non est quæstio de ipso matrimonio, quæ si foret, decidenda esset, à solo Judice sacro, ut dicam infrà *à n. 679.* maximè si constaret, genitum à conjugatis, illegitimus tamen diceretur; sic enim dubitaretur de valore matrimonij, quam quæstionem privativè pertinere ad forum Ecclesiæ, in confesso est apud omnes.

617. II. Si agatur tantùm de Sponsalibus implendis, de quorum valore aliunde constat, compellere ad contrahendum matrimonium potest etiam Judex secularis, sicut cogere potest ad alios contractus implendos. Panorm. *in C. Ex literis 10. de Sponsal. n. 4.* Felin. *in C. 2. eod. n. 28.* Rosella *v. Sponsalia n. 3.* Brunell. *de Sponsal. concluf. 16. n. 6.* Sanch. *Lib. 1. de Sponsal. disp. 29. n. 9.* Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 37. n. 4.* Dixi: si aliunde constet de eorum valore. Nam si hic trahatur in dubium, id decidere solus Judex Eccles. poterit: quia Sponsalia de futuro, uti sequuntur naturam Sponsalium de præsenti, ita & forum, ut ex ex *L. Oratio 16. ff. de Sponsal.* & *Clement. Dispendiosam de Judic.* tradit communis Interpretum sententia, praxi Tribunalium firmata. Rarò tamen aut nunquam pro implendo Sponsalium contractu aditur Judex laicus: quia ferè nunquam continget, partem, quæ vult resilire, non allegare aliquam causam resiliendi. Quod si sit, cognitio jam non ad Judicem laicum, sed ad solum Ecclesiasticum pertinet.

618. III. Si aliunde constat, duos esse veros conjuges, & unus alterum spoliavit, videlicet divertendo, séque separando, aut cum ipso quidem maneat, nolit tamen conjugaliter cohabitare, poterit spoliatus etiam à Judice laico restitui, ac spolians ad cohabitandum

tandum compelli. Glossa *in C. Non est de Sponsal. v. Uxores, & ibid.* Panorm. *n. 6.* Præpositi. *n. 9.* Anton. *in C. Illud de Præsumpt. n. 10.* Panorm. *in C. Ex publico de Conversi. coniug. n. 3.* Covar. *de Matrim. p. 2. c. 7. n. 3.* Bursat. *vol. 1. consil. 207. in fin.* ac alij communiter. Si tamen pars spolians aliquid opponeret vel contra valorem matrimonij, vel jus prætenderet se separandi, ad Judicem Eccles. remittenda foret. Quia verò spoliantes ordinariè prætendunt aliquam causam divertendi, idcirco coactio Judicis laici rarò locum habet.

619. IV. Potest Judex etiam laicus punire eos, qui matrimonium clandestinè, & per consequens invalidè contraxerunt, si constat, clandestinè contractum fuisse. Gutier. *L. 2. Pract. q. 2. n. 2.* Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 54. n. 4.* cum Azebedo ac alijs contra Alex. de Nevo, Franc. ac alios. Quin contra Covarruv. *l. c. c. 8. §. fin. n. 3.* Bolong. *in L. 2. ff. de Jurisd. omn. Jud. à n. 42.* ac alios tradunt Sanch. *l. c.* & Petr. Barbosa *in L. Titia ff. Solut. matr. n. 36.* posse secularem Judicem etiam cognoscere, utrùm matrimonium clandestinè fuerit initum, an non. Rationem dant: quia hæc quæstio est solùm facti & non Juris. Verùm hæc ratio non sufficit, ut patebit ex dicendis.

620. V. Si agitur de adulterio ad pœnam sanguinis infligendam, Judex competens est solus secularis. Anton. *in C. Cùm sit de Foro comp. n. 16. & in C. Tuæ de Procurat. n. 2.* ac *ibid.* Panorm. *n. 6.* Imola *n. 10.* Ratio patet: quia Ecclesiastico Judici interdictum est hanc pœnam inferre *C. sententiam. Ne Cler. vel Monachi.* Si agitur de alijs pœnis, utriusque est cognoscere cum jure præventionis. Panor. *cit. n. 6.* Covarr. *l. c. c. 7. §. 7. n. 20.* Jul. Clar. *L. 5. Sent. §. fin. q. 37. n. 3.* Germon. *L. 3. de Sacr. immun. c. 12. n. 58.* Petr. Barbosa *in L. 2. ff. Solut. matrim. p. 1. n. 139.* Ratio est: quia adulterium, ut infrà dicetur, est crimen mixti fori. Cúmque sit quædam Sacramenti injuria, non minùs ad Judicem Ecclesiasticum pertinet illud punire, quàm ad Secularem. Accedit, quòd *L. Quamvis 30. C. ad L. Jul. de Adult.* adulteri appellantur sacrilegi:

crilegi: at Sacrilegium est mixti fori. *C. Cùm sit de Foro comp.* Quando verò de adulterio agitur, ut ratione illius divortium celebretur, solus Ecclesiasticus Judex competens est. *C. Tuæ de Procurat. C. 1. Ut lite non contest.* S. Thom. *in 4. dist. 35. q. un. art. 3. ad 5.* ac alij, quos longo ordine referunt Barbosa *l. c. n.* 140. & Sanch. *de Matr. lib.* 10. *disp. 8. n. 15.* ubi rejicit Decium, qui *consil. 212. n. 2.* tenet, causam esse mixti fori, si simul agatur de divortio & amissione dotis.

621. VI. Quando principaliter de dote vel alimentis agitur, solus Judex laicus est competens juxta Bald. Felin. Lup. Jason. Socin. Præpositum, ac alios, quos referunt & sequuntur Sanch. *l. c.* & Barbosa *in L. 1. p. 1. ff. Solut. matr. à n. 46.* ubi ad argumenta Innoc. Panorm. ac aliorum, qui tenent, hanc causam esse mixti fori, fusè respondet. Si tamen quæstio incidat super divortio, v. g. viro negante, se dotem aut alimenta uxori debere, utpote adulteræ, laicus Judex supersedere causâ debet, donec Ecclesiasticus divortij quæstionem dirimat. *C. Tuam de Ord. cognit. C. Si Judex in fin. de Sent. Excomm. in 6.* Quando verò causa divortij agitur coram Judice Eccles. quæstio alimentorum & dotis amittendæ tanquam accessoriæ ad ipsum pariter pertinent. *C. De prudentia de Donat. int. vir. & uxor.*

622. VII. Possunt tam Statutis laicorum quàm consuetudine aliqua validè induci circa matrimonij extrinsecas solemnitates, ceremonias in convivijs, pompam nuptialem, sumptus, dotem, hæreditates &c. ut fusè exponit Fulv. Pacian. *L. 2. de Probat. c. 3. à n. 56.* dummodo super ipso matrimonio nihil statuatur.

623. VIII. Si Infideles, seu non baptizati, ut Judæi, Saraceni, Idololatræ, Principibus Christianis subjecti sint, ac ipsorum matrimonijs aliquod impedimentum objiciatur, aut contendant suum matrimonium esse nullum, vel divortium petant, v. g. ratione adulterij &c. solus Judex secularis est competens, ut benè observat Sanch. *L. 7. de Matr. disp. 3. n. 9.* Ratio patet: quia Infideles non sunt subditi Ecclesiæ, & contractus ipsorum sponsalitius

tius est merè civilis & temporalis.. Si tamen alteruter fidem Christianam amplexus fuerit, infidelis contra fidelem agens adire debet Judicem Ecclesiasticum: quia actor sequitur forum rei. Idem tenendum videtur cum Sanch. *l. c.* quando quidam tertius matrimonium accusat, seu nullum esse dicit: quia dignius ad se trahit minùs dignum. *Can. Non æstimemus 13. q. 2.* & *L. Quæ religiosis ff. de R. V.* Constat autem matrimonium esse dignius ex parte conjugis fidelis, cùm quiddam spirituale habeat, ut ait idem Sanchez, quamvis non sit Sacramentum, si tantùm alteruter conjux est fidelis, ut contra Joan. Eckium & Sotum tradit communis DD.

624. IX. Princeps infidelis subditis suis infidelibus leges ferre potest, quibus quædam matrimonia ex justa causa interdicat aut dirimat, uti cum S. Thoma *in 4. dist. 39. q. un. art. 2. ad 3.* tradit communis DD. Ex quo consequens est, quod advertunt Sotus, Angles, Saà, ac alij apud Sanch. *l. c. n. 5.* quòd conjuges infideles, qui cum impedimento juxta ipsorum leges dirimente contraxerunt, debeant post suam ad fidem conversionem matrimonium rursus celebrare, si in illo persistere velint. Quod verò modò dictum est de Principe infideli, tenendum pariter est de Principe fideli respectu suorum subditorum infidelium, ut tradunt, Abulensis *in L. 1. Reg. c. 8. q. 177.* Ledesma *p. 4. q. 61. art. 2. col. 3.* Sanch. *l. c. n. 8.* quia respectu infidelium non est major ratio de Principe infideli quàm de fideli. Neque reservatio, quâ, ut mox dicetur, Ecclesia sibi reservavit potestatem statuendi impedimenta matrimonij, procedit de matrimonio infidelium, utpote quod non est Sacramentum. An verò Princeps Christianus fidelis possit statuere impedimenta matrimonij vel dirimentia vel impedientia respectu subditorum fidelium, v. g. ut sponsalia de futuro clandestina sint irrita, controvertitur inter DD. Posse per se & ex natura suæ potestatis contra S. Thomam, S. Bonavent. aliósque quamplures quà Theologos quà Canonistas, asserunt Ruard. Tapperus, uterque Sotus, uterque Ledesma, Angles, Bellarm. ac alij, quos

quos sequitur Sanchez *l. c. n. 2.* Addunt tamen, id hodie non esse integrum Principibus Christianis, eò quòd Ecclesia sibi hanc potestatem reservârit. Quod verum esse patet ex *C. Tuam de Ord. cognit. C. Accedentibus de Excess. Prælat. C. fin. de Raptor. Can. Euphemium 2. q. 3. Can. Multorum 35. q. 6.* Potuisse hoc fieri benéque factum esse, constat ex eo, quòd in Nova Lege matrimonij contractus limites naturæ transcendit, & ad esse supernaturale Sacramenti elevatus est, ut adeò non deceat, aliquid de tanto Sacramento à seculari Potestate disponi.

625. Certum est secundò, ad Forum Eccles. privativè pertinere crimina Hæresis, *C. ad abolendam*, & *C. Excommunicamus de Hæret. C. ut inquisitionis §. prohibemus eod. in 6.* Et Simoniæ, & quæ suspicionem de illis faciunt. Glossa *in C. Cum sit de Foro. comp.* quam communiter sequuntur DD. teste Anan. *rub. de Simonia n. 9.* & suffragatur praxis. Quia hæc duo crimina Rei solùm sacræ, videlicet Fidei & Religioni, adversantur. Decian. *L. 5. Pract. crim. c. 25. & seqq.* Farinac. *L. 1. pract. crim. tit. 1. q. 8. n. 127. & seq.* Et quidem in prædictis causis spiritualibus non tantùm Clerici, sed laici quoque omnes, qui per Baptismi januam Ecclesiam ingressi sunt, judicio Ecclesiæ subsunt, quacunque dignitate emineant, ut constat ex cit. Juribus, & tradunt omnes Catholici.

626. Certum pariter est tertiò, causas etiam temporales & civiles, quæ inter Clericos vel contra Clericum agitantur, ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere, ut constat ex dictis suprà *p. 3. c. 1. à n. 222.* exceptis causis, quas excipiendas dixi *n. 288. & seqq. n. 308. & seqq. & à n. 313.*

627. Illud porrò vanum & falsum est, quod asserunt Matth. Stephan. *L. 3. de Jurisdict. p. 1. c. 15. n. 6.* Leipoldus *de Concurrent. Jurisdict. q. 20.* ac alij Lutherani DD. Principibus Germaniæ aliisque Statibus Imperij Augustanæ Confessioni addictis ex Transactione Passavienſi competere Jura Episcopalia, ac consequenter jurisdictionem Ecclesiasticam. Nam jurisdictio Episcoporum

porum solùm suspensa fuit in Confessionistas, non verò ijsdem aliqua potestas Ecclesiastica & sacra attributa, utpote quam non à seculari Magistratu, sed solùm ab Episcopis, ac per hos à SS. Pontifice in Ecclesiæ Ministros descendere ex Ecclesiastico cùm Jure tum traditione notissimum est. Imò vi Pacis Religiosæ jurisdictio Episcoporum quoad Confessionistas, qui in ipsorum diœcesi sunt, suspensa non fuit in omnibus causis Ecclesiasticis; sed ijs tantùm, quæ ad Confessionis Augustanæ Fidem & exercitia spectant. Hinc Episcopus, non secularis Magistratus, est legitimus Judex causarum Ecclesiasticarum de Matrimonio, jure Divortij, Patronatûs, de commissa Simonia &c. in terris suæ diœcesis, tametsi eæ Statibus Augustanæ Confessionis subjectæ sint, ut pridem demonstrârunt Catholici quidam DD. *in Compositione Pacis Dilingæ editâ c. 6.* Dixi *vi Pacis Religiosæ:* nam aliud dicendum videtur vi Instrumenti Pacis Osnabrugensis, ubi *art. 5. n. 15.* Jus diœcesanum & tota jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Confessionis Augustanæ Status eorúmque subditos suspensa est: non item contra Anabaptistas &c. Pariter commentum est & ab omni veritate alienum, quod tradunt Friderus Mindan. *de Processib. Camer. Imper. lib. 1. c. 31. n. 9.* & Bocerus *de Jurisdict. c. 8. n. 81.* à Ferdinando I. Imperatore Liberis Imperij Civitatibus potestatem datam esse mutandi Religionem & ad Confessionem Augustanam accedendi. Hoc enim indultum confictum fuisse à Protestantibus clarè demonstrant ijdem Catholici DD. *cit. c. 6. q. 34. per tot.*

## §. II.

### *Utrùm in dubio, an causa sit Ecclesiastica, cognitio pertineat ad solum Judicem Ecclesiasticum.*

SUMMARIUM.

628. *Dubium, utrùm reus sit Clericus, decidere potest solus Judex Ecclesiasticus.*
629. *Non tamen ad nudam Rei assertionem Clericum se esse dicentis, tenetur Judex laicus ipsum remittere ad Ecclesiasticum.*
630. *Pariter solus Judex Ecclesiasticus cognoscit in dubio, utrùm Clericus gaudeat Fori privilegio.*
631. *Et utrùm decimæ sint secularizatæ, an non.*
632. *Nec non, utrùm aliqua consuetudo inducta contra Clericos, sit rationabilis.*
633. *Et, utrùm res aliqua sit Deo sacrata.*
634. *Item, utrùm quispiam sit Religiosus.*
635. *Decidit quoque dubium, utrùm Clericus sit Vasallus.*
636. *Antequam ipse tulerit sententiam criminis declaratoriam, non potest Judex secularis procedere contra Clericos etiam in criminibus, ob quæ ipso jure incurritur privatio privilegij Clericalis.*
637. *Judex laicus non est competens quoad causas sacras etiam solum incidentes.*
638. *Quæ assertio diversis modis ampliatur.*

628. Quæstio ista locum maximè habet, quando delinquens à laico captus se Clericum esse, nec à seculari potestate detineri & judicari posse, asserit. Cognitionem tunc pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, statuitur *C. Si Judex 12. de Sent. Excom. in 6.* Quam decisionem esse celebrem, multúmque à Baldo ac alijs DD. commendari, & semper præ oculis habendam, asserit Covarr. *Practic. qq. c. 33. prin.* Ratio datur *c. C. 12.* quòd tunc de re Ecclesiastica, & spirituali, id est, de Ordine agatur. Aliam subjungit Covarr. *l. c. n. 1.* post Anton. de Butr. Felin. Dec. ac Jason. quòd Judex Ecclesiasticus propter majorem auctoritatem cognoscat, an sua sit jurisdictio. Videantur ea, quæ dixi suprà *n. 25 f.*

629.

629. Quamvis autem in hujusmodi casu cognitionem causæ assumere sibi non possit Judex laicus, sed expectare teneatur decisionem Judicis Sacri: non tamen illicò remittere ad illum tenetur Reum, antequam aliquam informationem de Clericatu Rei habeat per litteras ordinationis vel aliunde, ut cum Baldo, ac alijs tradunt Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 31. n. 2.* Menoch. *consil. 912. n. 14.* Petr. Barbosa *in L. Titia ff solut. matrim. n. 29.* Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 26. n. 25.* Et quidem Covarr. *l. c. n. 3.* cum Baldo, Alberic. ac alijs, existimat, ad obligationem remittendi non sufficere testimonium unius de Rei Clericatu deponentis.

630. Ex dictis infertur primò, & quidem à fortiori, quòd si Reus est Clericus & de Clericatu non dubitatur, sed solùm, an habeat qualitates ad privilegium Fori requisitas, vel, an causa sit talis, super qua Clerici coram Judice laico possunt conveniri: quòd, inquam, in tali casu non possit Judex secularis pronuntiare, utrùm sua sit jurisdictio, sed remittere causam teneatur ad Judicem Ecclesiasticum, ejúsque decisionem expectare. Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 4. n. 5.* Petr. Barbosa *in L. si quis ex aliena ff. de Judic. n. 101.* Oliva *l. c. n. 51.* cum communi DD. Hinc pronuntiatio Judicis secularis, quâ judicat Clericum in suo foro conveniendum, nullius est momenti. Panorm. in *c. si diligenti de Foro comp. n. 33.* Dec. *in c. si duobus de Appellat.* Barbosa *l. c. n. 102.* cùm pronuntiatio Judicis inferioris non possit præjudicare superiori.

631. Infertur secundò, Judicis Ecclesiastici esse decidere, utrùm Decimæ, quæ sunt penes laicos, sint solùm in feudum concessæ, an verò à titulo spirituali avulsæ & secularizatæ. Nam Decimarum causa de se Ecclesiastica est, earúmque jus tamdiu præsumitur esse penes Ecclesiam, quamdiu contrarium non probatur. Imò à secularibus nomine Ecclesiæ fructus tantùm percipiuntur, jure ipso primario & radicali semper manente penes Ecclesiam. Unde vi Juris cõmunis cognitio de ijsdem semper pertinet

ad Judicem Ecclesiasticum. De quo fusè ago in Tractatu Canonico de Jure Decimarum (qui sub prælo jam est) *n. 590. 593. 594. & 598.* ac idcirco plura hìc addere supervacaneum duco.

632. Infertur tertiò, in dubio, utrùm v. g. consuetudo conveniendi Clericum actione reali de bonis temporalibus sit rationabilis & toleranda, decisionem pertinere ad SS. Pontificem. Cùm enim Clerici non sint subjecti seculari potestati, huícque immunitati derogare per se non possint vel statuta secularium Principum vel consuetudo, ut dixi suprà *n. 230.* ejusdémque immunitatis causæ sint Fori Ecclesiastici, consequens est, de ea cognoscere solùm ad Tribunal sacrum pertinere.

633. Infertur quartò, si dubium est, utrùm res aliqua, v.g. calix sit Deo dicatus aut consecratus, & consequenter, an ejus furtum sit sacrilegum, an res sit sub jurisdictione solùm Ecclesiastica, id decidendum esse à Judice Sacro. Tametsi enim etiam laicus punire possit sacrilegium, ut infrà dicetur, & consequenter cognoscere, utrùm fur rapuerit rem aliquam sacram aut merè profanam: si tamen controvertitur, utrùm res consecratione sit affecta, de eo cognoscet solus Judex Eccles. Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 145. n. 8. & 9.* Castr. *de Manu regia p. 2. c. 27. n. 10.* Oliva *l. c. n. 22.*

634. Infertur quintò, dubium, an quis sit Religiosus, decidendum esse à solo Judice sacro, æquè ac dubium de Clericatu. Franc. *in cit. C. si Judex laicus n. 6.* Dominic. *ibid. n. 6.* éstque de mente omnium, ut ait Oliva *l. c. n. 46.* Patet ratio: quia Regulares utriusque sexûs, ac etiam Novitij, æquiparantur Clericis, gaudéntque privilegio fori & canonis. *Can. Duo sunt 12. q. 1. C. Non dubium*, & *C. Ex tenore de Sent. Excomm.* dixíque suprà *à n. 252.*

635. Infertur sextò, si Clericus vel Ecclesia ratione feudi conveniatur coram feudi Domino vel Paribus Curiæ, negétque rem feudalem séque vasallum esse, de hoc dubio & qualitate cognoscere esse solius Judicis Eccles. Panor. *n.* 13. Felin. *n.* 12. Dec. *n. 18.*

*n. 18.* aliíque Interpp. *in C. Cæterùm de Judic.* Jul. Clar. *§. Feudum q. 90.* Boss. *tit. de Foro comp. n.* 177. Menoch. *remed.* 3. *retin. possess. n.* 442. Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 98. n. 26. & casu 145. n. 6.* Ratio est: quia feudi Dominus & Pares Curiæ non non sunt competentes Judices, si reus vasallum se esse negat, sed adeundus tunc est Judex Ordinarius, ut dixi suprà *n. 297.* Judex autem Ordinarius Clerici est Ecclesiasticus.

636 Infertur septimò, si Clericus crimen commiserit, ob quod ipso jure amittit privilegium fori, nihilominus non posse contra ipsum procedi à Judice seculari, antequam sententia criminis declaratoria fuerit lata à Judice Eccles. cùm generalis sit regula, quòd in pœnis ipso jure contractis executio non fiat, nisi priùs latâ sententiâ declaratoriâ: exceptis paucis casibus, videl. Censurarum, Irregularitatis, Impedimenti criminis, Absolutionis à peccatis & censuris reservatæ, Privationis fructuum ob non recitatas horas Canonicas aut neglectam residentiam, & Privationis debiti conjugalis ob incestum. Cùm igitur hæc declaratio à solo Judice sacro fieri possit, ut cum communi DD. observat Marta *de Jurisdict. p. 4 casu 129. n. 17.* ac Judex laicus etiam in dubio, utrùm reus sit Clericus vel Religiosus, procedere non possit, multò minùs procedere poterit ante dictam declarationem, si constat ipsum esse Clericum.

637. Infertur octavò, Judicem laicum non esse competentem quoad causas Ecclesiasticas, tametsi principaliter coram ipso non moveantur, sed solùm incidant, v. g. si lite contra laicum motâ super hæreditate, dubium incidat, an actor petens hæreditatem sit ex legitimo & valido matrimonio natus. Ratio illationis patet ex modò dictis: quia si neque in dubio, utrùm causa sit Ecclesiastica, procedere potest Judex laicus; multò minùs poterit, si constat, eam ex natura sua esse Ecclesiasticam, tametsi in causa profana principali solùm incidat. Porrò seclusâ etiam hac ratione certum est ex *C. Tuam 3. de Ord. cognit. C.* & *Causam 7. Qui filij sint legit.* non posse Judicem laicum cognoscere de causa Ecclesiastica

etiam solùm incidenter. Unde apertè falluntur Menoch. *remed. 3. retin. possess. n.* 331. aliíque nonnulli, qui tenent contrarium. Nec immeritò eorum opinionem temerariam appellat Oliva *de Foro Eccles. p.* 1. *q.* 8. *n.* 8. ubi pariter falsum esse ostendit, quod ajunt, suam opinionem esse communem, cùm ij, quos adducunt, loquantur de quæstione facti, non juris. Illud porro captu difficile est, quod nonnulli asserunt, posse Judicem laicum de causa Ecclesiast. incidente cognoscere, si notoria est, v. g. per confessionem partis. Si enim notoria est, cognitione & decisione opus non habet, sed illâ suppositâ, velut jam jacto fundamento & obice remoto, poterit laicus Judex in causa principali profana procedere, haud secùs, quàm si illa incidens à Judice sacro per sententiam fuisset decisa.

638. Ex modò dictis rursus consequens est, de causa Ecclesiastica etiam solùm incidente non posse cognoscere laicum Judicem, tametsi solùm summariè in ea procedendum sit. Joan. Andr. ac Roman. quos refert ac sequitur Decius *in C. 2. de Judic. n. 24.* ac aliorum communis: quia Jura & ratio æquè procedunt de processu Summario, quàm de Ordinario. Neque cognoscere de spirituali poterit, tametsi incidat in civilem ipsi ab Episcopo commissam. Dec. *l. c.* Covarr. *p. 2. de Matrim. c. 8. n.* 4. asserens esse communem. Ac idcirco eam remittere tenetur ad Judicem Eccles. non tantùm, si pars opponat, sed etiam ultrò & ex officio. Geminian. *in C. Si quis de Except. in 6. n.* 10. Panorm. *in C. Pastoralis eod. n.* 12. Paul. Castr. *vol. 1. consil.* 12. Barbosa *in L. Titia ff. Solut. matr. n. 38.* Ratio est: quia partes nec expresso nec tacito consensu jurisdictionem prorogare ipsi possunt; non tantùm si causa est purè spiritualis, sed etiam si mixta, ut constat ex dictis *n. 450.* Tenetúrque interim, dum causa Spiritualis à Judice sacro ventilatur & deciditur, profanâ principali supersedere. Communis Interpp. *in C. Tuam de Ord. cognit.* Paul. Castr. *in L. Omni 6. C. de SS. Eccles. n.* 1. Alex. *lib. 4. consil. 9. col.* 1. Covarr. *Pract. qq. c.* 33. *n.* 3. Tenetur quoque stare judicatis in illo articulo

lo per Judicem Eccles. cùm in spiritualibus nulla cognitio, sed sola executio, ipsi remaneat. cit. DD. & Panorm. ac alij *in C. ad abolendam de Hæretic.* Videantur ea, quæ dixi suprà *n. 574.*

## §. III.

## *Utrùm Causæ Ecclesiasticæ Judici Seculari committi possint.*

### SUMMARIUM.

639. *Notatur ad rem præsentem discrimen inter varias causas Ecclesiasticas.*
640. *SS. Pontifex jus aliquod & jurisdictionem spiritualem concedere laicis potest.*
641. *Sed duntaxat nomine Ecclesiæ exercendam.*
642. *Non potest ipsis committere omnes causas Clericorum.*
643. *Potest verò causas particulares.*
644. *Prælati SS. Pontifice inferiores nequeunt laicis committere causas spirituales.*
645. *Aut criminales Clericorum.*
646. *Respondetur ad Jura opposita.*
647. *Possunt tamen ijsdem committere causas civiles Clericorum.*
648. *At solùm in particularibus & certis causis, ac non contradicente parte.*
649. *Nomine Prælati hìc venit etiam Prælatus Regularis exemptus.*
650. *Possunt Prælati Clericos gravium criminum reos torquere per ministros laicos.*
651. *Laicus constitui potest administrator rerum temporalium Ecclesiæ.*
652. *Et esse Consiliarius ac Assessor Episcopi. Nec non in causis Ecclesiasticis Notarius, Procurator, & Arbiter.*
653. *Committi executio contra Clericos quandoque potest laicis.*

639. Non adeò Causæ Ecclesiasticæ Foro sacro alligatæ sunt, quin

quin ad tribunal Judicis secularis cum consensu Ecclesiastici devolvi queant. Quod antequam monstretur, notandum est discrimen paulò antè *n. 614.* allatum inter Causas Ecclesiasticas, quæ tales sunt ex objecto sacro, ac idcirco Spirituales dicuntur; ac inter eas, quæ ex objecto seu materia profanæ quidem sunt, at verò ratione subjecti ac personæ sacræ, contra quam agitantur, Ecclesiasticæ. Discrimen hîc pariter est, idque latum, inter SS. Pontificem, ac alios Ecclesiæ Prælatos ipso inferiores.

640. De supremo causarum Ecclesiasticarum Judice, seu SS. Pontifice, concors est DD. sententia, posse ex ejus privilegio aut delegatione laicos habere aliquod jus spirituale, & jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo exercere in ijs, quæ de se non requirunt Ordinem Clericalem, qualis requiritur ad conficienda Sacramenta, excepto Baptismo & Matrimonio. Idque non tantùm de laicis maribus, sed etiam de fœminis, concedunt Glossa *V. Jurisdictione*, Ant. Butr. Panorm. ac alij *in C. Dilecta de Major. & Obed.* Selva *de Benefic. p. 2. q. 5. n. 1.* ac aliorum communis. Itaque SS. Pontifex ex plenitudine Potestatis supremæ laico conferre potest Beneficia Ecclesiastica & potestatem ea conferendi; item jus suffragij in electionibus ad illa; nec non potestatem ferendi censuras; jus percipiendi decimas, oblationes, aliósque reditus Ecclesiasticos &c. Ex quo tamen nemo rectè concluserit, quòd hujusmodi jura & potestas acquiri possint etiam præscriptione & consuetudine: utraque enim supponit capacitatem possidendi in subjecto & possessionem; quam laicus habere non potest nisi ex concessione Pontificia. Videantur, quæ dixi suprà *n. 231. & seq.*

641. Non tamen efficere valet SS. Pontifex, ut Principes Seculares aliíque laici ista possint vi temporalis potestatis, ut notat Suar. *in Defens. Fid. lib. 4. c. 2. n. 11.* éstque de mente omnium, qui de hac re egerunt, ut ait Oliva *p. 1. de Foro Eccles. q. 7. n. 93.* Hinc siquæ jurisdictio sacra committeretur laicis (quod tamen nunquam legitur factum) eam non exercerent vi propriæ seu secularis jurisdictionis, sed solùm ut instrumenta & ministri

ministri SS. Pontificis ac spiritualis jurisdictionis: cùm Jure Divino laici sint incapaces juris & potestatis spiritualis, ut ex se seu virtute suæ potestatis temporalis eam exerceant; quia non illis, sed Petro ejúsque successoribus à Christo collata fuit. Dixi, jurisdictionem spiritualem laicis nunquam commissam fuisse. Nam jus præsentandi ad Beneficia ijsdem concessum propriè ad jurisdictionem non pertinet. Quod verò dicitur *Can. Hadrianus 22. dist. 63.* ab Hadriano cum universa Synodo Carolo M. traditum fuisse jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam Sedem, inane commentum est, desumptum ex Sigeberto Schismatico, qui in gratiam Henrici Imperatoris, omnium Ecclesiarum investituras sibi illicitè usurpantis, illud confinxit, ut præter alios demonstrant Severin. Binius *in notis super vita Adriani I. tom. 3. Concil. p. 1. sect. 1.* & Petr. de Marca *lib. 8. de Concordia Sacerdotij & Imperij c. 12.* Fabulosus pariter est *canon In Synodo 23. cit. dist. 63.* ubi idem repetitur, additúrque, in Romana Synodo à Leone VIII. eandem Episcopos investiendi potestatem concessam fuisse Ottoni I. Imperatori: hoc enim esse commentum à quodam impostore adscriptum Luitprando apertissimis documentis ostendit idem Binius *tom. 3. Concil. p. 2.* Videantur Baron. & Spondan. *ad annum Christi 774. & 963.* Jacob. Keller *in Papatu Catholico art. 12. c. 3.* Laym. *in Justa Defensione SS. Pontif. & Cæsar. c. 4. mem. 20. assert. 2.* Card. Sfondrati *in Regali Sacerdotio prælud. §. 1.*

642. Neque SS. Pontifex Principibus Secularibus vel alijs laicis committere potest omnes causas Clericorum, ac universim & generaliter ipsorum privilegio derogare. Panor. *in C. 2. de Major. & obed.* & *in C. Proposuit de Concess. Præb.* Felin. *in C. 10. de Constitut. n. 6.* & *in C. 2. de Judic. n. 1. limit. 2.* Covarr. *Pract. qq. c. 31. n. 4. v. Primum etenim*, Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 6. n. 26.* & *p. 4. casu 64.* ac alij: quia ex hoc perturbaretur status Ecclesiasticus, eidémque ac universæ Ecclesiæ præjudicium & injuria fieret. Imò nec causas Clericorum alicujus integræ Provinciæ committere

mittere poteſt ſeculari Principi, v. g. ut ſingulas ipſorum cauſas decidat, aut de omnibus criminibus judicet. Felin. *in cit. C. 2. de Judic. n. 3.* Caſtr. Luſit. *p. 1. de Manu regia prælud. 3. n. 5.* Suar. *in Defenſ. Fid. lib. 4. c. 32. n. 7.* Oliva *p. 1. de Foro Eccleſ. q. 14. n. 3.* quia etiam hoc foret perturbare Statum & Ordinem Eccleſiaſticum.

643. Poteſt tamen committere laicis dijudicanads particulares Clericorum cauſas, & privilegium Clericale reſtringere quoad certas cauſas & perſonas Eccleſiaſticas, ut cum Panorm. ac Felin. *ll. cc.* tradunt Covarr. *l. c.* Suar. *cit. lib. 4. c. 2. n. 12.* ac alij communiter, patétque ex *Can. Præter diſt. 32. Can. Mennam 2. q. 5. C. Verùm de Foro comp. C. un. de Cleric. conjug. in 6. C. ult. de Vit. & honeſt. Cleric. Trident. ſeſſ. 23. c. 6. de Reform.* ac ex ijs, quæ tradidi ſuprà *à n. 234. 289. 313.* Limitant tamen Panorm. *in C. 10. de Conſtit. n. 6.* Felin. *ibid. n. 6.* Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 6. n. 34.* Suar. *cit. lib. 4. c. 2. n. 12.* & ajunt, non poſſe etiam certum cauſarum Eccleſiaſticarum genus à Pontifice laicis committi, ut eas tractent tanquam Judices Ordinarij, ſed tantùm, ut tractent tanquam Eccleſiæ Delegati: quia Jure Divino inſtitutum eſt, ut Eccleſiæ réſque Eccleſiaſticæ gubernentur ab Epiſcopis, uti conſtat ex *Actor. c. 20. v. 28.* & Trident. *Seſſ. 23. c. 4.* quod regimen everteretur, ſi cauſæ ſacræ & Clerici in proprijs cauſis Eccleſiaſticis ſeculari poteſtati ordinario jure ſubjicerentur. Non probat hanc diſtinctionem Oliva *cit. q. 11. n. 7.* dicens, non poſſe quidem cauſas Eccleſ. committi laicis, ut eas vi ſuæ poteſtatis temporalis tractent: nihil tamen obeſſe, quò minùs etiam ordinaria ipſis jurisdictio concedatur circa cauſas quasdam particulares, ut eas tractent tanquam Eccleſiæ miniſtri. Verùm hoc ipſo ſi eis concederetur jurisdictio ut Eccleſiæ miniſtris, foret illa delegata, quia non exerceretur proprio ipſorum nomine, ſed alieno, nimirum Eccleſiæ: quæ autem ſic exercetur, non eſt ordinaria, ſed delegata, ut conſtat ex dictis *n. 462.*

644. De Epiſcopis aliísque Prælatis SS. Pontifice inferioribus

bus tenendum est primò, non posse eos laicis cõmittere causas spirituales, v. g. ut decidant controversias Matrimoniales, Beneficiales, Juris Patronatûs &c. aut ut conferant Beneficia Ecclesiastica, præsentatos instituant, suffragium dent in Electionibus Ecclesiasticis, censuras ferant, vel ab eis absolvant &c. Innoc. ac alij *in C. Quanto de Consuet.* Panorm. *in C. Decernimus de Judic. n. 5.* Felin. *ibid. n. 8.* Dec. *n. 5. & 15.* Silvest. *V. Laicus q. 7.* Covarr. *in C. Alma mater de Sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 11. n. 3.* Suar. *de Censur. disp. 2. sect. 3. n. 12.* ac concors DD. Constat ex *Can. In nona 22. q. 7. & C. Sacrosancta 51. de Elect.* Hinc laicus non potest esse Vicarius Episcopi. *Can. 22. 16. q. ult.* Neque administrator in spiritualibus. *C. 2. de Ætat. & qual. præsic. cit. C. In nona*, ubi licet absolutè præcipi videatur, ut Episcopi administrationem laicis non committant, Panor. tamen, Decius, ac alij id tantùm intelligunt de spiritualibus. Cæterùm quod modò de laicis dictum est, intelligi debet etiam de Clericis conjugatis: quia quoad prædicta æquiparantur laicis. Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 46. n. 12.* cum Panor. Joan. Andr. ac communi aliorum.

645. Secundò. Non possunt Prælati SS. Pontifice inferiores causas Clericorum criminales laicis cõmittere. Assertio hæc omnium consensu recepta est, & patet ex *C. Decernimus 2. de Judic.* ubi universim præcipitur, ut *Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alij Ecclesiarum Prælati de negotijs Ecclesiasticis (maximè de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant.* Patet insuper ex *C. Universitatis 24. de Sent. Excomm.*

646. Obstare hîc videtur text. *C. 2. 3. & 47. 11. q. 1.* & *C. Nullus 2. de Foro comp.* ubi præcipitur, ne quis Clericum absque Pontificis sui permissu ad secularem Judicem trahere præsumat, & ne quis Judicum absque Pontificis permissu eum per se distringere aut condemnare præsumat. Ergo permissu Pontificis seu Episcopi fieri id poterit. Respondent Gloss. & Butrio *in C. Significâsti 18. de Foro comp.* ibi subintelligendam particulam *maximè*, & legendum *maximè absque Pontificis permissu.* Verùm hoc divinato-

vinatorium esse videtur. Alij cum Butr. *in cit. C. 2. de Jud.* & Panorm. *ibid. n. 12.* ajunt, per Pontificem ibi non intelligi Episcopum, sed Papam. Neque obstat, quòd *cit. Can. 47.* dicitur *Episcopo non permittente:* quia ille canon est palea, quemadmodum & cit. canon. 2. Rursus alij abrogatos illos canones fuisse asserunt per *cit. C. 2. de Judic.* Verùm quidquid sit de his responsis, receptum est inter DD. argumentum à contrario sensu non procedere, si quæ lex aut canon stet in contrarium, uti hîc stat *cit. C. 2.* & *C. 24.*

647. Tertiò. Possunt Episcopi aliique Prælati Eccles. causas civiles Clericorum, eas videlicet, quæ inter vel contra ipsos super re temporali & profana moventur, laicis delegare. Gloss. *in cit. C. 2. de Judic.* Panor. *ibid. n. 4.* & *5.* Felin. *n. 1.* Dec. *n. 5.* & communis aliorum. Cum hac tamen assertione apertè pugnare videtur textus *cit. C. 2.* paulò antè *n. 645.* recitatus, quo universim prohibetur, ut Episcopi de negotijs Eccles. laicorum judicio disponant: negotia autem Ecclesiastica sunt etiam causæ civiles contra Clericos agitatæ. Neque alius quispiam textus produci poterit, qui illum universalem limitet, & de causis solùm spiritualibus aut criminalibus intelligendum suadeat. Standum nihilominus est comuni sententiâ: quia textus ille, ita explicante consuetudine, intelligi potest solùm de causis spiritualibus & criminalibus Clericorum, vel si quis contendat, cum Andr. Sicul. etiam de civilibus intelligi debere ob verborum generalitatem, dici poterit, solùm prohiberi, ut Episcopi ordinariam jurisdictionem laicis in has causas conferant, & ut Clerici absque assensu sui Episcopi coram illis conveniantur; non verò prohiberi delegationem Episcopi in una alteráve causa. Ratio est: quia Jura semper magnam differentiam constituerunt inter causas spirituales ac Clericorum criminales ex una, & inter causas ipsorum civiles ac profanas ex altera parte, uti vel ex hoc solùm patet, quòd Clericis conjugatis privilegium in criminalibus quidem concedunt, non verò in civilibus, juxta dicta suprà *n. 238.* & *246.* & quòd ijdem super causa civili & temporali compromittere possunt in laicum juxta *C. Exposita*

posita 11. *de Arbitr.* & communem DD. *ibi* & *in cit. C. 2. de Judic.* non verò in criminalibus. Accedit, quòd indecens omnino foret, Clericos criminaliter condemnari & puniri à laicis, & propudia eorum, qui juxta *Can. Quis dubitet 9. dist. 96.* sunt in spiritu patres ac magistri laicorum, revelari à filijs ac discipulis, quæ etiam Imperatoriâ chlamyde operienda putavit Constantinus M. ut habetur *Can. In scripturis cit. dist. 96.* Hæc autem ratio quoad civiles & temporales causas non urget, si auctoritate Ecclesiastica à laicis decidantur.

648. Duabus tamen limitationibus hæc assertio arctanda est. Prima est, quòd causæ civiles Clericorum laicis delegari queant solùm in certis & particularibus casibus; non verò, quòd delegatio fieri possit ad universitatem causarum. Felin. & Dec. *ll. cc.* aliique. Asserit quidem Oliva *cit. q. 11. n. 15.* hoc nullo jure vel efficaci ratione probari. Sed fallitur: quia jurisdictio ad universitatem causarum delegata æquiparatur ordinariæ; hanc autem certum est committi laicis contra Clericos non posse. Accedit, quòd consuetudo interpres legis ab illa universalitate textûs *cit. C. 2. de Judic.* non eximit universitatem causarum, sed solùm causas particulares. Nec verum est, quod idem Auctor asserit, non fore delegationem ad universitatem causarum, si causæ civiles omnes delegentur, dummodo non delegentur etiam criminales. Videantur ea, quæ dixi suprà *n. 474.* Altera limitatio est, quòd causæ civiles Clericorum tunc solùm committi laicis possunt, quando partes delegationi non contradicunt: neque enim possent, si Clericus contradiceret & idoneum Clericum, cui committi causa valeat, offerret. Felin. *in cit. C. 2. n. 1.* Aretin. *ibid.* Archidiac. *in C. In nona 22. 16. q. 7.* ac alij. Neque contradicit Panorm. *in cit. C. 2. n. 5.* uti existimat Oliva *l. c. n. 16.* nam solùm dicit, posse delegationem laico fieri, tametsi Clerici apti adsint; non verò excludit consensum Clerici judicandi. Hujus autem consensum saltem tacitum requiri patet ex eo, quia Episcopus ipsum absque justa causa non potest privilegio sui fori privare &

subjicere jurisdictioni laicorum; præsertim cùm illud concessum non fuerit ab ipso Episcopo, sed ab altiori potestate: talis autem causa subjiciendi non datur, si adest Clericus idoneus, cui negotium committi possit.

649. Cæterùm nomine Prælati hîc intelligitur etiam Prælatus Religiosus exemptus: nam & iste causam civilem subditi Religiosi committere laico potest, uti docent Silvest. *in Summa V. Judex 1. q. 2. dict. 4.* Fumus *in Armilla V. Judex n. 19.* Thom. Sanch. *in Opusc. mor. lib. 6. c. 1. dub. 1. n. 7.* quia habet jurisdictionem quasi Episcopalem. Cur verò Prælatus Ecclesiasticus causas civiles suorum Clericorum committere laicis possit, ipsi verò Clerici prorogare in se jurisdictionem laico nequeant, ut dixi suprà *n. 412.* ratio differentiæ est, ut notat Panor. *l. c.* quia in prorogatione jurisdictionis laicus judicaret jure proprio, & si appellandum foret, id fieri deberet ad Superiorem ipsius laici. Secùs se res habet in delegatione, quia delegatus agit solùm vice delegantis, ejúsque jure utitur, ac propterea jurisdictio, quam sibi à Judice Ecclesiastico commissam exercet, est Ecclesiastica, cùm delegatus nihil habeat jure proprio *C. 11. & 40. de Offic. Deleg. L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand.* & ab ipso appellatur ad Episcopum delegantem.

650. Duæ circa prædicta quæstiones solvendæ restant. Prima, an Clerici & Regulares torqueri ex mandato Episcopi per laicos possint, si veritas aliter, quàm per torturam exprimi nequeat. Negant omnes, ut ait Oliva *cit. q. 11. n. 13.* ob textum *C. Universitatis 24. de Sent. Excomm.* ubi cùm quæsitum fuisset, *utrùm laicus incidat in excommunicationis edictum, qui ad jussionem Abbatis, in cujus servitio commoratur, in Clericum, Monachum, aut Conversum, temerarias manus præsumit injicere, maximè ubi causa non subest, propterquam debeat verberari,* respondit Clemens III. *Nobis autem videtur, quòd nisi causâ regularis disciplinæ hoc faciat Abbas in propria persona, vel (si necessitas urget) per Clericum vel Monachum fieri jubeat: tam qui tales verberari præci-*

*præcipit, quàm illi, qui verberant (etiamsi causa subesset) excommunicationis sententiam, donec ad Apostolicam Sedem* (absolvendi) *veniant, nequaquam evadunt.* Hinc de jure torqueri per laicos non posse Clericum, communis est opinio, ut ait Ripa *in C. 2. de Judic. n. 39.* & Jul. Clar. *lib. 5. Sent. §. fin. q. 64. n. 25.* Contrarium tamen receptum est communi observantiâ, ut testantur Panor. *in C. Ut famæ de Sent. Excomm. n. 8.* Diaz *Pract. crim. canon. c. 117. n. 6.* Foller. *Pract. crim. canon. fol. 260. n. 11.* Simancas *de Hæretic. c. 63. n. 29.* Clar. ac alij. Neque hæc consuetudo mala est, ut aliqui existimabant; nullum enim jus ostendi potest, quo prohibeatur Judex Eccles. torquere Clericum per laicos. Textus *cit. C. 24.* loquitur de verberatione, quæ fit regularis disciplinæ causâ, quæ cùm moderata sit, & paterna, fieri potest per alium Clericum vel Regularem. Tortura autem, qualis per laicos Judices gravium criminum reis adhiberi solet, & quandoque etiam Clericis adhibenda est, nec commodè nec honestè per Clericos fieri potest, ut advertit Suar. *de Censur. disp. 22. sect. 1. n. 44.* Unde crimina Clericorum manerent impunita, si per laicos torqueri non possent, uti cum Follerio notat Clarus *l. c.* quia Clerici nec instructi sunt ad hoc munus vel peritiâ vel instrumentis, nec convenit eos cogi ad illud obeundum. Accedit, quòd captura & ultimum supplicium fit per laicos: quia violentiam continet, quam non convenit exerceri per Clericos. At eadem est ratio de tortura. Et ita his diebus consulta respondit Sacra Facultas Theologica Academiæ Ingolstadianæ. In nonnullis tamen Ordinibus Religiosis tortura per funem seu equuleum, cippum, vigiliam &c. fit per Regulares laicos, uti patet ex ijs, quæ tradunt Passerinus *in Praxi causar. judic. c. 9. n. 187.* ac alij.

651. Secundò quæritur, utrùm laicus possit esse œconomus & generalis administrator rerum temporalium Ecclesiæ. Negant Felin. *in C. 2. de Judic.* ubi ait esse communem, Decius *ibid. n. 9.* Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 158.* quia *Can. Indicatum 5. dist. 89.* dicitur:

dicitur: *cavendum à fraternitate vestra, ne secularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus res Ecclesiasticæ committantur, sed probis de vestro Officio Clericis.* Ubi per res Ecclesiasticas res Ecclesiæ temporales intelliguntur, uti patet ex principio textûs. Unde ab adversæ opinioni DD. sufficiens ad hunc canonem responsum dari posse negat Oliva *p. 1. de Foro Eccles. q. 7. n. 66.* Dicendum nihilominus est cum Panor. *in cit C. 2. & Dec. ibi n. 110.* ac communi Canonistarum, posse laicis liberè committi causas & negotia Ecclesiarum ac Clericorum merè temporalia, & nullam super Clericos eminentiam aut jurisdictionem conferentia. Hinc potest Episcopus, & Sede vacante Capitulum, constituere œconomum, tradendo ipsi curam & administrationem proventuum temporalium, committendo Ecclesiæ fabricam &c. ut rursus docet communis DD. & notoria praxis confirmat. Neque obstat decisio illius *cit. can. 5.* quia intelligi potest de administratoribus laicis non nudum ministerium exhibentibus, sed potestatem aliquam exercentibus disponendo de rebus Ecclesiæ, & reditus pro arbitrio distribuendo & applicando, quales fatemur ex laicis assumi non posse. Præterea in casu illius canonis per administratores laicos lædebatur Ecclesia, ad quod damnum vitandum ibidem tanquam in casu speciali, & non universim præcipiebatur, ut remotis laicis idonei Clerici adhiberentur.

652. Quin potest laicus esse Consiliarius Episcopi & Assessor. Hostiens. *in cit. C. 2. de Judic.* & *ibid.* Anton *n. 6.* Panor. *n. 13.* Alexand. de Nevo *n. 32.* Dec. *n. 131.* Bald. *n. 10.* Felin. *n. 6.* Ripa *n. 7.* Dominic. *in C. Statutum* §. *Assessorem de Rescript. in 6. n. 5.* ac alij: quia Officium Assessoris est consulere *L. 1. ff. de Offic. Assessoris.* At laicus consilium etiam in causis sacris conferre potest, ut notat Innoc. *in cit. C. 2.*

653. Quamvis autem Episcopi, ut modò dictum est, possint causas aliquas civiles Clericorum particulares delegare laicis: non tamen ijs committere queunt executionem vel in personis vel in bonis Clericorum faciendam, ut benè observat Sperelli *decis. 14. n. 17.*

*n. 17.* cùm ne quidem in causis contra Clericum coram Judice laico decisis, v. g. si is coram tribunali profano contra laicum egit aut ab eodem reconventus fuit, possit Judex laicus executionem in ejus bonis facere, sed ea facienda sit à Judice Ecclesiastico ad requisitionem laici, ut cum communi DD. dixi suprà *n. 610.* Nihilominus committere laicis tanquam organis & ministris contra Clericos possunt executionem aliquam & ministerium facti, ut loquitur Suar. *Lib. 4. Defens. Fid. c. 34. n. 25.* ad impedienda peccata & perturbationem publicam, ut eripiantur Clericis arma, quæ de nocte gerunt, vel ut comprehendantur in gravi delicto deprehensi, vel ut contumaces & comparere renuentes ad Judicem Eccles. pertrahantur. Pariter potest laicus in causis Ecclesiasticis esse Tabellio seu Notarius. Decius *l. c. n. 18.* cum communi DD. quam praxis Diœcesium confirmat. Ratio dari debet: quia Notarius est purus Minister, nullam in causa jurisdictionem exercens. Eadem ex ratione laicus Procurator esse potest, non tantùm in causis Matrimonialibus, ut quidam volebant; sed etiam reliquis spiritualibus. Patet ex *C. 1. de Procurator. in 6.* & *C. 24. de Præbend.* Nudum enim exhibet ministerium absque ulla jurisdictione: neque agit nomine proprio. Potest denique esse Arbiter in rebus spiritualibus & fructibus Beneficij cum alio quodam Arbitro, qui sit Clericus. *C. per tuas 9. de Arbitris.* In patrimonialibus verò & temporalibus Clericorum ac Ecclesiarum solus facere arbitrium potest. *C. Dilecti 4. eod.*

# CAPUT II.

## De Causis ad Forum Seculare pertinentibus.

### §. I.

### *Quæ Causa ad Forum Seculare pertineant.*

SUMMARIUM.

654. *Causæ profanæ inter laicos vel contra laicum à Clerico motæ solius Judicis laici jurisdictioni subsunt.*
655. *Nisi laicus in administranda justitia sit negligens.*
656. *Ob peccatum laici Ecclesiæ subditi semper corrigi & compelli ad emendationem possunt à Prælatis Ecclesiasticis.*
657. *Possunt Clerici esse delegati Principis secularis.*

654. Regulæ instar receptum ac traditum Jure Canonico est *C. Novit ille 13. de Judic.* & *C. Ex tenore 11. de Foro Compet.* causas profanas inter laicos vel contra laicum motas solius Judicis laici jurisdictioni subesse. Hinc ipse etiam SS. Pontifex injustitiam committeret, si viâ ordinariâ & extra casum necessitatis causis temporalibus pertinentibus ad forum Principis aliorúmque Judicum secularium, extra dominium ipsius temporale existentium, se immisceret, uti sumitur ex *cit. C.* 11. & tradunt ibi Interpp. Qua de causa Rescriptum Pontificium à laico contra laicum in causa non Ecclesiastica impetratum, est ipso jure irritum, nisi in casibus mox referendis. Constat ex *C. Licet 10. de Foro Compet.*

655. Si tamen Judices seculares Fidelibus non administrent justitiam, possunt ac debent Judices Ecclesiastici, præsertim SS. Pontifices, succurere & defectum supplere. *C. Ex transmissa 6. cit. C. licet 10. de Foro comp.* & *cit. C. Novit 13. de Judic.* quidquid reclament Thomas Michaël *de Jurisdict. thesi 39.* aliíque cum ipso. Non tamen administrat Judex Ecclesiasticus laicis justitiam in causis profanis, quamdiu adiri Judex laicus potest, ideóque non audiuntur, si oppressi vel rejecti à Judice laico inferiore, alium habent Judicem laicum superiorem, quem adire possint. Quod in ipsis etiam miserabilibus personis praxis observat, ut dixi *n. 391. & seqq.*

656. Ut verò in causis etiam temporalibus laicorum procedere possunt Prælati Ecclesiastici in defectum Judicis secularis: ita pariter possunt per viam Denuntiationis Evangelicæ de quolibet peccato

peccato mortali Fideles sibi subjectos corrigere, &, si opus, sit per Censuras ad emendationem compellere, ut constat ex citatis Juribus, ac tradit concors Catholicorum DD. sententia. Etsi enim nec ipse SS. Pontifex in causis temporalibus laicorum jurisdictionem habeat, ut cum Innocent. *in cit. C. 10.* docet communis: subjiciuntur tamen Foro Ecclesiastico ratione peccati, præsertim si agatur de perjurio, violatâ pace &c. Et quidem non solùm post commissum peccatum; sed etiam ante, ut videlicet evitetur. *cit. C. 13. de Judic.*

657. Possunt denique Episcopi aliíque Clerici esse Judices delegati ab Imperatore, alióve Principe seculari in causis civilibus, uti patet ex *C. de Fide Instrument.* Súntque hæ delegationes Episcopis factæ in Romano Imperio frequentes. Imò & Judices Ordinarij esse queunt, ut cum Panormit. & alijs notat Laym. *L. 1. Theol. Mor. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 5.* dummodo abstineant à causis sanguinis. Ac olim passim causæ civiles ab Episcopis decidebantur, prout annotavi suprà *n. 453.*

## §. II.

## *An Judex Secularis supplere possit defectum Judicis Ecclesiastici.*

### SUMMARIUM.

658. *Negativa sententia defenditur.*
659. *Respondetur ad opposita.*
660. *Supplet Judex laicus juxta quosdam in realibus:*
661. *Et in causis mixti fori.*
662. *Nec non in causis feudalibus.*
663. *Si Judex ter interpellatus negligit administrare justitiam locus est appellationi; secùs, simplici solum querelæ.*

658. Cùm juxta dicta *n. 655.* Judex Ecclesiasticus supplere possit defectum Judicis laici, consequens esse videtur, posse vicis-

sim ab isto suppleri defectum illius. Et ita fieri posse censet Aufrer. *de Potest. Secul. in Eccles. reg.* 4 *fallent.* 44. Guil. Benedict. *in C. Raynutius* 16. *de Testam. V. Et uxorem decis.* 2. *n.* 31. Cassan. *in Consuet. Burgund. rubr.* 2. §. 5. *n.* 61. Verùm contrarium deciditur *C. Qualiter & quando* 17. *de Judic.* ubi cùm Prælatis præcepisset Pontifex, *ut de laicis Clericis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi*, addit: *ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur à laicis ad judicium seculare: quod omnino fieri prohibemus.* Quæ decisio cùm clara sit, & ut ait Oliva *p.* 2. *de Foro Eccles. q.* 64. *n.* 4. praxi recepta, standum eâdem est cum Panor. Ant. Butr. ac reliquis omnibus Interpp. Hinc dum Menoch. *remed.* 3. *retin. possess. n.* 358. ait, Panorm. & Mar. Socin. malè sensisse, dum scribunt, Judicem laicum non posse supplere negligentiam Judicis Ecclesiastici justitiam non administrantis, malè ipse sensit, tum quòd opinionem eorum damnat, tum quòd hos duntaxat refert, cùm eam teneant innumeri. Ratio sic decidendi erat: quia naturale est, à majore suppleri negligentiam minoris *Can. Cum simus* 9. *q.* 3. non vicissim majoris à minore. Minorem autem dignitate Judicis esse laicum Magistratum Magistratu Ecclesiastico, constat ex *Can. Bene quidem dist.* 96. *C. Laicis* 16. *q. ult.* & *C. Non placuit eod.*

659. Non obstant text. *Can. Filijs* 31. 16. *q.* 7. *V. Regis hæc auribus intimare non desinat.* nam vel abrogatus fuit per *cit. C.* 17. *de Judic.* vel loquitur de casu, quo nullus suppetit modus obtinendæ per Judices Ecclesiasticos justitiæ. Quod tamen nunquam continget, cùm ab Episcopo recurri possit ad Metropolitam, ab hoc ad SS. Pontificem. Ab omnibus his unquam negatam fuisse partibus justitiam nuspiam legitur, nec unquam fiet, ut negetur. Textus *Can. si quis cum Clerico* 45. 11. *q.* 1. est desumptus ex Justiniani *Novellâ* 73. & 123. quibus sicut nihil potestatis adimi potuit Judicibus sacris, ita non potuêre canonizari per Gratianum suo eas decreto inferentem, ut notavi suprà *n.* 269. Ad reliquos textus opponi solitos respondent Suar. *lib.* 4. *Defens. Fid. c.* 14. &

& 34. ac Emman. Gonzalez *in cit. C. 17. n. 4. & 6.*

660. Limitant tamen factam assertionem Covarr. *Pract. qq. c. 35. n. 2. & n. 3.* & Farinac. *de Inquisit. q 8. n. 23. in fin.* cum Hostiensi ac alijs, ajúntque posse negligentiam Judicis Eccles. suppleri à laico in realibus, seu quando actio realis intentatur. Huícque opinioni suffragari generalem consuetudinem ait Sperelli *decis. 98. n. 42.* Hanc suam opinionem si isti DD. extendunt ad Clericos, quasi etiam isti conveniri actione reali possint coram laico, contra Jus scriptum loquuntur, ut constat cùm ex *cit. C. Qualiter 17. de Judic.* tum ex dictis *n.* 301. De consuetudine dixi *n.* 303. Illud hîc notandum est, quando DD. loquuntur de quibusdam casibus, in quibus jurisdictio aliqua in causis Ecclesiasticis & contra Clericos à quibusdam Principibus exerceri dicitur, id ab ipsis defendi non solâ consuetudine, sed SS. Pontificum privilegijs. Sic, teste Menoch. *l. c. n.* 357. invaluit observantia Galliæ, Hispaniæ ac Portugalliæ, Pontificum privilegijs confirmata, ut Clerici vel bonorum Ecclesiæ dissipatores, vel infirmorum oppressores in negligentiam Judicis Eccles. cogi valeant à Judicibus laicis à dissipatione & oppressione desistere: de quo fusè Emm. Gonzalez *l. c.* Simile quid receptum est in Bavaria: nam *si Prælati de mala rerum temporalium administratione suspecti fiant, Principes pro suo interesse, ab ijs vigore immemorabilis usûs, ac indulti specialis, sicut etiam ipsi Ordinarij quoque vel visitationis tempore vel alio, rationes exigere possunt. Ut sic communi consilio & operâ Ecclesiarum commodum procuretur*, ut dicitur *§. 1. V. Quòd si Concordatorum*, de quibus suprà *n. 278.* Ijsdem Concordatis *§.* 3. receptum est, ut si Clericis delinquentibus ab Episcopo pecuniaria pœna fuerit irrogata, parte aliquâ Notarijs causæ ac Pedellis datâ, residuum in Ecclesiarum fabricas vel similes pios usus, intra Bavariæ fines collocetur, ideóque significent Ordinarij Præfectis, in quanto mulctaverint, ne intercipiantur istæ pecuniæ. Additur: *Deprehensi verò Clerici cum prohibitis armis in amissione eorum à Magistratu seculari punientur.* His similia attuli *cit. n. 278.*

661. Aliam limitationem, ac jure admittendam, addunt alij cum Ancharano *consil.* 196. & Felino *in cit. C. 17. de Judic. n.* 1. *limit.* 2. posse videl. secularem Judicem in causis mixti fori, non obstante præventione, procedere, si Ecclesiasticus sit negligens. Ratio est: quia non dicitur præveniſſe, qui dolo vel negligentiâ omittit procedere. *C. Cùm plures de Offic. Deleg. in 6. C. Significavit de Offic. Ordin.* Rectè igitur tunc Judex secularis utitur jurisdictione tanquam Judex competens.

662. Eadem est ratio de casu, quo Judex Eccles. cognoscit inter laicos ratione feudi: nam tunc ejus negligentiam supplebit laicus. Panor. *in C. Verùm de Foro comp. n.* 16. Felin. *in cit. C.* 17. Butr. *in C. Cæterùm 5. de Judic. n.* 3. post Hostiens. ac alios. Quæ causa est, quòd à Judice Ecclesiastico procedente vi jurisdictionis temporalis in feudum concessæ appellatur ad Principem Secularem. Panorm. *in cit. C. 5. n.* 12. Barbat. *ibid. n.* 46. Et sic in Romano Imperio laici ab Episcopis appellant in causis civilibus ad Imperatorem vel Cameram Imper. Gail. *L. 1. observ. 30. n.* 2. Excipiendi tamen sunt casus, quos attuli suprà *n. 291. in fin.* In illis enim contra Ecclesiasticos Principum secularium vasallos non est adeundus Princeps secularis, sed Judex Ecclesiast. ut præter DD. *cit. n. 291.* allegatos observant cum Innoc. & Archidiac. Schrader. *de Feud. p.* 10. *sect. 6. n.* 234. & Marta *de Jurisdict. p.* 4. *casu* 147. *n.* 20.

663. Utrùm verò ob negligentiam unius Judicis adiri possit alter per viam tantùm querelæ, & simplici, ut vocant, recursus, an per appellationem, controversum est. Illud tenent Bald *in L. ult. §. Illud C. de Tempor. appellat. n.* 9. Paul. Castr. *in L. Quarta §. In eum ff. de Damno infect.* Felin. *in C. Ex tenore de Rescript. n.* 17. Angel. *in L. Quamvis ff. de Dam. infect.* aliique. Posterius cum Panor. Joan. Andr. Host. Dec. ac aliorum communi Menoch. *L. 1. de Arbitrar. q. 70. n.* 15. & Marta *l. c. n.* 18. Dicendum esse videtur cum Oliva *p.* 2. *For. Eccles. q. ult. n.* 16. & Quaranta *in Bullario V. Archiep. Auctoritas n.* 21. post Panor. Felin. ac Decium, si ter requisitus fuerit Judex, ac nihilominus justitiam admini-

administrare neglexerit, appellationi locum esse; secùs simplici solùm querelæ. *arg. C. 1. de Suppl. neglig. Prælat.*

## §. III.

## *An Judex Secularis cognoscere possit de Possessione Rei spiritualis.*

### SUMMARIUM.

664. *Clericus etiam in causa possessoria conveniri nequit coram Judice laico.*
665. *In causa possessoria rei spiritualis admixtam habente causam proprietatis Judex laicus non est competens etiam adversùs laicum.*
666. *Nec, si agitur possessorio Adipiscendæ.*
667. *De possessorio Retinendæ & Recuperandæ dubium est.*
668. *Nec in hoc est competens Judex laicus.*
669. *Rationes assertionis afferuntur.*
670. *& trib. seqq. Solvuntur opposita.*
671. *Multò minùs judicare potest laicus super causa possessionis etiam rei profanæ, si reus est Clericus.*

664. In hac celebri quæstione magnâ partium contentione agitatâ advertendum est in primis, sermonem non esse, nec esse posse de casu, quo Clericus in possessorio est reus. Conveniendum enim solùm coram Judice suo competente seu Ecclesiastico, certum est, ut suprà de privilegio Fori Clericalis fusè est demonstratum. Deinde solerter distinguendum est (quod multi facere negligunt) possessorium *Adipiscendæ* à possessorio *Retinendæ* & *Recuperandæ:* & causa possessoria, quæ habet admixtam rationem proprietatis, ab ea, quæ proprietatis causam admixtam non habet, sed de nuda possessione vertitur.

665. Quando causa possessoria Rei spiritualis, v. g. Beneficij, Jurispatronatûs, Decimarum, admixtam habet causam proprieta-

prietatis, à solo Judice sacro expediri potest Panorm. Bart. aliíque Interpp. *in C. 2. de Juram. Calum.* Covarr. *practic. qq. c. 35. n. 1. concl. 1.* ac alij communissimè. Nec existimo, aliquem dissentire. Tametsi enim Gail. *L. 1. observ. 38. n. 2.* Guido Papæ *decis. 85.* Boërius *decis. 60. n. 23.* ac alij, videantur tenere, causam possessoriam Rei sacræ indiscriminatim pertinere ad Judicem etiam laicum, si tamen eorum verba bene ponderentur, apparebit, eos loqui de solo possessorio, & ubi causa proprietatis non concurrit. Neque loqui aliter potuêre: quia possessorium judicium Rei spiritualis habens admixtam causam proprietatis minimè dici potest temporale, ut bene ait Covarr. *l. c.* & patet ex *C. 3. de Ordin. Cognition.* ac *C. 7. qui filij sint legitimi*, cùm admissam habeat cognitionem juris spiritualis. Neque hîc procedit ratio eorum, qui cognitionem possessionis Rei spiritualis concedunt Judici laico, quando ajunt: possessio est nudi facti; at hoc est aliquid merè temporale. Non enim nudi facti est, si etiam de proprietate, utpote quæ juris est, agitur.

666. Solus insuper Judex sacer est competens, quando agitur possessorio Adipiscendæ. Ita omnes teste Beroio *l. c.* & Menoch. *de Recuper. possess. remed. 15. n. 235.* Ratio, ut idem ait *consil. 268. n. 8.* manifesta est: quia juxta *L. 2. §. quædam & §. seq. ff. de Jurisdict.* hoc judicium annexam habet causam proprietatis, cùm cognosci debeat, an, qui petit possessionem, habeat titulum, quo mitti debeat in possessionem, v. g. Beneficij, Decimarum. Unde hæc assertio est corollarium prioris, necessariâ consecutione inde fluens.

667. Igitur controversia solùm esse potest de possessorio Retinendæ & Recuperandæ, quando videlicet is, qui est in possessione, in ea turbatur, vel eâdem spoliatur. Hîc verò complures sunt, qui cognitionem tribuunt etiam Judici laico, & communem doctrinam esse affirmat Gaill. *l. c. n. 2. & 4.* ac praxi Cameræ Imper. receptam, cùm ibi in causis Decimarum, quando super possessorio lis est, citationes decernantur, & appellationes recipiantur.

668.

668. Verùm dicendum est, Judicem laicum non esse competentem in judicio possessorio, tametsi sit solùm de Retinenda aut Recuperanda possessione. Ita cum Anton. de Butrio, Dec. Lignan, Claro, Cravetta, Curtio Jun. ac aliorum communissima tradunt Gratian. *tom. 2. discept. forens. c. 238. à n. 4.* Sperelli *decis. 8. à n. 17.* Schrader. de Feudis *p. 10. sect. 1. n. 84.* Moneta *de Decim. c. 8. q. 1. à n. 10.* Barbosa *de Offic. Parochi c. 28. §. 4. n. 4.* ubi plurimos allegat, Emman. Gonzalez *in C. 13. de Decim. n. 4.* ubi Suarezium malè refert pro opinione contraria, Pirhing *tit. de Decim. n. 163.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 15. n. 8.* ubi ait, ita certissimè tenendum esse, Leander à SS. Sacram. *p. 3. Moral. tr. 6. disp. 2. q. 33.* Leüren. *p. 1. Fori Benefic. q. 497. n. 4.*

669. Ut ita sentiam, moveor I. quia *Clem. un. de causa poss. & propr.* & *Clem. un. de sequest. poss. & fruct.* cognitio de possessione rerum spiritualium tribuitur Judici sacro. Neque valet, quod ajunt adversarij, hinc solùm sequi, quòd is judicare de causa possessionis possit cumulativè; non verò, quòd privativè, & excluso Judice laico. Nam ex eo, quòd Jura sacra cognitionem causæ Hæresis, Simoniæ, Matrimonij, Jurispatronatûs &c. tribuunt Judici sacro, concedunt ipsimet, quòd illa Judici sacro privativè competat. ergo pariter ex eo, quòd possessorij spiritualis causam tribuunt Judici sacro, ritè infertur, quòd ipsi soli tribuant. II. Qui agit possessorio Recuperandæ, debet titulum saltem coloratum probare, si agitur de possessione rei spiritualis, puta Beneficij, Jurisdictionis &c. ut pluribus relatis docent Menoch. *cit. remed. 15. à n. 223. 463. 458. 466.* Peregrin. *de Fideicommiss. art. 52. n. 152.* Cravetta *consil. 258. n. 9.* Gratian. *l. c. n. 8.* Moneta *l. c. n. 13.* ac alij. Pariter in judicio Retinendæ ostendendus est titulus coloratus, seu coloranda est, ut loquuntur, possessio, uti tradit idem Menoch. *remed. 3. Retinendæ n. 334. & seq.* cum Imola, Osasco, ac alijs, eósque, qui cum Panorm. asserunt, necesse non esse probari titulum, ita explicat, ut sensus sit, non esse probandum plenè & concludenter; probandum tamen esse colo-

coloratè. An verò titulus sit coloratus, & an sufficiat, ut quis in possessione manuteneatur, vel in eandem restituatur, quæstio non meri facti, sed juris est. Atqui quæstionem juris in causa spirituali decidere nequit laicus, tametsi sit solùm incidens, ut dixi *n. 637.* & fatentur Adversarij. III. Causa spiritualis, & quasi, seu spirituali annexa, tractanda est à solo Judice sacro, ut constat ex Juribus adductis *n. 614.* & tradit communis omnium DD. *in C. 2. ac 3. de Judic.* & *C. 3. de Ord. cognit.* Quòd autem possessorium rei spiritualis sit temporale, nullo solido niti fundamento, ait Menoch. *cit. remed. 15. n. 219.* ubi contrariæ opinionis fundamenta evertit. Asserítque Barbatia *in C. ult. de Judic.* tenendum esse pro certo, quòd propriè ac strictè quæstio possessoria rei spiritualis dicatur spiritualis. IV. Possessoria & Petitoria causa connexæ sunt, & ab eodem Judice tractandæ, ut dixi suprà *n. 571.* ex *C. 1. de causa possess.* & *L. Nulli 10. in fin. C. de Judic.* Cùm ergo causa Petitorij tractetur à Judice sacro, tractanda pariter ab eodem est causa Possessorij. Plures alias rationes accumulant Schrader. *cit. p. 10. de Feud. sect. 1. à n. 84.* & Curt. Jun. *de Feud. p. 7. q. ult. à n. 24.*

670. Opponunt Adversarij I. Possessorium rei spiritualis non est spirituale. Verùm Glossa *in C. 2. de Juram. Calum.* quæ id asserit, communiter reprobatur, ut ajunt Aufrer. *decis. 470.* & Covarr. *cit. c. 35. n. 1. §. Non oberit.* Et, si Monetæ credimus *l. c. n. 14.* nullus magni nominis Doctor id absolutè tenet, sed ad summum, possessorium rei spiritualis non esse merè spirituale, sed quasi.

671. Opponunt II. Possessio in facto consistit. Cùm ergo factum nihil spirituale contineat, poterit de eo judicare Judex secularis. Verùm quanquam possessio *plurimum facti habet*, ut dicitur *L. 19. ff. Ex quib. caus. major. plurimum* tamen *ex jure mutuatur*, ut dicitur *L. 49. ff. de acquir. possess.* & vocatur *jus Rei L. 31. §. 1. ff. de Action. empt.* & *jus possessionis L. 15. §. 35. ff. de Damno infect. L. 44. ff. de Acquir. possess. L. 10. C. eod.* Hinc à Bart. ac alijs *in L. 1. ff. eod.* definitur, quòd sit *jus insistendi Rei non prohibitæ possideri.* Licèt igitur à facto pendeat, dum apprehensionem

sionem & retentionem requirit, reverâ tamen in jure consistit, cùm sit jus insistendi, variósque Juris effectus habeat, ut Usucapionem, meliorem in dubio conditionem, præsumptionem dominij actituli, fructuum acquisitionem, actionem publicianam &c. Hinc ait Covarr. *Pract. qq. c. 35. concl. 2. §. Verùm* opinionem, quæ asserit, causam possessionis rei spiritualis vel quasi spiritualis examinari per laicum Judicem posse, si nihil proprietatis mixtum habeat, destitutam esse omni legum & canonum auxilio, ac ideò falsam censet. Quam censuram fieri ab hoc doctissimo Viro, multa aliàs Potestati Seculari tribuente, ac propterea à non paucis acriter reprehenso, mirum est. Ego ab illa mihi abstinendum esse existimo, nec facilè damnandam praxim Cameræ Imperialis ac aliorum Tribunalium, juxta quam quæstio super possessorio *retinendæ* ac *recuperandæ* etiam ad cognitionem Judicis laici, tanquam causa mixta, pertinet; quando reus est laicus. Habet certè hæc praxis locum in Bavaria quoad decimas, cùm confirmata fuerit §. *V. v. Sic etiam* Concordatorum, de quibus suprà *n. 278.*

672. Opponunt III. Possessio nihil commune habet cum Proprietate. *L. 11. §. Nihil. ff. de Acquir. poss. L. 17. & 52. ff. eod. L. 3. §. ult. ff. Uti possidet.* & *L. 21. §. qui possessionem. ff. quod met. caus.* Respondetur cum Schrader. *l. c. n. 86.* Menoch. *cit. remed. 15. n. 219.* Moneta *l. c. n. 14.* post Panorm. Aufrer. Beroiium, ac alios, possessioni nihil quidem commune esse cum proprietate quoad acquisitionem & amissionem; item quoad hoc, quòd sententia lata in possessorio non pariat exceptionem rei judicatæ in petitorio: esse tamen communem earum causam quoad cognitionem & continentiam, quæ dividi non debet, juxta *L. 10. C. de Judic. & C. 1. de causa possess.* ac communem Interpp. apud Curt. Jun. *l. c. n. 23.* Clarum *L. 5. §. Feudum q. 90. n. 9.* Schrader. *l. c. à n. 77.* Aliàs, ut discurrit Menoch. *l. c.* laicus etiam in judicio Adipiscendæ competens foret: quod falsum esse dicit, & dixi paulò antè *n. 666.* Præterea, axiomatis illius, proprietati nihil commune

esse cum possessione, sensus alius non est, quàm quòd quis possit habere unam, quin habeat alteram.

673. Opponunt IV. In possessorio rei spiritualis juratur de calumnia. *C. 13. de Restit. spoliat.* Quod tamen juramentum in causis spiritualibus non exigitur. *C. 2. de Juram Calum.* ergo causa possessoria de re spirituali non est spiritualis. At nec istud assertioni nostræ adversatur. Nam *cit. C. 13.* non exigebatur juramentum calumniæ, sed malitiæ, quod longè diversum est ab illo, ac etiam in causis spiritualibus exigi potest. Imò etsi in his causis olim non exigeretur juramentum calumniæ, præstari tamen modò debet, sicut in causis profanis. *C. 1. §. ult. de Juram. Calum.* & *Clem. sæpe de V. S.* ac olim præstandum erat super exceptionibus postea emergentibus, vel quando præsumptio erat contra excipientem, ut cum Glossa aliisque notat Panor. *in cit. C. 13. n. 19.*

674. Illud porrò constitutissimum est, ut ait Covarr. *l. c. §. Primum etenim.* quòd non possit Judex secularis, quicunque sit, quoties agitur inter Clericos, aut reus tantùm Clericus est, de causa possessoria tractare, tametsi fateremur, eam esse temporalem, & licèt res, de cujus possessione contra Clericum agitur, sit temporalis ac profana. Cùm Clericus ex utriusque Juris regulis apud Judicem Ecclesiasticum conveniendus sit, nec ulla vel ad speciem probabilis ratio afferri possit, quæ suadeat, quòd regula de sequendo Rei foro exceptionem patiatur in possessorio. Neque consuetudo contraria vim ullam habere potest, ut idem Covarr. *l. c.* observat, & constat ex dictis *n. 231.* Consuetudinem Galliæ privilegio Martini V. & Leonis II. defendunt Guido Papæ aliique apud Gutierez *Lib. 1. Canon. qq. c. 34. n. 22.*

## §. IV.

## *An Judex Secularis cognoscere possit super facto rei spiritualis.*

SUM-

SUMMARIUM.

675. *Causam facti de re spirituali decidere nequit Judex laicus, si Clericus est reus, aut mista est quæstio Juris.*
676. *Proponitur opinio affirmantium posse Judicem laicum super facto rei spiritualis pronuntiare.*
677. & 678. *Impugnatur duplex, quam addunt, limitatio.*
679. *Statuitur sententia negans.*
680. & 681. *Stabilitur eius ratio.*
682. *Solvuntur opposita.*

675. In hac quoque celeberrima quæstione præsupponendum est primò, controversiam non esse, nec esse posse, de casu, quo Clericus est reus: constat enim ex dictis, contra ipsum adeundum esse Judicem Eccles. non tantùm, si vertatur causa super facto rei spiritualis, v. g. utrùm susceperit sacros Ordines, aut Beneficium, utrùm electus aut confirmatus fuerit, utrùm sit in quasi possessione juris decimandi vel præsentandi; sed etiam, si solùm super facto rei temporalis, v. g. an mutuum contraxerit, emerit vel vendiderit rem profanam. Præsupponendum est secundò, sermonem solùm esse de casu, quo super nudo facto rei spiritualis dubitatur. Convenit enim inter omnes, si quæstio facti admixtam habeat quæstionem juris, solius Judicis Eccles. esse eam decidere. Ex. gr. si non tantùm dubitatur, utrùm Titius & Berta inierint matriomnium, sed etiam, utrùm validè. Nam licèt daretur, posse laicum Judicem cognoscere de quæstione utrùm matrimonium fuerit initum: quia tamen altera, utrùm validè, est quæstio juris, pertinens, utpote circa rem spiritualem, ad cognitionem solius Judicis Eccles. non poterit illam decidere laicus, sed remittere tenetur ad Eccles. ne continentia causæ dividatur.

676. Igitur de quæstione solius facti loquendo, fatendum est, complures censere, eam etiam à Judice laico decidi posse. Ita Bartol. *in L. Quoties C. de Judic.* & *in L. Titia ff. Solut. matr.* Alex. aliique, quos referunt & sequuntur Menoch. *remed.* 13. *recup.*

*poss. n. 212. & 223.* Barbosa *in cit. L. Titia n. 24.* Farin. *de Inquisit. q. 8. n. 25.* Oliva *p. 1. Fori Eccles. q. 8. n. 51.* (qui tamen malè allegant Panormitanum & Covarru.) Sanchez *L. 3. de Matrim. q. 54. n. 4.* Fundamentum est: quia talis causa nullo modo est spiritualis & Ecclesiastica, sed merè profana. Verùm hoc ipsum fundamentum est dubium & de ipso tota est controversia: interrogare enim, utrùm quæstio facti de re spirituali pertineat etiam ad forum profanum, aliud non est, quàm quærere, utrùm sit purè Ecclesiastica, an verò mixta & pertinens etiam ad Judicem laicum. Imò si hoc fundamentum verum foret, & causa hujusmodi merè, ut volunt, esset profana, non apparet, quomodo etiam à Judice Ecclesiastico, quando agitatur contra laicum, decidi possit, uti posse ipsi fatentur.

677. Limitant tamen suam assertionem primò, ajúntque, posse à Judice Eccles. prohiberi Judici laico cognitionem causæ etiam in solo facto consistentis, si objectum est spirituale, & hac inhibitione factâ non posse illumse ampliùs intromittere, si causam ante inhibitionem nondum cœpit. Covarr. *p. 2. de Matrim. c. 8. §. 12. n. 10.* Farinac. *l. c. sublim. 2.* post Butr. Gerard. ac alios. Verùm hæc parùm consequenter dici videntur: si enim causa, quæ vertitur super solo facto rei spiritualis, non est spiritualis, sed profana, non apparet, quomodo illam trahere ad se solum possit Judex Eccles. & laicum excludere.

678. Limitant secundò, distinguendo inter causas purè spirituales, seu quæ tales sunt tam ratione rei quàm personarum, uti sunt causæ Beneficiales, Ordinis, Jurisdictionis sacræ, Electionis &c. & inter eas, quæ spirituales quidem sunt ratione materiæ & objecti, nihilominus tamen in laicos cadunt, uti est causa Matrimonij, Perjurij, Usurarum &c. Super illis, ajunt, cognoscere non posse Judicem laicum, tametsi quæstio sit de solo facto; posse tamen in quæstione facti super posterioribus. Ita cum Anchar. Alex. Vincent. de Franch. Aufrer. ac alijs Menoch. *l. c.* Farin. *l. c. sublim. 4.* Sed neque ista cohærent. Nam Hæresis & Simonia etiam

in

in laicos cadunt, ac nihilominus cognitio super his criminibus commissis (quæ causa est super solo facto) nihilominus ad solum tribunal sacrum pertinet, ut ipsimet admittunt. Præterea potestas excommunicandi non cadit in laicos, ac nihilominus super quæstione facti, utrùm quis sit excommunicatus, cognoscit; ut volunt, etiam Judex laicus. Similiter Beneficium Ecclesiasticum non cadit in laicos, quo tamen non obstante laicus juxta ipsos cognoscit super facto respiciente Beneficium, v. g. an hic Clericus habeat habuerítve hoc illúdve Beneficium, an sit electus, præsentatus &c.

679. Itaque sequendi videntur Panor. *in C. Tuam de Ord. cognit. n. 10.* Roman. *ibid. n. 5.* Bald. & Jason *in L. Quoties C. de Judic.* Fulgos. *consil. 133. ad fin.* Corneus *consil. 227. n. 6.* Aretin. *in L. Omni novatione C. de SS. Eccles. n. 3.* Dec. *in C. 2. de Judic. n. 24.* Octavian. *decis. 137. n. 10.* Belluga *in Speculo Princip. rubr. 11. §. Videamus n. 5.* Imola *in L. Titia ff. Solut. matr.* & *in C. Cum sit generale de Foro comp.* Lapus *alleg. 55.* Moneta *de Decim. c. 8. q. 1. n. 14.* Azor *p. 1. l. 7. c. 25. q. 5.* Fachin. *lib. 1. Contr. c. 44.* ac alij, dicendúmque, quæstionem super facto rei spiritualis ad solius Judicis Eccles. cognitionem pertinere. Ratio est: quia, etsi hæc quæstio, v. g. utrùm Matrimonium fuerit contractum, sit facti, est tamen super Matrimonio; at contractus matrimonialis est res spiritualis & Ecclesiastica; super rebus autem spiritualibus cognoscere non potest Judex laicus.

680. Patet hujus rationis soliditas & vis ex *C. si Judex laicus 12. de Sent. Excomm. in 6.* ubi deciditur, quæstionem, *an aliquis sit Clericus* (quæ est quæstio facti) decidendam esse à Judice Eccles. additâ ratione *quia de re Eccles. & spirituali*, videl. de Ordine. At non minùs quæstio, an initum fuerit matrimonium, est de re Eccles. & spirituali, quia est de Matrimonio, sicut illa de Ordine. Respondet Barbosa *in L. Titia ff. Solut. matr. n. 28.* & ex ipso Oliva *l. c. n. 54.* in casu *cit. L. si Judex* mistam esse cum quæstione facti quæstionem Juris, eò quòd, dum agitur de remittendo Clerico, non

non solùm agatur de quasi possessione Clericatûs, sed etiam de veritate & valore tituli Clericalis. Verùm hæc ipsa procedunt in alijs casibus: nam dum v. g. agitur de contracto matrimonio in ordine ad successionem in bonis defuncti, aut de electione ad Beneficium, præsentatione, collatione &c. non agitur de nudo facto matrimonialis contractûs initi, aut collati Beneficij, sed etiam de ejus valore; cùm nihil prosit contractum esse celebratum, aut collationem esse factam, nisi actus fuerint validi. Itaque sicut ex dicto capite Judex laicus non potest cognoscere super Clericatu, ita nec super contracto matrimonio aut collato Beneficio. Et ita de reliquis.

681. Respondent alij secundò, casum *cit. C. 12.* nec non illum de Hæresi & Simonia (de quibus suprà *n. 625.*) & si qui sunt similes, esse speciales, ac propterea, quod de illis statutum est, ut videl. coram solo tribunali sacro decidantur, non esse trahendum ad alios non expressos. Verùm hæc quoque responsio robore caret. Ut enim dici posset, dictas causas esse singulares & exceptas, proferri deberet regula, à qua sint excepti: at proferri nulla potest. Imò potiùs Jura pro illis allegata regulam pro alijs non expressis faciunt, cùm ratio ibi allegata æqualiter procedat de reliquis non expressis, & sic illæ expressæ exemplum sunt reliquarum, non exceptio.

682. Neque, uti existimat Emm. Gonzalez *in C. Tuam de Ord. cognit. n. 3.* contrariæ opinioni patrocinatur text. *C. Licet 2. de Jurejur. in 6.* ex quo sumitur, posse Judicem laicum compellere ad servandum juramentum; aut *C. Decernimus 8. de Sent. Excomm. in 6.* vi cujus tenentur Judices seculares *repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando in suis Curijs & judicijs.* Nulla enim vel ibi vel alibi ijsdem conceditur cognitio super juramento aut excommunicatione; sed solùm, ut eos, quos constat jurâsse, compellant ad standum juramento; & illos, quos noverint excommunicatos, à suo tribunali rejiciant. Quod dum faciunt, vel dum obligatos decimas dare ad solvendum cogunt,

gunt, aut sponsum ad implenda sponsalia, conjugatos ad cohabitandum &c. nullam cognitionem super causa Eccles. assumunt, sed suppositio valore juramenti, matrimonij &c. solùm executionem urgent. Cæterùm hîc solùm dixi, quæ considerato Jure scripto probabiliora visa sunt; absit enim, ut contrariam opinionem multorum gravium DD. auctoritate roboratam, & praxim multorum Tribunalium eâdem opinione nixam, condemnem, aut tutò practicari posse negem.

# CAPUT III.

## De Causis Feudalibus.

### §. I.

### *Quandonam de Causa Feudi cognoscat Feudi Dominus.*

SUMMARIUM.

683. *Causas Feudales decidunt vel Feudi Dominus, vel Pares Curiæ, vel Judex Ordinarius, vel Arbitri.*
684. *Inter Vasallos super Feudo litigantes competens Judex est Feudi Dominus.*
685. *Tametsi hic sit privatus & non nobilis.*
686. *Explicantur Jura in oppositum allata.*
687. *Certis in casibus Feudi Dominus non est Judex.*

683. Certum & speciale Forum habent Causæ Feudales, seu quæ super Feudo vertuntur. Et quidem pro diversitate litigantium, imò & causarum, diversum Forum est. Est enim de Feudo lis aliquando inter Vasallos, aliquando inter Dominum & Vasallum, quandoque inter Dominum & Extraneum, quandoque inter Vasallum & Extraneum. Unde triplex est Judex, nempe vel Dominus Feudi controversi, vel Pares Curiæ, vel Ordinarius. Eas

decidit etiam Arbiter: de quo tamen dissentiunt Feudistæ, ut mox dicetur.

684. De Judice controversiæ Feudalis inter convasallos ortæ dubium & incertum esse Jus Feudale dicit Hotomannus *de Feudis c. 42.* At certum est, Judicem tunc esse Feudi dominum. Ita enim statuitur *tit. 55. §. Insuper L. 2. Feud. præterea si inter duos* (plurésve) *vasallos de feudo sit controversia, Domini sit cognitio, & per eum controversia terminetur.* Idem traditur, aut potiùs supponitur *C. Ex transmissa 6. de Foro comp.* & *C. Cæterùm 5. de Judic.* Hinc si inter Duces, Marchiones, Comites Imperij contentio sit super feudo, competens Judex est Imperator. *Tit. 34. prin. L. 2. Feud. Tit. 18. prin. L. 1. Ordinat. Camer. p. 2. tit. 7.* Et quamvis concluſum in Camera Imper. fuerit, jurisdictionem ejusdem in hujusmodi controversia ex præventione fundari posse, eò quòd illa per modum contractûs ex Ordinatione Cameræ cum Cæsare concurrentem jurisdictionem habeat. Gaill. *lib. 1. observ. 29. n. 2.* id tamen intelligendum non est de Feudis Regalibus, qualia sunt, quæ modò enarravi. Gaill. *l. c. in fin.* Matth. Stephani *lib. 1. de jurisdict. c. 26. n. 11.*

685. Quemadmodum verò Imperator vel Rex inter suos Vasallos de Feudi controversia cognoscit: ita quilibet alius dominus competens Judex est inter suos Vasallos, juxta textus generales *cit. tit. 55.* & *cit. c. 5. ac 6.* Idémque dicendum est de eo, qui subvasallos habet, quos subinfeudavit: non enim Dominus primus seu Senior, sed Vasallus immediatus inter subvasallos Judex est. Neque opus est, ut dominus feudi habeat aliàs jurisdictionem: nam hanc acquirit hoc ipso, quòd rem suam in feudum concedit. Nec obest, tametsi sit homo plebejus. Innocent *in C. Verùm de Foro comp. n. 1.* Panorm. ac alij, quos sequitur Marta *p. 4. de Jurisd. casu 89. n. 3.* Neque alij DD. vel leges feudales inter personas publicas & privatas, inter nobiles & plebejos, distinguunt. Et quidem in causa feudali dominus feudi est competens Judex, tametsi agatur solùm de parte feudi; & non tantùm, si aga-

si agatur super proprietate, sed etiam, si super possessione, ut dixi suprà *n. 291.*

686. Assertioni isti non obstat textus *tit. 46. v. & responsum scio L. 2. Feud.* ubi controversia, quæ est inter vasallos, decidi jubetur per Pares Curiæ. Nam sermo ibi est de controversia ipsum dominum concernente: tunc enim absque dubio recurrendum est ad Pares Curiæ, sicut quando inter vasallum & Dominum lis est: ne iste jus sibi ipsi dicat. Verba *tit. 34. prin. L. 2. Feud. si inter Valvasores coram Paribus Curiæ*, intelligenda sunt de casu, quo major valvasor & valvasor minor, atque ita dominus & vasallus de feudo litigant. Tunc verò nemo dubitat, adeundos esse Pares Curiæ ob allatam modò rationem. Idem respondendum est ad textum *tit. 18. prin. v. si verò L. 1. Feud.* Quando demum dicitur *tit. 15. §. Illud tamen sciendum L. 2. Feud.* quòd si de feudo inter duos sit controversia, alterum ab altero invitum trahi ad dominum non posse, intelligi id debet cum Bocero *de Jurisdict. c. 3. n. 70.* de vocatione in curiam domini propriâ auctoritate vasalli, & non à domino: vel cum Duareno *tr. de Feud. c. 20. n. 4.* de casu, quo suspectus est dominus: vel cum Alvaroto *in cit. tit. 15. n. 1.* de casu, quo dominus partem feudi, quod ad se morte vasalli reversum putabat, sibi retinuit, partem verò alij in feudum dedit: vel cum Rosenthal *in Synopsi Jur. Feud. c. 12. concl. 33.* ac alijs de casu, quo dubia est jurisdictio Domini & Parium: vel denique cum Mozzio, Vultejo, ac alijs dicendum est, correctum esse illum textum *tit. 15.* per textum *tit. 55. L. 2. Feud.*

687. Doctrina modò tradita non uno modo limitanda est. Nam non cognoscit dominus, sed Judex Ordinarius, si unus vasallorum litigantium se talem esse negat, & dominum feudi non agnoscit, ut dixi *n. 297.* II. Si actio ab uno vasallo contra alterum intentata est personalis, & non super jure feudali, licèt circa rem feudalem agatur, ut pigneratitiâ, depositi &c. juxta dicta *n. 295.* aut si agatur solùm de servitute. Quia etsi tunc litigent vasalli,

ſalli, non tamen litigant quà tales. III. Si dominus vaſallo ex rationabili cauſa eſt ſuſpectus, ut dictum eſt *n. 298.* Cujusmodi cauſam Roſenthal alijque contra Borcholtum ac Bocerum eſſe dicunt, ſi dominus invitus & jure adactus debuit inveſtire vaſallum: eò quòd tunc malè affectus erga vaſallum eſſe, & quia iniquus fuit in uno, etiam in altero injuſtus futurus præſumatur. IV. Si dominus non facit ſuum officium, id eſt, vel ex malitia vel ex deſidia differat procedere, aliámve injuſtitiam cognoſcendo aut judicando committat. Quia tunc ad domini Superiorem recurrendum eſt, vel, ſi actor malit, poterit ſequi forum Rei, ejúsque Ordinarium Judicem adire. *C. Ex tranſmiſſa 6. de Foro comp.* Ordinat. Camer. Imper. *p. 2. tit. 1. §. Es ſollen auch.* ac communis DD. Unde ex eo, quòd *cit. C. 6.* cauſa dicitur pertinere ad Ordinarium Clerici Judicem, ſi dominus feudi laicus juſtitiam non adminiſtrat, Rittershuſius apud Haunold. *tom. 3. de Juſt. tr. 9. n. 953.* gratis & iniquè cavillatus eſt Pontifices, dicendo, quòd in primitiva Eccleſia & antequam tantopere creviſſent & ſupra alios ſe extuliſſent, hæc res prorſus inaudita fuerit. Si enim vaſallus laicus non obtentâ à domino feudi juſtitiâ Judicem ordinarium rei adire poteſt, quidni, ſi reus eſt Clericus (de quo ſolo caſu loquitur textus *cit. C. 6.*) adeundus ſit ipſius Judex Ordinarius, qui eſt Prælatus Eccleſiaſticus? Quòd in primitiva Eccleſia nihil circa feudum vel ſtatutum vel uſitatum fuit, mirum non eſt: quia Leges feudales tunc nondum erant, nec etiam uſus feudorum, niſi forſan inter Germanos aliósque populos Septentrionales: quod ignorare non debuit Rittershuſius. V. Si cauſa feudalis aliquo modo contingat intereſſe domini, v. g. quia tenebitur de evictione. Tunc enim, cùm ipſe non poſſit eſſe Judex, in propria cauſa, judicabunt Pares Curiæ. *tit. 46. lib. 2. feud.* Si non dentur Pares Curiæ, aut teſtes in cauſa eſſe debeant,

Ordinarius Rei Judex.

§. II.

## §. II.

## Quando de Causa Feudi cognoscant Pares Curiæ, vel Ordinarius.

### SUMMARIUM.

688. *Pares Curiæ sunt Vasalli, qui in eodem territorio degunt.*
689. *Decidunt controversias inter Dominum Feudi & Vasallum super Feudo ortas.*
690. *Tametsi Feudi Dominus sit Imperator, aut Rex.*
691. *Non judicant, si Feudum sit solum promissum & nondum collatum.*
692. *Et juxta communem DD. neque si lis est super Investitura, quæ à Vasallo negatur.*
693. *Dominus Feudi Clericus juxta multos DD. litigat coram Paribus etiam laicis.*
694. *Coram Paribus intentatur non solùm condictio ex Lege, sed aliæ quoque actiones.*
695. *Sunt Judices etiam in Possessorio.*
696. *Debent esse jurati, saltem juramento Fidelitatis in Investitura præstito.*
697. *Non sunt necessariò omnes vocandi ad litis decisionem.*
698. *Cogi ad iudicandum possunt.*
699. *Delegandæ iurisdictionis potestatem habent.*
700. *De dubio, ad Dominum an ad ipsos spectet causæ cognitio, simul cognoscunt cum Domino.*
701. *In causa non feudali non datur coram ipsis reconventio: nec coram Domino, nisi hic aliunde habeat jurisdictionem in causis non feudalibus.*
702. *Enarrantur casus, in quibus nec Dominus nec Pares super Feudo pronuntiant, sed Judex Ordinarius.*
703. *Arbitri assumi possunt à Domino Feudi & Vasallo litigantibus tam ad eligendos Pares Curiæ, quàm ad decidendam causam.*

704. *Vasalli quoque inter se litigantes compromittere in arbitros possunt, si non sit periculum præjudicij Domino inferendi.*

688. Pares Curiæ sive Curtis sunt Convasalli ejusdem Domini eodem in territorio degentes. In diversis territorijs seu districtibus si habitant vasalli, inter se Pares Curiæ non sunt, licèt sint ejusdem domini vasalli. Wesenbec. *tr. de Feud. c. 17. n. 3.* Rosenthal. *c. 12. concl. 23.* Bocer. *de Jurisdict. c. 3. n. 56.* Mynsing. *cent. 4. obser. 89. n. 14.* ubi addit, territorium hîc crasè (id est, in sensu latiore) accipi oportere, nimirum pro universitate ditionis, quæ specialem habet titulum, ac unius justam administrationem respicit. Itaque si Princeps plura habeat territoria seu ditiones, & in qualibet Beneficiarios seu Vasallos, rectè quidem omnes dicuntur ejusdem Principis Vasalli: non tamen omnes erunt Pares Curiæ, sed solùm hi, qui in territorio litigioso feudi beneficium habent. Necessarium tamen non est, quod volebant Innocent. Panor. Joan. Andr. Bald. ac alij, ut Pares Curiæ ab eodem domino habeant feuda ejusdem qualitatis & dignitatis: quia Pares Curiæ dicuntur *tit. 26. prin. lib. 1. Feud. qui ab eodem domino feuda tenent.* Nec ullibi requiritur, ut sint pares gradu & dignitate. Neque pares dicuntur inde, quòd pares sint feudi qualitate; sed quòd pariter sint vasalli ejusdem Domini, seu eundem Dominum & Judicem habeant.

689. Habent Pares potestatem cognoscendi & decidendi controversias inter dominum feudi & vasallum super feudo ortas. *tit. 10. lib. 1. Feud. tit. 22. & 39. lib. 2.* ac *cit. tit. 55. prope finem.* Quòd si dominus feudi alios vasallos non habeat, vel isti sint suspecti, vel ipsorum interest, uni potiùs litigantium quàm alteri causam adjudicari, vel testes in causa esse debeant, vel justitiam non administrent, vel vasallus contendens cum domino se vasallum esse neget, adeundus est Judex Ordinarius Rei, aut Arbitri eligendi, ut patet ex dictis *n. 297. & seq. ac n. 687.*

690. Excipit hîc Mart. Laudens. *tr. de Feud. ad tit. 18. L. 2. Feud.*

*Feud.* Imperatorem, negátque de hujus controversia cum vasallo posse cognoscere Pares Curiæ, eò quòd præsumatur summus Princeps justè judicaturus etiam in propria causa. Quam exceptionem defendere conatur Rittershusius facto Henrici VII. Imper. Robertum Siciliæ Regem vasallum, tanquam rebellem propriâ auctoritate damnantis, ut refertur *Clem. Pastoralis de sent. & re jud.* Addit item Auctor: *sed Papa Clemens V. sententiam illam Imperatoris rescidit, justis, ut videri vult, de causis: sed nullam declaravit.* Verùm qui Clementinam illam legerit, videbit Rittershusij vel calumniam, vel oscitantiam in legendo, & temeritatem in damnando, quod perfunctoriè & non totum legit. Cæterùm exceptionem illam benè rejiciunt Mynsing. *cent. 4. obser. 89. n. 2. & 3.* Rosenthal. *de Feud. cap. 12. concl. 16.* Vultejus *L. 2. de Feud. c. 2. n. 23.* cum Bald. Alvarot. Afflict. Curt. Jun. ac communi aliorum. Eo ipso enim quòd Imperator vel Rex feudum concedit inferioribus, sponte se subjicit Parium jurisdictioni, cùm contrahentes Legum auctoritati se conformare censeantur, & Princeps non ignoret, Feudorum lege Paribus Curiæ jurisdictionem in Dominum & Vasallum litigantes tribui. Potest autem major vel par minoris aut paris jurisdictioni se subjicere. *L. 13. §. Tempestivum ff. ad SC. Trebell.*

691. Aliæ quædam eæque graviores circa hanc Parium jurisdictionem quæstiones supersunt. Dubitatur I. An eam habeant, si lis sit solùm super promissione Feudi. Negandum est cum Panorm. in *C. Cæterùm de Judic.* Mozz. *tr. de Feud. c. de natural. Feud. n. 113.* Vultejo *l. c. n. 32.* Bocer. *de Jurisdict. c. 3. n. 58. arg. text. tit. 20. §. Item dicit*, & *tit. 39. §. si inter lib. 2. Feud.* Ratio est: quia is, cui promissio solùm de feudo facta est, nondum habet feudum, cùm hoc accipiat solùm per investituram, ac idcirco ante hanc vasallus non est. At Pares Curiæ solùm judicant inter dominum & eum, qui vasallus est.

692. Dubitatur II. An Pares Curiæ sint Judices inter dominum & vasallum, si de ipsa investitura lis est. Negat cum Innocent.

cent. Imola, Decio, ac communi DD. Mynsing. *cent. 1. obser. 99. n. 4.* eò quòd jurisdictio Parium cesset, si de vasallo non constat. Affirmat Schrader. *p. 10. de Feud. sect. 4. à n. 164.* approbante Bocero *l. c. n. 62.* & allegante textum *tit. 39. §. si inter L. 2. Feud.* ubi supponi videtur, ventilandam hanc controversiam esse coram Paribus Curiæ, præcipuè si prima & ultima verba *cit. §. si inter* considerentur. Quæ posterior opinio est multùm probabilis: nam cùm Pares faciliùs, quàm alij, judicare possint, utrùm facta sit Investitura, eò quòd ista coram Paribus Curiæ fieri debeat, juxta *tit. 2. §. 1. tit. 3.* & *tit. 4. §. 1.* & §. *Item si vasallus tit. 26. §. Testes verò L. 1. Feud. tit. 2. prin. tit. 16. prin. tit. 20. prin. L. 2. Feud.* expedit, cognitionem in hujusmodi dubio penes ipsos esse. Accedit, quòd Judex cognoscere potest, an sua sit jurisdictio, ut dictum est suprà *n. 18.* exceptis casibus *n. 21.* recensitis, quos inter non est iste, de quo hìc agitur. Neque aliunde satis constat, ad fundandam Parium jurisdictionem requiri, ut constet, hunc esse Vasallum. Et quamvis Dominus Feudi judicare nequeat inter Vasallos, quorum unus talem se esse inficiatur, ut dixi *n. 297.* hoc tamen inde provenit, quia judicando in tali dubio, judicaret in propria causa, eo ipso dum pronuntiando ipsum esse vasallum, rem esse feudalem & suam esse ac servitia feudalia sibi deberi pronuntiaret. Quæ ratio cessat in Paribus Curiæ, utpote quos ponimus ex sua sententia commodum non laturos.

693. Dubitatur III. An si dominus feudi est Clericus, v. g. Episcopus, Pares verò Curiæ laici, decisio causæ inter ipsum & vasallum motæ pertineat ad Pares laicos, tametsi Episcopus sit Reus. Affirmativa est communis inter Feudistas, & tenetur ab Innocent. *in C. verùm 7. de Foro comp. n. 2.* ac Oliva *p. 3. de Foro Eccles. q. 29. n. 21.* atque ita decisum est *tit. 20. L. 2. Feudor.* Ratio dari potest: quia quod Jure feudali receptum est, non legitur reprobatum ab Ecclesia. Tametsi enim, ut suprà non semel dixi, Clerici non sint subjecti jurisdictioni laicorum, imò ei se neque ultrò subijcere possint, nihilominus quia Ecclesia leges feudales

dales recepit quoad Clericum vaſallum, ita ut voluerit hunc ſuper feudo reſpondere coram laico feudi domino, ut dixi ſuprà *à n. 289.* cenſendum eſt, voluiſſe eas obſervari etiam quoad Eccleſiaſticum feudi dominum. Fatendum tamen eſt, inter utrumque caſum eſſe diſparitatem. Expedit enim Eccleſiæ bona à laicis in feudum habere, unde cùm aliter habere non poſſit, quàm illorum jurisdictionem agnoſcendo, & ſub hac conditione feuda concedantur Clericis, & Eccleſijs, mirum non eſt, quòd reſpondeant de feudo coram laicis. Quæ ratio, ut patet, non æquè procedit de Prælato Eccleſiaſtico feudum concedente. Præterea, quòd Clericus Vaſallus coram laico de re ad laicum pertinente reſpondeat, abſurdum non eſt: at indignum videtur & omnino alienum à Statûs Clericalis dignitate, ut Prælatus Eccleſiæ ſuper re ſua Eccleſiaſtica reſpondere teneatur coram laicis. Unde ex eo, quòd Eccleſia agnoſcit jurisdictionem laicam quoad Clericum habentem feudum ſeculare, neutiquam ſequitur, quòd illam etiam agnoſcat quoad Prælatos feudum laicis concedentes.

694. Dubitatur IV. An penes Pares Curiæ ſit jurisdictio, ſi de feudo alia actio moveatur inter dominum & vaſallum, quàm condictio ex lege ſeu moribus Feudorum. Hanc ſolùm condictionem coram Paribus admittunt Mynſing. *cent. 1. obſer. 99. n. 3.* Schrader. *l. c. ſect. 6. n. 40.* ac alij. A quorum tamen opinio ne recedendum puto cum Bocero *l. c. n. 63.* Nam dominus contra vaſallum debita ſervitia non præſtantem, experiri poteſt ad repetendum feudum condictione *causâ datâ causâ non ſecutâ. tit. 21. l. 1. Feud.* Quæ tamen, cùm ſit de feudi amiſſione, pertinet ad Pares Curiæ. *tit. 22. §. ult. L. 1. Feud.* Pariter rei vindicatio, quæ competit domino adversùs vaſallum ad repetendum feudum ob feloniam ipſo jure amiſſum, in judicio Parium intentanda eſt. *tit. 22. L. 2. Feud.* Demum utilis vindicatio competit vaſallo non tantùm adverſus extraneum, ſed etiam ipſum dominum feudi poſſeſſorem. *tit. 8. §. Rei autem l. 2. Feud. junct. L. 1. in fin. ff. ſi ager vectig.* Quæ tamen actio apud ſolos Curiæ Pares inſtitui poteſt.

*tit. 2. §. si verò vasallus conqueritur. tit. 16. prin. tit. 20. prin. tit. 39. §. si inter, & tit. 55. §. penult. L. 2. Feud.*

695. Dubitatur V. An si vasallus agat adversùs dominum interdicto de feudi possessione, hæc controversia ad Parium cognitionem pertineat. Affirmantem communem sententiam quoad feudi dominum, quòd videlicet sit Judex competens non tantùm in petitorio, sed etiam possessorio, amplexus sum suprà *n. 291.* Cùm igitur par sit ratio de Paribus Curiæ, idem modò de his statuendum est: cumlimitationibus tamen positis *cit. n. 291. in fine.* Favet huic opinioni cùm textus *tit. 22. §. si verò vasallus L. 2. Feud.* tum quòd idem Judex de proprietate & possessione cognoscit. *L. Nulli 10. C. de Judic. C. 1. de Sequest. possess. & fruct.* Non obstat, quòd possessio cum proprietate nihil commune habet. *L. 12. §. 1. de acquir. possess.* Sensus enim duntaxat est, quòd illa apud hunc, altera apud alium esse possit. *L. si quis vi 17. §. 1. ff. eod.*

696. Dubitatur VI. An Pares Curiæ debeant esse jurati. Non est dubitandum, posse dominum & vasallum litigantes consentire in non juratos, cùm possint alijs, quàm Paribus, jurisdictionem prorogare. Ille tamen vasallus, qui fidelitatem domino non juravit, domino vel vasallo dissentiente pro Pari non est eligendus, ut dicitur *tit. 16. L. 2. Feud.* Solùm igitur quæstio est, an sufficiat juramentum Fidelitatis præstitum, vel an de novo præstare juramentum debeant de rectè judicando. Novo juramento adstringendos esse censent Præpositus ac alij. Sufficere juramentum Fidelitatis in investitura præstitum, judicat cum Isernia ac alijs Mynsing. *cent. 4. observ. 89. n. 8. & 9.* eò quòd textus *§. penult. de prohib. feud. alien. per Frider.* loquatur solùm de Paribus sub debito Fidelitatis, non autem sub debito rectè judicandi juratis. Videtur consulenda consuetudo locorum, juxta quam in Germania ferè jurant vasalli, se administraturos justitiam & rectè judicaturos, ut testatur Zasius *in Epit. Feud.* & Hart. Hartmanni *L. 2. Pract. obser. tit. de Feud. observ. 23.*

697.

697. Dubitatur VII. An omnes Pares ejusdem domini ad judicandum vocari debeant Posse omnes vocari & judicare, si litigantes velint, nemini dubium est. Non dari obligationem vocandi omnes, sed aliquos tantùm, ita ut si in electione dissentiant, priùs dominus eligat, postea vasallus pari numero, quo elegit dominus, constat ex *tit. 16. L. 2. Feud.* Illud verò controversum est, quid agendum sit, si alteruter nolit eligere. Solius domini esse electionem facere, si vasallus diverticula quærens eligere nolit, ait cum Isernia multísque alijs Mynsing. *l. c. n. 10.* Idémque haud dubiè viciſſim dicent de vasallo, nolente eligere domino. Cùm verò super hoc nihil Jure proditum sit, & facultas eligendi non cogat ad eligendum, forsan rectiùs cum Sonsbecio ac alijs dicetur, cognitionem causæ tunc pertinere ad omnes Pares Curiæ, qui commodè haberi possunt: eò quòd in omnes censeatur consentire, qui eligere certos non vult, aliquos tamen admittere tenetur. Porrò consuetudinem, quâ solus dominus eligat, irrationabilem & iniquam esse, cum Zasio ait Gail. *L. 2. obser. 34.* & ita in Camera judicatum fuisse testatur: eò quòd hac ratione dominus quodammodo in causa propria Judex esset futurus, utpote eos electurus, à quibus sibi promitteret victoriam.

698. Dubitatur VIII. An Pares Curiæ, si renuant, cogi ad judicandum possint. Communior DD. contra Isern. Zasium ac alios non absque causa affirmat. Tum à paritate Tutorum, qui cogi ad tutelam possunt, quia est officium publicum. Tum quòd sunt Judices Ordinarij, quia habent à Lege jurisdictionem; Judex autem Ordinarius ad judicandum cogi potest; imò & Delegatus, si subditus est Delegantis. Tum quòd tacita de hoc conventio inter ipsos & dominum esse censetur. Tum denique, quòd Vasalli promittunt, se velle justitiam facere domino: quamvis per hoc, ut putat Haunold. *tom. 3. de Justit. tr. 9. n. 961.* solùm promittant, quòd velint in judicio comparere citati. Saltem in Germania, teste Zasio *p. 11. n. 20.* vasalli in suo juramento Fidelitatis promittunt, se in talibus causis judicaturos.

699. Dubitatur IX. An Pares Curiæ ſuam jurisdictionem alteri delegare poſſint. Ratio dubitandi eſt: quia Arbitris id licitum non eſt, & Pares videntur eſſe inſtar Arbitrorum. Verùm ſuppoſitâ communi DD. ſententiâ, quòd Pares ſint Judices Ordinarij, dicendum eſt, poſſe delegare: quia hoc conceſſum eſt Ordinario Judici, ut dixi ſuprà *n. 466.* Delegatus tamen à Paribus ſubdelegare nequit: cùm hoc conceſſum duntaxat ſit Delegato ſupremi Principis juxta *n. 468.*

700. Dubitatur X. Quis judicet in dubio, quo controvertitur, ad dominum an ad Pares Curiæ cauſæ cognitio ſpectet. Reſpondeo cum Curt. Jun. Zaſ. Weſenbec. Vult. ac alijs, tunc Pares cum Domino cognoſcere. Cùm enim jus cognoſcendi vel ad hunc vel ad illos ſpectet, & Judex non tantùm Ordinarius, ſed etiam Delegatus, cognoſcere poſſit, num ſua jurisdictio, juxta dicta *n. 18. & 19.* conſequens eſt, quòd illi cognoſcere de hoc poſſint. At quia tam de Domino quàm de Paribus eſt dubium, utrique cognoſcent. Ex quo rurſum conſequens eſſe videtur, quòd in dubio, an jurisdictio in aliqua cauſa pertineat vel ad Ordinarium, vel ad Dominum, vel ad Pares, hos omnes ſimul debere de tali dubio cognoſcere.

701. Dubitatur XI. An Reus conventus coram Paribus Curiæ poſſit coram ijsdem reconvenire Actorem in cauſa extranea & ad Judicem Ordinarium ſpectante. Negandum eſt cum communi DD. ac univerſim ſuprà *n. 603.* negavi reconventionem in cauſis feudalibus quoad cauſas non feudales. Ut adeò nec coram Domino vaſallus vaſallum in cauſa ad feudum non pertinente reconvenire poſſit, niſi is aliunde habeat jurisdictionem in cauſis non feudalibus. Quia poteſtas tam Domini quàm Parium Curiæ limitata eſt ad cauſas feudales. Idem ſtatui *n. 456.* de Prorogatione, eam videlicet locum non habere in cauſis feudalibus, niſi conſentiat Dominus, ſeu licentiam det vaſallis coram alio Judice litigandi.

702. Cùm modò paucis explicatum ſit, quando Pares Curiæ ſint Judices in cauſis feudalibus: ſupereſt, ut etiam de Judice Ordi-

Ordinario & Arbitris agatur; nam hos quoque in illis causis judicium suum vel arbitrium quandoque interponere, annotavi supra *n. 683*. Et Ordinarius quidem Judex in causa feudi competens est, quando super illo lis est vel Domino vel vasallo cum aliquo extraneo, seu eo, qui vasallus non est, aut certè talem se esse diffitetur. Cùm enim Leges Feudales hactenus allegatæ Domino jurisdictionem solùm concedant, quando inter se contendunt Vasalli; & Paribus Curiæ tunc solùm, quando vasallus litigat cum Domino: consequens est, quòd extra hos duos casus adiri alius Judex debeat, ac proinde Rei Judex Ordinarius. Præterea Ordinarius Rei vel Vasalli vel Domini Judex est competens in ijs casibus, quos enarravi *n. 687.* & *n. 689*. Solùm aliqua controversia est de casu, quo Dominus litigans cum Vasallo non habet alios vasallos: nam non Ordinarium tunc adeundum, sed arbitros eligendos esse existimârunt nonnulli. Verùm communis DD. Ordinario jurisdictionem rectè adjudicat: quia hic fundatam habet jurisdictionem, quamdiu Jura alteri Judici eam in aliqua causa non tribuunt, uti tribuunt v. g. ratione rei sitæ. Pariter jurisdictio competit Ordinario, quando duo vasalli litigant super feudo, quorum uterque dicit, feudum ad se spectare, & non ad alterum. Ita tradit communis DD. ac sumitur ex *tit. 15. §. Illud L. 2. Feud.* Ratio est: quia licèt in tali casu quivis se dicat esse vasallum, simul tamen quivis negat, alterum esse vasallum. Quicunque ergo ipsorum vicerit, verificabitur, unum ex ipsis non esse vasallum, ac proinde cognitio non pertinet ad Dominum, utpote penes quem tunc solùm est jurisdictio, quando vasalli inter se litigant. In dicto autem casu litigat vasallus cum non vasallo.

703. Quoad Arbitros consensu DD. receptum est, posse ipsos eligi à Domino & Vasallo litigantibus ad eligendos Pares Curiæ. *arg. C. causam, C. in causis, C. cùm dilecti, C. quia propter de Elect. C. si compromissarius eod. in 6. L. Item eorum 6. §. si decuriones ff. quod cujusque univers.* Pariter compromitti in Arbitros potest quoad ipsam causam inter Dominum & Vasallum litigiosam. Cùm

partes communi consensu controversiam definiendam committere possint arbitris. *C. sanè 1. de Arbitr.* neque causa feudalis, quæ agitatur inter Dominum & Vasallum, ullibi excepta sit, sicut excepta est Criminalis, Matrimonialis, de libertate hominis, de exemptione Ecclesiæ aut Monasterij. Neque obstat, quòd *tit. 18. L. 1. Feud. tit. 16. 20. 30. & 39. §. 1. lib. 2.* dicitur, judicandi potestatem esse penes Pares Curiæ, si inter Dominum & Vasallum super feudo lis sit. Hinc enim solùm sequitur, quòd illi jurisdictionem habeant, & adiri possint; non verò quòd adiri debeant, nec in arbitros compromitti possit. Sicut arbitri non excluduntur in alijs causis ex eo, quòd Jura ordinarium Rei Judicem adeundum esse dicunt.

704. Gravis tamen controversia est de ipsis vasallis inter se litigantibus, utrùm videlicet relicto Domini foro compromittere in Arbitros possint. Plurimi, quos refert Rosenthal *de Feud. c. 9. concl. 22. n. 4.* affirmant. Addunt tamen aliqui, hoc solùm procedere tunc, quando de alio præjudicio Domini non agitur, quàm quòd fortè alium vasallum accipiat. Alij addunt, posse vasallum litigare coram Arbitro, nisi Dominus hoc intelligens prohibuerit. Negant demum absolutè complures: nisi consensus domini accedat. Quam opinionem communem dicit Socin. Jun. *vol. 1. consil. 77. n. 76.* & magis communem Clarus *L. 4. sent. §. Feudum q. 39.* Ego ex rationibus, quæ pro singulis opinionibus afferuntur, colligo, earum Auctores reipsâ non dissidere; sed asserere, uti asserendum esse judico, quod tenent Clarus *cit. q. 39. in fin.* & Curt. Jun. *p. 4. de Feud. n. 99.* valere compromissum in arbitros, si non sit periculum alienationis & præjudicij Domino inferendi; secùs, si tale periculum subsit. Quemadmodum DD. idem tradunt de Transactione. Hinc cum eodem Claro & Curtio idem tenendum existimo de Arbitratore, seu illo, qui ex æquo & bono sine tela & ordine judicario litem componit: quamvis teste Claro *l. c. n. 1.* & Roland. à Valle *vol. 4. consil. 22. n. 1.* inter omnes DD. conveniat, non posse in Arbitra-

bitratorem compromittere. Nam ratio solùm datur, quòd Arbitramentum à Transactione nihil aut parùm differat. Cùm igitur Transactio circa feudum valeat, si non agitur de alienatione alióve Domini præjudicio, consequens est, idem dicendum esse de Arbitramento.

# CAPUT IV.

## De Causis ad Cameram Imperialem & Concilium Imper. Aulicum pertinentibus.

### §. I.

### *Quinam ratione Personæ immediatè subsint Jurisdictioni Cameræ Imperialis.*

SUMMARIUM.

705. *Cameræ Imperialis Jurisdictio fundata est vel ratione Personæ, vel ratione Causæ.*
706. *Conveniuntur in illa Personæ Camerales.*
707. *Commissarijs Cameræ injuriam passis datur ibidem actio.*
708. *Nec non ejus Procuratoribus, Advocatis, & Executoribus, ratione salariorum & sumptuum.*
709. *Convenitur in Camera reus, qui domicilium habet sub jurisdictione litigiosâ inter Dominos immediatè subjectos Imperio.*
710. *In eadem conveniunt Status Imperij suos subditos.*
711. *Banniti & Proscripti, qui privilegium fori habuerunt, ibidem conveniuntur.*
712. *Nec non illi, qui ejusdem jurisdictioni sponte se subjiciunt.*
713. *Ac Status Imperij frustrà contra grassantes milites implorati. Item Circuli Imperij membra alterius Circuli ad se trahentes.*
714. *Denique omnes, qui Imperio immediatè sunt subjecti; nisi exemptione gaudeant vel de Jure Imperij, vel consuetudine, vel speciali privilegio.*

705.

705. Quamvis Jurisdictio Cameræ Imperialis, tanquam summi in S. R. Imperio Tribunalis, maxima sit ac latissimè pateat, non tamen sub illa, uti notorium est, omnes omnium generum lites disceptandi potestas comprehenditur. Ac idcirco Reus ibidem conventus non semper respondere tenetur, sed incompetentiam fori opponendo eam tanquam forum incompetens declinare potest. Licèt autem quævis causa & promiscuè non pertineat ad Cameram in prima instantia, sed demum per viam appellationis ad eam devolvatur: sunt tamen non paucæ, in quibus Camera per modum simplicis querelæ, ut ait Gail. *lib. 1. obser. 1. n. 1.* in prima instantia adiri potest, quæ partim in Ordinatione Cameræli expressæ sunt, partim stylo illius Judicij hactenus observatæ. Sunt præterea multæ personæ, quæ immediatè in illa conveniuntur.

706. Fundata itaque Jurisdictio Cameræ est tam ratione Personarum, quàm ratione Causarum. De Personis *hoc* §. agam, de Causis *§. seq.* Ratione Personarum fundatur I. si persona Cameralis convenienda est, quales sunt non solùm Judex, Præsides, Assessores, Advocati, Procuratores, & reliqui eidem Cameræ juramento adstricti, quamdiu functionibus Cameræ sunt addicti & ad aliam jurisdictionem non transeunt: sed etiam ipsorum uxores, liberi, scribæ, & reliquum famulitium. *O. C. p. 1. tit. 63. prin. R. J. anno 1654. §. 141.* Quin & eorum viduæ cum suis liberis & reliqua familia, quamdiu ad secunda vota non transeunt, aut aliter alteri cuidam jurisdictioni se non subdunt. *cit. §. 141.* Nec non Praxis Cameralis studiosi (quos Practicantes dicunt) si in Matriculam Cameræ sunt recepti. Mynsing. *cent. 5. obs. 52. n. 2.* Et litigantes, eorúmque solicitatores, quando in loco Cameræ præsentes, ibíque duntaxat ad suam ac principalium suorum litem promovendam commorantur. Non tamen vel litigantes vel ipsorum solicitatores conveniri quacunque actione apud Cameram possunt, sed duntaxat, si apud Judicium Camerale commorantes contraxerint, aut deliquerint, & tempore instituendæ actionis

nis ex contractu vel delicto ortæ ibidem inveniuntur, uti patet ex ijs, quæ dixi suprà de Foro Delicti & Contractûs. Quoad reliquas causas & actiones jus revocandi domum habent. Mynsing. *l. c. n.* 3. Blumen *de Proceſſ. Camer. tit. 26. n. 6. & 7.* Quoad Principes, Comites, aliósque, qui privilegio Austregarum gaudent, distinguendum videtur cum eod. Blumen *l. c. n.* 15. ac dicendum, eos immediatè conveniri posse coram Camera actione, quæ oritur ratione officij, ijsque tanquam Personis Cameralibus intentatur; reliquas verò causas judicio Austregarum decidendas esse.

707. II. Si quis Commissario à Camera dato, durante commissione tanquam Commissario, injuriam inferat, processus in Camera decernitur contra injuriantem: quia injuria Cameræ illata censetur. Gylman. *V. Injuria* §. *sed quid.*

708. III. Pars litigans ratione residui salarij ab Advocato aut Procuratore Cameræ convenitur in Camera. *O. C. p. 1. tit. 46.* §. *10.* Gaill. *cit. obser. 1. n. 37.* & *obs. 44. n. 5.* Matth. Stephani *lib. 2. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 73.* Et quidem juxta praxin sive litigans immediatè sit subjectus sive mediatè, sive absens sit à loco Cameræ sive præsens: de quo fusè Blumen *l. c. à n. 18.* & *tit. 34. à n.* 249. Dixi *ab Advocato aut Procuratore Cameræ.* Nam Advocati & Procuratores extranei suos Clientes, quibus in Camera inserviunt, non coram eadem, sed coram Judice ipsorum ordinario, conveniunt. Par est ratio de Commissarijs à Camera datis: nam & isti litigantem, qui commissionem impetravit, ratione salarij indistinctè coram Camera conveniunt. Gaill. *cit. n. 37.* Par quoque de Executoribus in Camera datis: nam etiam isti ratione sumptuum in executionem factorum convenire coram eadem possunt eos, in quos executio facta est. *O. C. p. 2. tit. 17.*

709. IV. Convenitur in Camera reus, qui domicilium habet sub jurisdictione inter dominos Imperio immediatè subjectos litigiosâ: si quidem dubia & litigiosa sit ipsa possessio. Tunc enim neuter Judex esse potest, ac propterea proximè superior Judex,

qui in tali casu est Camera, adeundus erit, ut patebit ex dicendis §. *seq.* Quia verò causa criminalis, pœnam corporis afflictivam persequens, ad Cameram non pertinet, ut postea dicetur, idcirco pendente illo litigio super possessione jurisdictionis, litigantes domini sequestrum eligere possunt, qui reum capiat, & pro qualitate delicti puniat, aut si super hoc inter se non conveniant, Camera ad implorationem partis læsæ aliquem deputare potest. Gylman. *V. Jurisdictio* §. *ult.* Blumen *cit. tit. 26. n. 22. & 23.*

710. V. Si Princeps aliúsve Imperij Status subditum sibi immediatè subjectum, aut civitatem municipalem seu immediatè sibi subjectam convenire velit, id coram Camera facere tenetur, ut dixi suprà *n. 349.* Et quamvis Princeps civem seu subditum suæ municipalis Civitatis convenire possit coram Magistratu illius Civitatis tanquam ordinario illius subditi Judice, recusari tamen à Reo Judex iste potest tanquam suspectus, cùm periculum sit, ne Magistratus timore vel amore sui Principis à recti tramite deviet. Unde nisi Reus in suum illum Magistratum consentiat, adeunda contra ipsum Camera erit: quia Judicem, qui adversarij mei subditus est, tanquam suspectum recusare possum. Panor. & commun. DD. *in C. Accedens 1. Ut lite non contest.* Maranta *in Specul. p. 6. rubr. de Appellat. n. 40.*

711. VI. Reus bannitus ac regalibus & beneficijs Juris communis privatus, cùm omnia privilegia amittat *L. Is qui reus ff. de Publ. Judic.* ac consequenter etiam privilegium fori, conveniendus est in Camera Imperiali. Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 38.* Hinc si privilegio Austregarum gaudens proscribatur, non potest nominare Judices, de quibus dixi suprà *n. 342. & seqq.* ac per consequens ipsius causa immediatè in Camera recipitur. Mynsing. *cent. 1. obser. 90.* Nisi causa esset talis, quæ in illa tractari non solet, uti est Matrimonialis, Criminalis, Feudalis &c. de quibus postea: quia tunc Ordinarius hujusmodi causarum Judex adeundus erit, utpote qui per bannum in proscriptum suâ jurisdictione non privatur. Eadem est ratio de alijs & perpetuis Magistratibus, seu

ijs,

ijs, qui sunt proscriptorum Judices de Jure communi & non ex privilegio. Mynsing. *l. c. in fine*, Blumen *l. c. n.* 25.

712. VII. Conveniri immediatè in Camera potest, qui suo foro renuntiat, séque Jurisdictioni Camerali subjicit. Gaill *l. c. n.* 29. cùm quilibet favori pro se introducto renuntiare possit, *L.* 29. *C. de Pact.* & Judici non suo jurisdictionem in se prorogare, juxta dicta suprà *à n.* 438. exceptis cautis, quas enarravi *n.* 450. *& seqq.* Quandonam verò ad hanc prorogationem requiratur consensus proprij Judicis, dixi *n.* 431. *& seqq.* Fit autem hæc renuntiatio proprij Fori vel tacitè, si nimirum conventus in Camera privilegium fori non opponit; vel per compromissum aut aliam conventionem, juxta dicta suprà *à n.* 418. Cæterùm notant hîc Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 88. & Gylm. *V. Renuntiatio* §. 1. renuntiationem, quæ fit per conventionem, debere esse specialem, videlicet ut quis in specie suo foro renuntiet, sive exprimat, ubi conveniri velit: neque enim fundari jurisdictionem per generalem renuntiationem, quâ dicit Reus, posse adversarium coram quocunque Tribunali agere, das Kläger Jhn vor allen Gerichten fürnehmen möge. Et ita in Camera decisum esse refert Mynsing. *l. c.* eò quòd illa generalis renuntiatio solùm intelligenda sit de Judicijs competentibus. Videantur ea, quæ dixi suprà *n.* 192. Quin si quis expressè promisisset, se in Camera responsurum, at solùm extra judicium & privatâ tantùm scripturâ, posset nihilominus pœnitere & ad Judicem competentem provocare, uti in Camera decisum esse & observari asserunt Mynsing. *l. c.* & Magenh. *ad Ord. Cam. p. 2. tit. 1. §. fin.*

713. VIII. Si Status Imperij imploratus contra milites in ipsius territorio grassantes auxilium implorantibus non tulerit, possunt, qui frustrà eum implorârunt, in Camera eundem convenire ratione damni illati. Landfr. *anno* 1548. *art.* 24. & sequitur ex dictis *n.* 343. Idémque tenendum est, si unus Circulus Imperij in suum Circulum alterius Circuli Status pertrahat. *R. J. a.* 1548. §. 49. Ac universim si unus Immediatus alium Immediatum ab

immediata subjectione avellere & in suam jurisdictionem pertrahere conetur. cit. R. J. §. 54. & 61. Quandonam verò Status Imperij S. R. aliíque Imperio immediatè subjecti conveniri in Camera possint, & quando ab his ij, qui Imperio mediatè subjecti sunt, patet ex dictis suprà 347. & seqq. Quibus hîc addendum est, quod Blumen *Proceſſ. Cam. tit. 26. n. 46.* contra Gaillium fusè ostendit, Capitulum Cathedrale Sede vacante Imperij Statum esse, quatenus repræsentat Episcopum, ac proinde jure repræsentationis privilegio Austregarum gaudere.

714. IX. Universim omnes & singuli Imperio ac Cæsareæ Jurisdictioni immediatè subjecti habent in Camera forum competens: nisi ab ejus jurisdictione sint exempti aut per legitimam consuetudinem, O. C. *p. 2. tit. 30. V.* Rechtmässige Gewohnheiten; aut per immunitatem ac specialia privilegia, *cit. tit. 30. V.* Freyheiten / & *V. Privilegia*, quale privilegium quoad primam instantiam concessum esse non paucis Civitatibus Imperialibus, dictum est suprà *n.* 348. vel gaudeant Austregis, iísque vel Ordinationis Cameralis, *cit. tit. 30. V.* Sondere Austrâg / vel Conventionalibus, *cit. tit. 30. V.* Gewillkühre / de quibus fusè suprà *à n.* 338.

## §. II.

## *Quæ Causæ ad Cameram Imperialem pertineant.*

### SUMMARIUM.

715. *Ad Cameram Imper. pertinet causa violatæ Pacis Religiosæ.*
716. *Et publicæ prophanæ.*
717. *Causæ quoque Fiscales.*
718. *Possessionis litigiosæ.*
719. *Pignorationum.*
720. *Arrestorum.*

721.

721. *Mandata de non offendendo.*
722. *Si agatur ex L. Diffamari.*
723. *Causa denegatæ vel protractæ iustitiæ.*
724. *Causa violati privilegij Cæsarei.*
725. *Causæ continentes.*
726. *Causæ citationum ac mandatorum pro relaxando juramento ad effectum agendi.*
727. *Commissiones pro recipiendis testibus ad perpetuam rei memoriam.*
728. *Causæ ex edicto novi operis nunciationis.*
729. *Causæ Pupillorum, Viduarum, ac miserabilium personarum.*
730. *Causæ Compromissorum, si à laudo petitur reductio.*
731. *Causæ Rei immediatè Imperio subjecti, negligentis nominare Judices Austregarum, aut judicio se non sistentis.*
732. *Mandata sine clausula.*
733. *Actiones reales super bonis & feudis immediatè subjectis Imperio.*
734. *Confirmatio contractuum ab immediatis Imperij subditis initorum.*
735. *Adoptio, Arrogatio, & Emancipatio.*
636. *Causæ appellationum à Judicibus Cameræ immediatè subjectis, Paribus Curiæ, Judice Reductionis &c.*
737. *Jurisdictio Cameræ fundata est quandoque ratione solius causæ, quandoque ratione causæ simul & Rei, quandoque ratione Rei & Actoris.*
738. *Imperator concurrentem cum Camera jurisdictionem habet.*

715. Causæ, in quibus fundatam Camera Imperialis jurisdictionem habet, sunt complures, cum aliquo tamen inter eas discrimine, de quo commodiùs dicetur, postquam illæ fuerint in medium allatæ. Igitur ad Cameram pertinet I. Causa seu actio vel accusatio super Constitutione Pacis Religiosæ, quando scilicet Religionis intuitu contra placita illius Constitutionis aliquis

vel in perſona vel in rebus ſuis turbatur. *R. J. Auguſtæ anno 1555. §. 32.* Gaill. *lib. 1. obſ. 1. n. 2. & obſ. 2. n. 1.* Mindan. *lib. 1. de Proceſſ. c. 20. n. 1.* Roding. *Pandect. Camer. lib. 1. tit. 6.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 37. lit. B.* Matth. Stephani *lib. 2. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 83.* Pax hæc Religionis, & Pacificatio Religioſa, eſt Conventio unanimi Imperatoris ac Statuum Imperij de ſe invicem intuitu Religionis non turbandis conſenſu inita per *cit. R. J. §. 13. & 14.* & quidem ſtabiliter ac in perpetuum, cùm jam antè temporaria fuerit inita, ſeu potiùs induciæ, anno 1532. 34. 39. 41. 42. & 45. Comprehendebantur illa initio ſoli Catholici & Lutherani, ſeu, ut ſe nominant, Evangelici. Admiſſi poſtea ſunt etiam Calviniſtæ, ſeu ij, qui Reformatos ſe dicunt, per Inſtr. Pac. Oſnabrug. *art. 7. prin.* & R. J. *anno 1654. §. 23.* ac illâ etiamnum excluduntur Zvvingliani, Anabaptiſtæ, Ariani &c. Itaque actio fractæ ſeu violatæ Pacis Religioſæ, oritur, quoties quis ex Catholicis, Lutheranis, aut Calviniſtis Romani Imperij ſubditis intuitu Religionis turbatur. Et quidem competit omnibus abſque diſtinctione, utrùm mediatè an immediatè Imperio ſubſint. cit. R. J. *a. 1654. §. 193.* Quin immediatis Imperij ſubditis competit non ſolùm ſi ipſi, ſed etiam ſi ipſorum ſubditi turbentur. Et quamvis non competat niſi Catholicis, Lutheranis, & Calviniſtis, uti dictum eſt: competit tamen adversùs omnes turbatores, tametſi ex tribus enarratis non ſint. Quòd ſi mediatus Imperij ſubditus turbet alium vel immediatum vel mediatum, v. g. Civitas municipalis aliam municipalem, agi contra turbantem poteſt vel in Camera, vel coram Judice ipſius Ordinario, quemadmodum id fieri poteſt, ſi agatur ſuper violata Pace profana, ut infrà dicetur. Et quamvis olim inter Aſſeſſores Cameræ controverſum fuerit, an ſubditis contra ſuos Magiſtratus ſuper Pace Religioſa proceſſus decerni deberent, tandem tamen per majora placuit eosdem decernere, uti etiam decreti non ſemel fuerunt. Gylm. *tom. 1. p. 1. fol. 179. & ſeqq.* Unde verum non eſt, quod Mindan. *de Proceſſ. c. 28. n. 4.* aliíque ex ipſo ajunt, ad hoc ut ſuper Pace Religioſa in Camera

agi

agi queat, necessariò requiri imedietatem utriusque partis. Cæterùm in supplicationibus Cameræ exhibendis necesse non est clausulam, *turbationem intuitu Religionis esse factam*, expresè opponi; sed sufficit, si ex facti narratione rerúmque circumstantijs vel verbis æquipollentibus ea qualitas colligi possit. Gaill. *lib. 1. obser. 2. n. 1.* Gylman. *tom. 1. p. 1. pag. 206. n. 5.* Blumen *Process. Camer. tit. 28. n. 64.*

716. II. Pertinet ad Cameram Imper. Causa fractæ Pacis publicæ prophanæ. Ord. Cam. *p. 2. tit. 9.* Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 2.* & *obs. 3. n. 1.* ac *de Pace publ. lib. 1. c. 11. à n. 1.* Mindan. *l. c. c. 20. n. 1.* & *c. 22. n. 1.* Roding. *l. c. tit. 7.* Matth. Stephani *cit. c. 3. n. 86.* Paurmeist. *de Jurisd. lib. 2. c. 4. n. 116.* Pax hæc publica prophana, cùm in Aur. Bulla *tit. 17.* tum varijs Recessibus Imperij constituta, præcipuè *anno 1495. art. 1. & 2. anno 1512. §. 3. & 8. anno 1521. 1551. §. 14. & 15. anno 1555. §. 33. anno 1557. §. 69.* ac pluribus alijs, est Conventio unanimi consensu Imperatoris ac Statuum de sibi invicem vim publicam dolosè non inferendo, sed inferendam aut illatam fideliter removendo, inita. Eâ prohibetur inprimis Diffidatio (dicta à Gallico *Defier*, vel Italico *Sfidare*) seu provocatio, & belli ac extremæ ad bona, vitam, corpus ac sanguinem persecutionis denunciatio. 2. Invasio, captura, obsessio. 3. Spoliatio possessionis, videl. Arcis, Oppidi, Pagi, Sacræ Ædis, Monasterij, Redituum, Pensionum, Decimarum, Bonorum immobilium ac mobilium, Degalium, Jurisdictionis &c. armatâ manu factóque violento dolosa privatio. 4. Corruptio, concitatio, abductio alienorum subditorum. 5. Offensio & vis illata alienis subditis, & libera commeandi facultas negata. 6. Impeditio & detentio commerciorum, victualium, pensionum &c. 7. Auxilium, consilium, receptaculum præbitum vagis & grassatoribus militibus, subditis alienis à suo domino profugis, pacifragis, bannitis &c. Plura hîc addere de Pace hac publica, extra præsens institutum foret. Videri possunt Gaillius *lib. 1. & 2.* quos de illa conscripsit, Gylman. *Symphorem p. 1.*

Blumen

Blumen *Proceſſ. Camer. tit. 29.* Mindan. *cit. c. 20.* aliíque Germaniæ noſtræ Practici.

717. III. Cauſæ Fiſcales, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ. Ord. Cam. *p. 2. tit. 21. prin. & §. ult.* Gaill. *lib. 1. obſer. 1. n. 25.* & *obſ. 20. n. 1.* Roding. *cit. lib. 1. tit. 8.* Matth. Stephani *cit. c. 3. à n. 37.* Paurmeiſter *cit. c. 4. n. 117.* Niſi ſint Cauſæ Fiſcales, quæ Ducatum, Comitatum, territoria, urbes, arces ſpectant: hæ enim ſine ſpeciali Cæſareæ Majeſtatis auctoritate in Camera tractari nequeunt. O. C. *p. 1. tit. 16. §. 3.* Græven *p. 1. concluſ. 20. n. 3.* Neque de Jure Communi fiſcus habet alium Judicem, quàm Cæſarem, agendo & conveniendo. *L. 1. & 2. C. Ubi Cauſæ fiſcal. vel divinæ dom.* Et quamvis differentia ſit inter Fiſcum Cæſareum ſeu Imperatoris, & inter Fiſcum Imperialem ſeu Imperij, cùm hic propriè appelletur, quidquid ad commodum pecuniarium Imperij pertinet & omnes ejus reditus, uti ſunt collectæ Imperij pro bello, ſuſtentatione Cameræ Imperialis &c. fiſcus verò Imperatoris ſit, quidquid ad patrimonium Imperatoris immediatè pertinet, uti v. g. olim erant collectæ pro Romana expeditione, ac etiamnum omnes pœnæ ac mulctæ, quas Procurator Fiſci Cæſarei exigit, ſi quis adversùs Auream Bullam, Conſtitutionem Pacis publicæ, Ordinationem Politicam, Edictum Monetale &c. delinquat, aut mandatis Cæſareæ Majeſtatis vel Judicij Imperialis non pareat; aut in ſolvendis collectis Imperij vel ſuſtentatione Cameræ moram nectat; aut Camerali Judicio non pareat; quoad cauſas in Camera pendentes alibi mandata inhibitoria, reſtitutoria, avocatoria, aut ſuſpenſoria impetret, & per hæc illas cauſas retardet; ſubditos Imperij ad judicium extraneum pertrahat; deliberationibus contra Chriſtianos ac Romanum Imperium interſit, aliáve ratione auxilium aut conſilium contra illa præſtet; infeſtatis per vagos milites auxilium imploratus non ferat &c. idem nihilominus Procurator Fiſci Imperatoris & Imperij eſt, ac propterea S. C. Majeſtatis & S. R. Imperij Generalis Fiſcalis, ac in Conſtitutionibus Imperij ſimpliciter Fiſcalis Cæſareus dicitur: cujus

cujus officium & poteſtatem fusè præter Gylman. ac alios ex Ord. Cam. & varijs Receſſibus Imperij latè explicat Blumen *Proceſſ. Camer. tit. 30.*

718. IV. Cauſæ litigioſæ poſſeſſionis. Ord. Cam. *p. 2. tit. 21.* Gaill. *cit. obſer. 1. n. 14.* Mindan. *lib. 1. de Proceſſ. c. 20. n. 1. & 43.* Roding. *lib. 1. c. 9.* Stephani *cit. c. 3. n. 145.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 37. lit. E.* Cùm enim propter poſſeſſionem Jurisdictionis, territorij, collectarum, jurisvenandi, ſalvi conductûs, ſervitutis &c. ſæpe contentiones inter Status & Nobiles Imperij orirentur, ac ſæpe etiam ad vim & arma concurreretur, conſtitutum eſt ſub Maximil. I. per R J. *anno* 1512. §. *57.* poſtea rurſus promulgatum ſub Carolo V. ut Camera ſuper his litibus adiretur, ſalvo interim, dum lis in ea penderet, cujusque jure in ſua poſſeſſione vel quaſi. Ad fundandam autem Cameræ jurisdictionem ſuper hac conſtitutione litigioſæ poſſeſſionis quatuor hodie requiruntur. I. Ut uterque litigans immediatè ſit ſubjectus Imperio. O. C. *p. 2. tit. 22. pr.* Vel ſi inter duorum pluriúmve immediatorum ſubditos bonorum aut jurium poſſeſſio eſt litigioſa, controverſum ſit, ac lis moveatur, ſub cujus jurisdictione iſthæc bona juráve ſita ſint. *cit. tit. 22. §. 1.* II. Ut neuter, certam poſſeſſionem habeat, ſed uterque ex juſtis cauſis ſe potiùs quàm alterum poſſidere contendat, adeóque poſſeſſio ſit dubia. *cit. tit. 22. pr. & §. fin.* III. Ut vel præſens ſit diſcrimen tumultûs & invaſionis, partésque in procinctu ad invadendum ſint. *cit. tit. 22. §. pen.* vel periculum ſit metuendum. *ibid. prin.* IV. Ut Judex Cameræ de armorum metu, aut procinctu partium certior ſit factus. *cit. tit. 22. §. fin.* Tum verò Camera ex officio, vel alterutra parte poſtulante, inhibet, ut contendentes poſſeſſione abſtineant, vel loco inhibitionis poſſeſſionem tantiſper ſequeſtrat, donec ſummariè cognoſcatur, utri momentanea poſſeſſio ſit adjudicanda. Neque in tali caſu privilegium primæ inſtantiæ locum habet, ideóque exceptiones fori declinatoriæ non admittuntur. De hac

Constitutione fusè Gaill. *lib. 1. obs. 5. & 6.* Denæs. *tit. 221. §. 5. & 6.* Blumen *tit. 31.*

719. V. Causæ Pignorationum. O.C. *p. 2. tit. 22.* Gaill. *cit. obs. 1. n. 6.* & *obs. 8. n. 1.* ac *de Pignorib. obs. 14. n. 1.* & *obs. 21. pr.* Stephani *cit. c. 3. n. 118.* Michaël *cit. concl. 37. lit. C.* Roding. *cit. l. 1. tit. 10.* Pignoratio, prout hîc sumitur, est actus, quo quis immediatè Imperio subjectus alterum similiter subjectum ipsiúsve subditos pignorat aut capit, res videlicet eorum auferendo, abducendo, concludendo & detinendo. Ut verò ex Constitutione de non pignorando ad conservandam Pacem publicam factâ anno 1548. & Ordinationi Camerali insertâ *p. 2. tit. 22. & 23.* conveniri immediatè in Camera quis possit, requiritur. I. Ut tam pignoratus quàm pignorans immediatè subsit Imperio. *cit. tit. 23. prin.* Sufficit tamen immediatè subjectum esse etiam solùm ratione bonorum, aut Statûs, ut si quis sit Assessor Cameræ. Et perinde est, utrùm ipse dominus an alius ejus mandato pignoraverit. II. Ut pignoratus sit in possessione ejus loci vel juris, in quo & cujus respectu pignoratio facta est. Gaill. *de Pignor. obs. 3. n. 6.* III. Ut pignorator in illo loco, ubi pignoratio facta est, per pignorationem novum sibi jus acquirere & usurpare velit. Gaill. *l. c. n. 7.* Hócque jus novum in specie exprimendum est, utrùm videl. sit jus venandi, piscandi, pascendi, collectandi &c. O. C. *cit. tit. 23. §. 4.* IV. Ut illud jus, quod pignorans prætendit, non sit diversum ac separatum à jure, in cujus possessione supplicans se esse dicit. Gylm. *tom. 2. p. 1. vot. 20. n. & 4.* V. Ut res vel persona capta seu pignorata non sit litigiosa, sed tertia ac innocens, seu debet esse talis, quæ citra controversiam ac confessione ipsius pignorantis ad istum non pertinet. *cit. tit. 23. §. 3.* Gaill. *cit. obs. 3. n. 8.* nisi quòd subditi litigiosi, qui neutri domino parére detrectant & litis exsortes sunt ac insontes, nomine tertiæ personæ ac innocentis hîc veniunt, tametsi de ipsis lis sit. *cit. tit. 23. §. 5.* ubi *à §. 8.* usque *ad 19.* aliæ hujusmodi personæ ac res excipiuntur. VI. Ut pignoratio sit facta ex causa civili & non criminali. *cit. tit. 23. prin.* Gaill. *cit. obs. 3. n. ult.*

720.

720. VI. Causæ Arrestorum. R. J. Spir. *anno 1570. §. 84.* R. J. Ratisbon. *anno 1594. §. 81.* O. C. *p. 2. tit. 24. prin.* Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 6.* & *tract. de Arrest. c. 11. n. 1.* Roding. *l. c. tit. 11.* Matth. Stephani *cit. c. 3. n. 137.* Thom. Michaël *cit. concl. 37. lit. D.* Arrestum illicitum, de quo hîc sermo, est actus, quo Immediatus Imperij alterum Immediatum ejúsve bona, & subditos aut horum bona detinet, nec ad oblatam cautionem de judicio sisti & judicatum solvi relaxat. Quomodo differat à Pignoratione tradunt Gaill. *de Pignorat. obser. 1. n. 6. de Arrest. c. 2. à n. 1.* & Blumen *Process. Camer. tit. 33. à n. 32.* Dixi *Arrestum illicitum.* Nam notum est, Arresta quædam, seu manuum injectiones, esse licita: qualia sunt, quæ fiunt ratione contractûs, conventionis, pacti, transactionis, debiti confessati, rei judicatæ, consuetudinis, privilegij, legitimè acquisiti vectigalis &c. *cit. tit. 24. §. 1.* item quæ contra emigrantes subditos ratione defalcationis bonorum. *cit. tit. 24. §. 2.* & quæ à Magistratu seu Judice ratione officij ad partis adversæ implorationem *cit. tit. §. 3.* aut quando Magistratus ex officio facinorosos comprehendit &c. Ut verò ratione Arresti mandata in Camera decernantur, necesse est. I. Ut utraque pars tam arrestans quàm arrestata sit immediatè Imperio subjecta. *cit. tit. 24. prin.* Gaill. *de Arrest. c. 4. à n. 1.* nisi quòd illa decernuntur subditis, quando à Magistratu vel dominis immediatè subjectis in causa civili injustè incarcerantur aut arrestum in suis bonis patiuntur. *Supplic. Camer. tit. 7. n. 11. & 16.* II. Ut arrestanti idonea cautio de judicio sisti & judicatum solvi offeratur. Hanc enim quamdiu non præstat arrestatus, in Camera non audietur. *cit. tit. 24. prin.* III. Ut arrestum sit impositum ob civilem, non verò criminalem causam. *cit. tit. 24. §. 4. Supplic. Cam. tit. 7. n. 15. & tit. 8. n. 49.* Gaill. *cit. c. 4. n. 16.* Hinc in supplicatione causa arresti in specie exprimenda est. Gylm. *V. Arrestum §. In arrestis.* Porrò ad impetrandos processus nihil interest, utrùm persona vel res arrestata sit tertia ac innocens, an verò nocens & controversa. *cit. tit. 24. §. 6.* dummodo bona arrestata in specie expri-

exprimantur. Gylm. *l. c.* Neque ſolùm in bonis mobilibus dicta Conſtitutio locum obtinet, ſed etiam in bonis immobilibus, ſi eorum uſus impediatur. Gylman. *V. Arreſtum* §. *Arreſt. in rebus*, & §. *Arreſtum etiam.* Relaxato autem ſemel juxta mandatum Cameræ arreſto cauſa principalis, ob quam arreſtum fuit impoſitum, ad Judicem competentem remittitur. Gaill. *c.* 2. *de Arreſt. n.* 4. & *c.* 11. *à n.* 30. Hinc conſequens eſt, varias exceptiones arreſtanti competere contra arreſtatum Cameræ ſupplicantem. 1. Arreſtatum non eſſe immediatum Imperij, ſed arreſtantis ſubditum. Gaill. *c.* 7. *de Arreſt. n.* 1. 2. Arreſtatum recuſaſſe idoneam cautionem præſtare. Gaill. *cit. c.* 4. *à n.* 12. 3. Rem arreſtatam eſſe propriam arreſtantis, & ſic cauſam non ad hanc Conſtitutionem, ſed ad Interdictum retin. vel recuper. poſſeſſionis, ac conſequenter ad Judicem ordinarium pertinere. Idem *c.* 5. *n.* 3. 4. Rem jam eſſe litigioſam ſeu alibi in judicium jam deductam, ac proinde reum diverſis judicijs fatigari non debere. Gaill. *c. ult. de Arreſt. n.* 10. 5. Rem arreſtatam eſſe tributariam ſeu cenſuariam, ac propterea arreſtum non viâ mandati tolli debere, ſed ſolutione ejus, quod debetur. Idem *cit. c. ult. n.* 11.

721. VII. Mandata de non offendendo, quando narrata ſupplicationis fundantur ſuper Conſtitutione violatæ Pacis publicæ: veluti ſi quis juſtis ex cauſis offenſionem armatam metuat. O. C. *p.* 2 *tit.* 21. Gaill. *lib.* 1. *obſ.* 1. *n.* 4. & *obſ.* 5. *à n.* 1. Mindan. *lib.* 1. *de Proceſſ. c.* 20. Roding. *cit. lib.* 1. *c.* 9. Matth. Stephani *cit c.* 3. *n.* 145. Thom. Michaël *de Jurisd. concl.* 37. *lit. E.* Dummodo juſtus metus à ſupplicante probetur, nim. minas jam eſſe factas de armis & vi inferenda, & perſonam comminantem eſſe talem, quæ conſuevit minas ſuas executioni mandare.

722. VIII. Si agatur ex Conſtitutione *L. Diffamari.* O. C. *p.* 2 *tit.* 25. Gaill. *cit. obſ.* 1. *n.* 15. & *obſ.* 9. *ac ſeqq.* Roding. *lib.* 1. *tit.* 24. Mindan. *cit. c.* 20. *n.* 1. Quò Conſtitutioni iſti locus ſit, & contra diffamantem adiri Camera à diffamato poſſit, requiritur 1. Ut diffamatus immediatè ſubſit Imperio aut ſi mediatè ſolum

solùm est subjectus, causa, super qua diffamatio facta est, pertineat immediatè ad Cameram, qualis v.g. est violatio pacis publicæ, religiosæ aut profanæ, juxta dicta *n. 715. & 716.* 2. Ut causa principalis sit talis, quæ aliàs, nisi diffamatus privilegio Austregarum gauderet, immediatè ad Cameram pertineret Hinc processus in Camera ex hac Constitutione non decernuntur, si causa sit talis, cujus cognitio ad Cameram non pertinet, v.g. si agitur de sessione in Comitijs, successione Electorum &c. aut si causa Matrimonialis, Criminalis, Feudalis, aliáve ex ijs, de quibus infrà dicetur à *n. 739.* 3. Ut diffamatio non sit qualiscunque, sed gravior, ut ait Gaill. *cit. obser. 10. n. 1.* quæ pacem publicam turbare & scandalo esse posset ob atrocitatem injuriæ. 4. Ut de diffamatione Judici Cameræ fides fiat vel scripto vel alijs probationibus. *O.C. p. 2. tit. 27. prin.* & R. J. *an. 1654. §. 83.*

723. IX. Causa denegatæ vel protractæ justitiæ. O. C. *p. 2. tit. 1. §. fin.* & *tit. 26.* Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 25.* & *obs. 28. n. 1.* Roding. *cit. lib. 1. tit. 15. à n. 1.* Paurmeist. *lib. 2. de Jurisd. c. 4. n. 81.* Matth. Stephani *cit. c. 3. n. 52.* Cùm Judice inferiore justitiam negante superior adiri possit. *C. Ex transmissa C. Licet ex suscepto C. Ex parte de Foro comp. C. Cæterùm de Judic.* Ut verò in hac causa adiri Camera possit, requiritur. I. Ut justitiam denegans vel protrahens immediatè ejus jurisdictioni sit subjectus, vel causa aliàs eò spectet, licèt Judex non sit immediatè subjectus, uti contingere potest in Judicibus Austregarum, Paribus Curiæ, Commissarijs ad examinandos testes constitutis &c. Gylman. *V. Promotoriales §. Promotoriales si pet.* II. Ut de denegatione vel protractione notoriè constet. *O.C. p. 2. tit. 28. prin.* Et quamvis inter denegatam & protractam justitiam discrimen hìc constituant Gaill. *cit. obs. 28. n. 7.* & Mysing. *cent. 2. obs. 24.* & *cent. 3. obs. 57* videl. ob denegatam justitiam causam immediatè devolvi ad Cameram; non item justitiam protractam, sed priùs promotoriales adversùs Judicem inferiorem pro justitia intra certum tempus administranda decerni oportere, ac tum demum, si non obtemperet, causam ad Ca-

meram devolvi: negant tamen hoc discrimen & in utroque casu causam statim ad Cameram devolvi tradunt Mindanus *de Mandatis c. 53. n. 5.* & Blumen *Processs. Camer. tit. 37. n. 8.* eò quòd *cit. tit. 26. §. 2. in fin.* & R. J. *anno 1566. §. 108.* expressè sancitum sit, ut tum demum causa ad Cameram rectà non pertineat, si aliquo documento protractio vel denegatio probari nequeat, sed hoc casu promotoriales decernendas esse. Ergo si protractio probetur, opus non erit promotorialibus. Pariter non observatur hodierno tempore discrimen inter causam ab inferiore Judice cœptam & nondum cœptam: neque enim cœptâ jam causâ appellatione modò opus est, uti olim erat, teste Gaillio *cit. obser. 28. n. 2.* & Mynsing. *cent. 5. obs. 82. n. 4. & 5.*

724. X. Causa privilegij Cæsarei violati. Nimirum si quis ratione violati privilegij Imperialis ad pœnas privilegio insertas agere velit. Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 7.* Roding. *lib. 1. tit. 16. n. 1.* Matth. Stephani *cit. c. 3. n. 176.* Magerus *de Advoc. Arm. c. 17.* à *n. 115.* Neque refert, utrùm violator sit immediatus an mediatus Imperij subditus. Excipit hîc Blumen *tit. 39. n. 2.* Ecclesiasticum mediatum, & contra hunc denegatum fuisse processum à Camera testatur cum Magenh. *ad O. C. p. 2. tit. 9. v. secundò quidam,* eò quòd Clerici nullibi quàm coram suo Judice Ecclesiastico possint conveniri etiam in criminalibus & fractæ pacis, ac Cæsar nullam in ipsos jurisdictionem habeat, uti ait *tit. 26. n. 43.* & *tit. 29. n. 86.* & 114. cum Gaillio *de Pace publ. c. 1. n. 14.* nec eos ad restitutionem bonorum compellere possit aut bannire vel in bonis (quòd ista ad Capitulum vel Monasteriũ pertineant) vel in persona, quòd quoad istam nec mediatè nec imediatè sub Imperio sint. Verùm hæc ratio sicut procedit de mediatis Ecclesiasticis, ita etiam de immediatis, exceptis feudis, & Jurisdictione ac alijs Regalibus, quæ tenent ab Imperio. Porrò violatio privilegij ad Cæsarem seu Cameram immediatè spectat tunc solùm, quando ad pœnas privilegio insertas agitur, uti modò dictum est. 2. Si principaliter de substantia seu viribus privilegij disputetur, vel quando privilegium jus

Prin-

Principis tangit: secùs, si jus alterius concernat, vel incidenter de viribus privilegij disputetur; quia tunc cognitio ad ordinarium Judicem pertinet. Gylman. *V. Jurisdictio Camer. §. pen.* Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 13. 3. Quando violatori privilegium ante perpetratum violationem legitimè insinuatum fuit, ísque de pœna eidem inserta certior est factus. Gaill. *l. c. n.* 9. Gylman. *V. Privilegium §. Quomodo.* 4. Quando ipsi etiam Cameræ jam antè fuit insinuatum, aut saltem unà cum supplicatione pro processu exhibitum in originali. Gaill. *cit. n.* 9. Insinuatio autem privilegiorum à solis Immediatis in Camera recipitur; non verò à Mediatis, nisi id fiat propter continentiam causæ. Gylman. *V. Citatio ad vidend. §.* 1. quia Camera inter Mediatos jurisdictionem non exercet. 5. Si narratur, violationem esse perpetratam contra notitiam privilegij ex proposito & dolo. Gylman. *tom.* 1. *p.* 2. *pag.* 211. *Supplic. Camer. tit.* 12. *n.* 1.

725. XI. Causæ continentia. *Recess. Deputat. anno* 1600. §. 23. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 22. & *obs.* 32. *à n.* 1. Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 4. & *obs.* 97. Mindan. *lib.* 3. *de Contin. caus. p.* 1. *c.* 3. *n.* 150. Schvvaneman. *lib.* 1. *de Proces. c.* 6. *n.* 5. Si videl. cum causa ad Cameram pertinente alia quæpiam, quæ de se ad ejus jurisdictionem non pertinet, sit connexa: cùm causæ continentes seu connexæ dividi non debeant, ut dictum est suprà *à n.* 561. Unde Camera adiri potest. 1. Si res sub diversis Statibus sive imediatè sive mediatè sitæ sint. Mindan. *l. c. c.* 3. *à n.* 6. & *c.* 4. *à n.* 28. 2. Si rei conveniendi diversis jurisdictionibus sint subjecti. Gaill. *cit. obser.* 32. *n.* 2. & 3. Mindan. *cit. c.* 4. *n.* 1. 3. Si Mediatus convenerit in Camera Immediatum: reconveniri enim ibidem ipse poterit, juxta dicta suprà *à n.* 594. 4. Si in causa in Camera agitata interveniat quispiam tertius pro suo interesse. Mindan. *l. c. c.* 8. Umm. *Proces. Judic. disp.* 11. *thes.* 1. *à n.* 1. 5. Si concurrant & cumulentur actiones. Mindan. *l. c. c.* 10. *à n.* 1. Umm. *l. c. disp.* 6. *à n.* 60. Quos aliósque casus recensui suprà de Continentia causarum *à n.* 568. ubi tamen limitationes addidi *n.* 565. 568. 569. 570. 574. & *n.* 577. *ac seqq.*

726.

726. XII. Causæ citationum ac mandatorum pro relaxando juramento ad affectum agendi. O. C. *p. 2. tit.* 24. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 24. & *obs.* 25. *n.* 2. Matth. Stephani *de Jurisd. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 150. Verùm hîc difficultas consurgit, quomodo Camera, utpote Tribunal Politicum & Profanum, possit relaxare juramenta: nam constat ex *C. Venerabilem in fin. de Elect. & C. Quartò de Jurejur.* absolutionem à juramento pertinere ad potestatem Ecclesiasticam, idque uno ore tradunt omnes ferè Th. Th. ac Canonistæ. Et suffragatur ratio: quia juramentum, sicut votum, est res sacra; ergo de eo disponere & decidere non est potestatis laicæ, sed solùm sacræ. Verùm his non obstantibus æqua est illa Ordinatio & praxis Cameræ relaxantis juramentum in ordine ad effectum agendi. Nam aliud est relaxare juramentum per modum dispensationis & absolutionis, quæ directè tendit ad vinculum tollendum propter dubium v. g. an liceat vel non liceat illud observare, aut propter alias rationes pertinentes ad remissionem, quæ fit potiùs ex parte Dei, quàm ex parte hominis, cui juratum fuit: & aliud est remittere juramentum relaxatione propriè dicta, quæ est condonatio facta ex parte hominis, cui aliquid juramento promissum est. Hanc fieri posse à potestate etiam seculari rectè tradunt Covarr. *de Pact. p.* 1. *§.* 3. *n.* 11. *V. Principaliter quartò*, Molina *tr.* 2. *de Just. disp.* 149. *n.* 12. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de Juram. c.* 41. *n.* 16. Emman. Saà *V. Juramentum n.* 29. Ratio perspicua est: quia ipse creditor quamvis laicus, remittere potest juramentum sibi factum; poterit ergo etiam Magistratus secularis loco & nomine sui subditi, consensum, quem is præstare deberet & non præstat, supplendo, sicut supplet in alijs casibus, v. g. quando ad satisfaciendum creditoribus subditi bona vendit, & sicut, Superior etiam laicus vota subditorum, quoad materiam suæ potestati subjectam, irritare potest. Neque refragantur Jura & DD. in contrarium allati, cùm loquantur solùm de absolutione & dispensatione directa, ut legenti patebit. Illud duntaxat ex illis sequitur, debere adesse causam justam, propter quam concedatur agendi facultas ei, qui jura-

juravit; quæ si adsit, sicut cogi creditor, cui juratum est, potest ad relaxandum debitori juramentum, & dandam facultatem agendi, ita loco ipsius id facere potest Magistratus quoad materiam ad suum forum pertinentem.

727. XIII. Commissiones pro recipiendis testibus ad perpetuam rei memoriam. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 16. & *obs.* 93. *n.* 2. Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 18. Matth. Stephani *cit. c.* 3. *n.* 178. Roding. *Pandect. Camer. lib.* 1. *tit.* 18. *n.* 2. Neque enim juxta stylum Curiæ in petenda commissione ad perpetuam rei memoriam privilegium primæ instantiæ, seu judicium Austregarum, locum habet. Gaill. *cit. obs.* 93. *n.* 2. & Mynsing. *cit. obs.* 18. Necesse tamen est, eum, contra quem petitur receptio testium, esse immediatè subjectum Imperio: licèt necesse non sit, ut etiam is sit immediatus, qui recipi testes petit. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 16. Roding. *cit. n.* 2. Mindan. *lib.* 1. *de Proces. c.* 18. *n.* 3. Cæterùm hæ commissiones fiunt indistinctè tam pro futuro Actore, quàm Reo; cum hoc tamen discrimine, quòd actor intra annum suam actionem instituere debet. Gaill. *cit. obs.* 93. *n.* 2.

728. XIV. Causæ ex edicto novi operis nunciationis. O. C. *p.* 2. *tit.* 23 Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 30. & *obs.* 16. *n.* 12. Auct. *Decis. seu præjudic. Camer.* apud Hylman. *tom.* 3. *V.* Austrag *fol.* 53. ubi varia præjudicia Cameræ refert. Dummodo reus, contra quem petitur nunciatio, Imperio immediatè sit subjectus. Ratio, cur hìc non attendatur prima instantia, sed immediatè Camera adiri possit, est periculum in mora. *arg. L. de pupillo §. si quis rivos ff. de Novi oper. nunciat.*

729. XV. Causæ Viduarum, Pupillorum, aliarúmque personarum miserabilium, de quibus fusè suprà *à n.* 378. Et quamvis hisce personis de consuetudine non decernantur processus in Camera, nisi in casu denegatæ vel protractæ Justitiæ, ut dixi *n.* 391. ex Gaillio ac alijs: asserunt nihilominus Rutg. Ruland. *p.* 4. *de Commiss. lib.* 2. *n.* 62. & Theodor. Nicolai *dissert. de Foro comp. concl.* 4. *in fin.* causas Viduarum rejectis exceptionibus Austregarum

rum ibidem fuisse receptas, & aliquot hanc in rem præjudicia afferunt. Eódem causas Alimentorum referunt Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 37. lit. F.* & Ziegler. §. Austrag. *limit. conclus.* 1. *n.* 21. Idem tenent universim de casu, quo res, de qua controvertitur, non in jure actionis, sed in mero officio Judicis consistit, uti est datio tutorum & curatorum quoad personas immediatè Imperio subjectas. Thom. Michaël & Ziegler. *ll. cc.* Matth. Stephani *p.* 1. *de Jurisd. lib.* 2. 3. *n.* 177. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 47.

730. XVI. Causæ Compromissorum, si à laudo reductio petatur. Nam casu, quo reductio ista locum habet, omissis Austregarum Judicibus, Camera immediatè adiri potest, quando is, contra quem petitur reductio, est immediatè Imperio subjectus. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 68. *prin.* Gaill. *cit. obser.* 1. *n.* 49. Roding. *l. c. tit.* 4. *à n.* 22. Quando autem à sententia seu laudo Arbitri licitum sit appellare, non est hujus loci decidere. Videri possunt Socin. *reg.* 18. *Fallent.* Maranta *in Specul. p.* 6. *rubr. de Appellat. à n.* 250. Executio quoque laudi contra Immediatos Imperij ad Cameram pertinet: cùm non Arbiter, sed Ordinarius Judex executionem habeat. *L. Cùm antea C. de Recept. arbitr. C. Per tuas de Arbitr. L. Cùm proponas C. de R. C.* & *L. A Divo pr. ff. de Re jud.* Idem dicendum est de Executione sententiæ per Commissarios vel Judices Austregarum latæ. Gaill. *l. c. n.* 52. Mindan. *lib.* 1. *de Proceff. c.* 19. *n.* 1. Reinkingk. *de Regim. Secul. lib.* 2. *class.* 2. *c.* 16. *n.* 21.

731. XVII. Si reus immediatè subjectus Imperio ad requisitionem actoris juxta formam Ordinationis primæ instantiæ seu Austregarum (de qua suprà *à n.* 341.) non nominaverit Judices, vel judicio se non stiterit: tunc enim absque ulteriore requisitione causa recto tramite ad Cameram devolvitur, & supplicanti, ubi de legitima requisitione partis docuerit, citatio & processus decernitur. O. C. *p.* 2. *tit.* 2. §. *fin.* Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 25. Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 91. Mindan. *cit. c.* 19. *n.* 7. Besold. *Thesaur. Tract. lit. A.* §. 78.

732.

732. XVIII. Causæ, in quibus mandata sine clausula decernuntur super facto, quod nullo facto justificari potest: immediatè enim super ijs fundata est jurisdictio Cameræ. O.C. *p.* 2 *tit.* 23. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 5. Thom. Michaël *cit. concl.* 37. *lit. F.* Matth. Stephani *lib.* 2. *de Jurisd. p.* 1. *c.* 3. *n.* 170. Roding. *Pandect. Cam. lib.* 1. *tit.* 12. *n.* 1. Ziegler. *l. c. limit.* 1. *n.* 16. Dummodo reus, contra quem decernenda sunt, Imperio immediatè subjectus sit, vel qualitas causæ ad Cameram pertineat. O.C. *l. c.* Recess. Deput. *anno* 1600. §. 29. Gaill. *cit. n.* 5. Stephani *l. c. n.* 171. Mindan. *lib.* 2. *de Proces. c.* 12. Mandatum sine clausula est Judicis præceptum, cui parendum est nullâ admissa exceptione; nisi obreptionis, quâ videlicet negatur verum contineri in mandato; vel subreptionis, quâ dicitur aliquid à parte adversa in narratis omissum fuisse, de quo si Judici constitisset, ita non fuisset mandaturus. Quia verò hæc mandata habent speciem executionis, & ab executione processus non est inchoandus, idcirco locum non habent, nisi in certis quibusdam casibus, quorum quatuor enarrantur in Ord. Cam. *cit. tit.* 23. videlicet. 1. Si id, quod fieri jubetur, certo jure præceptum; aut quod fieri prohibetur, certo & explorato jure vetitum est. 2. Si supplicanti per factum Judicis vel alterius gravamen inferretur, quod postea reparari nequiret: quemadmodum hac de causa ab Interlocutoria sententia, à qua regulariter non conceditur appellatio, appellari potest, si per illam gravamen inferretur per appellationem à definitiva non reparabile. *L.* 2. *ff. de Appellat. L.* 36. *C. eod. L.* 16. *C. de Judic. L.* 7. *C. Quor. appell. non recip.* Trident. *sess.* 13. *c.* 1. *in fin.* & *sess.* 24. *c.* 20. *de Reform.* 3. Si factum pugnet contra utilitatem publicam & ad perniciem publicam tendat. 4. Si negotium ob periculum moram non ferat. Quæ causa est, quòd hujusmodi mandata dicuntur auf die vier Fälle. Sunt præterea complures alij casus, in quibus mandata sine clausula decernuntur, quos ex varijs Recessibus Imperij, Ordin. Polit. & Recess. Deput. ad quadraginta tres extendunt Mindan. *cit. lib.* 2. *c.* 11. & *seqq.* Roding. *lib.* 1. *Pandect.*

*dect. Cam. tit.* 12. Knipschildt *de Jur. Civit. Imper. lib. 2. c.* 33. *n.* 147. Videri de his mandatis possunt Mindan. *l. c. c.* 10. *& seqq.* Roding. *l. c.* Gaill. *lib. 1. obs. 5. & 13. & c. 2. de Pace publ. à n.* 15. Blumen *Processs. Camer. tit.* 34.

733. XIX. Causæ & actiones reales super bonis & feudis immediatè subjectis Imperio, licèt reus non sit immediatè subjectus. O. C. *p.* 2. *tit.* 7. Ubi tamen advertendum est discrimen inter feuda majora & minora. Majora *cit. tit.* 7. & R. J. Wormat. *anno* 1521. *tit.* Römischer Königl. §. Ob auch Sachen / dicuntur Ducatus, Principatus, Comitatus &c. Quid contineatur sub particula *&c.* quæ ibidem habetur, ambiguum est. Existimat Blumen *l. c. tit.* 41. *n.* 7. contineri etiam Collegia Canonicorum libera, Baronatus, Fortalitia &c. Quod verum est, si loquatur de feudis regalibus seu dominijs habentibus annexam regalem dignitatem, quæ tribuit specialem titulum Principatûs, Ducatûs; Landgraviatûs, Marchionatûs, Burggraviatûs, Comitatûs, Baronatûs, simúlque dat omnem potestatem omnéque jus in terris regali feudo concessis, quo Imperator vel Rex supremus in Imperio vel Regno utitur, exceptis ijs, quæ Imperatori in signum supremæ potestatis reservata sunt. Schrader. *p.* 2. *de Feud. c.* 3. *à n.* 3. Reinkingk *de Regim. secul. lib.* 1. *class.* 4. *c.* 15. *à n.* 6. Sixtin. *de Regalib. c.* 3. *à n.* 3. Nam multi ab Imperatore recognoscunt satis ampla feuda, castra, pagos &c. utpote Nobiles aliíque immediati vasalli Imperatoris, quæ tamen regalem dignitatem non habent, ac propterea dicuntur feuda inferioris qualitatis & minora. Nicol. Everhard. Jun. *vol.* 1. *consil.* 41. *n.* 22. Reinkingk *l. c. n.* 9. post Andr. de Isern. Alvarot. ac alios. De Feudis Majoribus seu Regalibus non Camera, sed Imperator judicat. *cit. tit.* 7. & *cit. R. J.* si inter duos Vasallos controvertantur. Schvvanman. *observat.* 11. *n.* 2. Schrader *p.* 10. *de Feudis sect.* 5. *n.* 39. Blumen *l. c. n.* 3. Nam si lis est inter Imperatorem & Vasallum, Pares Curiæ, id est, Status Imperij Imperialia Feuda habentes, erunt Judices. Rosenthal *de Feudis c.* 12. *concl.* 3. Schrader. *cit. sect.* 5. *n.* 39. & notum

tum est ex *cit. tit. 7.* Si tamen lis solùm sit de possessorio momentaneo, existimant Gylman. *V.* Austräge *§. si tamen*, Blumen *l.c.n. 5. & 9.* ac alij, Cameram Imperialem etiam in feudis majoribus concurrere cum Imperatore, ita ut hunc prævenire possit. Idem tradunt Gylman. *V. Feudum prin.* Blumen. *l.c. n. 6.* de casu, quo non agitur de toto feudo regali per sententiam auferendo, sed solùm de parte Principatûs, Comitatûs &c. posse enim tunc Cameram judicare, si Imperatorem præveniat. Quam tamen opinionem cum Schrader. Paurmeist. ac alijs benè rejicit Reinkingk *cit. class. 4. c. 19. à n. 119.* Utrùm verò Imperator super his feudis majoribus solus, an cum Paribus Curiæ, id est, Principibus Imperij cognoscat, non est hujus loci dicere. Præter alios Publicistas latè hanc quæstionem versat Schubhard. *de Austregis c. 5. à n. 125.* qui consuli possunt, ac præcipuè Capitulationes Cæsareæ. Jam verò quod feuda minora seu non regalia attinet, pariter varij casus distinguendi sunt juxta dicta suprà *à n. 683.* Nam si lis est inter Imperatorem & Vasallum, talem se non negante, penes Pares Curiæ erit eam decidere, ut constat ex dictis suprà *à n. 688.* Si casus incidant, in quibus super feudo nec directus Dominus nec Pares Curiæ judicant, quósque recensui suprà *n. 297. 687. & 702.* Austregarum judicio contendendum est à personis immediatis, contra personas immediatas, de quibus suprà *à n. 338.* Coram Camera verò, si Civitas Imperialis conveniatur, aut immediatus Imperij subditus à mediato vel ab Imperiali Civitate, juxta dicta *n. 347. & 348.* Si denique super feudis minoribus Imperij inter duos vasallos lis est, Imperator tanquam feudi dominus Judex erit, uti & Camera, si Imperatorem præveniat. Gaill. *lib. 1. obs. 29.* Blumen *l. c. n. 8.* Reinkingk *cit. c. 19. n. 67.* & *n. 87.* ac alij, refragante cum nonnullis, & Cameræ Imperiali jurisdictionem privativè tribuente Schradero *p. 10. de Feud. sect. in fin.* de cujus opinione mox plura *n. 736.* Illud è contrario certum esse videtur & contra quosdam contradictores fusè probatur à Reinkingk *cit. c. 19. à n. 6.* Imperatorem solum de majoribus

bus seu regalibus feudis cognoscere, paucis, quos recensui, casibus exceptis, nec præveniri à Camera posse, uti præveniri potest in minoribus.

734. XX. Confirmantur à Camera contractus ab immediatis Imperij subditis initi, non verò à mediatis, uti malè existimat Mindan. *l. c. c.* 12. *n.* 2. Quòd si actus sit Juris Civilis, ut est Adoptio, Electio &c. parte alterâ etiam invitâ confirmari potest. Si verò est actus Juris Gentium, ut est Emptio &c. non confirmatur, nisi utraque parte consentiente. Gylman. *V. Confirmatio* §. *Camera.* Idémque obtinet in Transactionibus: quæ tamen in originali exhiberi Cameræ debent. *Sent. Cameral. n.* 14. 25. & 50. Transactiones super injurijs ab ea confirmari negat Gaill. *lib.* 2. *obs.* 102. *n.* 16. Affirmant alij præjudicium allegando. Transactiones inter tutores liberorum & matrem initæ non antè à Camera confirmantur, quàm ipsi constet de viribus patrimonij. Et jurare tenentur partes, transactionem meliùs initam quàm intermissam fuisse. *Sent. Camer. n.* 14.

735. XXI. Expeditur in Camera Adoptio, Arrogatio, Emancipatio. Tennag. *class.* 2. *c.* 30. Legitimare tamen illegitimos Camera non potest, cùm hoc sit reservatum Imperatori. Pariter restituere famæ non potest. Gylman. *V. Cæsari reservata.* Neque confirmat legitimationes ab Imperatore factas. Blumen *Proceff. Cam. tit.* 42. *n. ult.* ubi Mindanum *cit. c.* 12. *n.* 3. contrarium tenentem erroris damnat.

736. XXII. Denique præter causas hactenus allatas, quæ ad Cameram per viam simplicis querelæ deferuntur, fit ad eandem appellatio. Appellant, qui per sententiam Judicum Cameræ immediatè subjectorum gravati sunt. O. C. *p.* 2. *tit.* 31. *prin.* Neque solùm ab Ordinarijs Judicibus, sed etiam à Judicibus Austregarum. *cit. tit.* 31. *prin.* Item à Comissarijs ad instantiam partium, quæ Austregis non gaudent, datis. Gaill. *lib.* 1. *obs.* 121. Et juxta non paucos, quos refert Reinkingk *lib.* 2. *class.* 2. *de Regim. Secul. c.* 14. *n.* 76. etiam à Commissarijs Cæsaris. A Paribus Curiæ. Gaill. *lib.*

*lib.* 1. *obſ.* 1. *n.* 46. Mynſing. *cent.* 5. *obſ.* 90. *n.* 3. A Judice reductionis. Gylman. *V. Appellare quib.* §. *ult.* & *V. Reductio* §. 1. A Judice Reviſionis. Gylm. *V. Reviſio* §. *A Judice Reviſionis.* A Moderatoribus collectarum Imperij. R. J. *anno* 1555. §. 125. & 126. Ab omnibus Judicijs Provincialibus Cæſareis, excepto Franconico, à quo ad Epiſcopum appellatur. Magenh. *ad* O. C. *p.* 2. *tit.* 28. *prin.* Gylman. *V. Appellare quibus* §. *Et nota.* A Principibus etiam Eccleſiaſticis feuda ab Imperio habentibus, atque in cauſa ſeculari judicantibus. Gaill. *lib.* 1. *obſ.* 30. *n.* 1. & 2. Gylman. *V. Appellare quibus* §. *Appellatur*, & *V. Appellatio à ſententia* §. *ult.* Habent tamen multi Principes Imperij privilegium de non appellando, uti Elector Bavariæ, Saxoniæ, Brandenburg. Palatin. Rex Bohemiæ, Rex Sueciæ tanquam Princeps Imperij, Archiduces Auſtriæ, Dux Wirtenberg. &c. uti conſtat cùm ex notoria praxi, tum ex varijs privilegijs, quæ ſingulatim referuntur à Blumen *Proceſſ. Cameral. tit.* 47. *tab.* 1. & *ſeqq.* Unde errant Treutl. *p.* 2. *diſp. ult. th.* 4. *lit.* E. Reinkingk *de Regim. Secul. lib.* 1. *claſſ.* 4. *c.* 6. *n.* 2. ac alij, qui ajunt, privilegium hoc in Aur. Bulla *tit.* 11. & O. C. *p.* 2. *tit.* 26. excepto caſu denegatæ juſtitiæ conceſſum Electoribus, abrogatum conſuetudine fuiſſe, exceptis Electoribus Saxoniæ, & Brandenburg. Alij Imperij Principes, tam Eccleſiaſtici quàm Seculares, nec non multi Prælati, Præpoſituræ, Capitula & Collegia, Comites ac Barones S. R. J. & Civitates Imperiales, habent hoc privilegium, non quidem abſolutum, quoad certas tamen cauſas & ſummas. De quibus fusè Blumen *Proceſſ. Camer. tit.* 47. & Knipſchildt *lib.* 2. *de Jur. Imper. Civit. c.* 33. *à n.* 161. Summa appellabilis ſecundùm Ord. Camer. hodie minor eſſe nequit, quàm 400. Imper. ſeu 600. floren. R. J. *an.* 1654. §. 112. Recipitur tamen appellatio ſuper injuria ad palinodiam. O. C. *p.* 2. *tit.* 31. §. 6. Gaill. *lib.* 1. *obſ.* 123. *n.* 5. Mynſing. *cent.* 2. *obſ.* 98. 2. Si agitur ſuper perpetuis reditibus, penſionibus, decimis: tunc enim ſumma appellabilis hodie ſunt 16. Imperiales cit. R. J. §. 112. 3. Si ſuper cauſis concernentibus jurisdictionem, jura, perſo-

personales & rusticas servitutes, aliásque, quæ certam æstimationem non recipiunt. *cit. tit. 31. §. 6.* Gaill. *cit. obs. 123. n. 6.* tametsi ratione earum singulis annis tantùm pullus gallinaceus aut denarius præstandus foret: quia cùm onus sit perpetuum, jam magnum vertitur præjudicium. Magenh. *ad O.C. p. 2. tit. 28. vers. Secundò dicta.* 4. Si alicujus facultates ultra 2000. flor. se non extendant, ac is per sententiam in 300. flor. seu 200. Imper. sit læsus. cit. *R. J. §. 114.* Quemadmodum autem, uti modò dictum est, non appellatur à sententijs eorum, qui habent privilegium de non appellando, & à sententijs in causa summam appellabilem non æquante latis: ita sunt aliæ non paucæ, à quibus ad Cameram non provocatur. Et in primis omnes illæ, à quibus Jure Cæsareo appellare est prohibitum, juxta *Tit. ff. de Appell. recip. vel non* & DD. *ibi.* 2. A sententia lata in causis ad Cameram non pertinentibus, uti sunt Matrimoniales, Crlminales, Decimales &c. de quibus mox §. *seq.* 3. A sententia in possessorio momentaneo latâ. Gaill. *lib. 1. obs. 7. n. ult.* Mynsing. *cent. 6. obs. 13.* 4. A sententia de exequendo: nisi supplicans in gravamine deducat, sententiam principalem se non citato & audito latam fuisse. Gylman. *V. Appell. à sent. prin.* 5. A citatione: quia citatus comparere debet ad allegandam incompetentiam, ut dixi suprà *à n. 14.* nisi exemptus sit privilegio, quod in Corpore Juris clausum est, juxta dicta *n. 16.* 6. A refutatione Apostolorum: quoniam illa effectum devolutivum non impedit. Gylman. *V. Appellare à quib. §. A refutat.* 7. A sententia prioris confirmatoria declaratoriè facta, quando à priori appellatum non fuit. De quibus aliisque huc pertinentibus fusè Blumen *cit. tit. 46.* & Gaill. *lib. 1. obs. 119. & seqq.*

737. Ex hactenus dictis consequens est, jurisdictionem Cameræ fundari quandoque solâ qualitate causæ, uti est causa fiscalis, factæ pacis, violati privilegij Cæsarei, si res litigiosa immediatè sub Imperio sita, si continentia causæ adsit. Aliquando ad qualitatem causæ requiri, ut reus immediatè sit subjectus Imperio, uti

uti in causis mandatorum, relaxationis juramenti ad effectum agendi, L. Diffamari, protractæ aut negatæ justitiæ &c. Aliquando demum præter qualitatem causæ requiri, ut tam Actor quàm Reus immediatè subsint Imperio, uti in causa litigiosæ possessionis, pignorationis, & arresti.

737. An verò in prædictis causis Imperator concurrentem cum Camera jurisdictionem habeat, magnis contentionibus disceptatur, ut ait Ummius *disp. 4. ad Proceſſ. judical. th. 14. n. 79.* Habere negat Schraderus *de Feud. p. 10. sect. 1. n. 128. & sect. 3. n. 72.* Et in ejus opinionem propendent Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 35.* Umm. *l. c.* ac Wurmbser. *de Jure publ. exerc. 7. q. 25.* Concurrentiam eidem rectè tribuunt Gaill. *lib. 1. obs. 11. n. 6. obs. 29. n. 3. & obs. 42. n. 3.* Petr. Heig. *p. 1. q. 9. n. 12.* Sprenger. *de Pace Relig. c. 14.* aliique plurimi, quos allegat Knipschildt *de Jur. Civit. Imper. lib. 2. c. 33. n. 27.* ipsáque praxis, ac Ordinatio Aulic. Cæsar. Judicij *tit. 2. §.* So wollen wir auch/ & supponitur in Instrum. Pacis Osnabrug. *art. 10. §. Econtra verò.* fassíqe sunt ipsi Assessores Camerales *anno 1650.* teste Schvvedero *Introduct. in Jus Publ. part. special. sect. 1. c. 12. n. 7.* Ipsáque Ordinatio Cameræ supponere videtur. Ratio est: quia Camera quoad justitiæ administrationem ipsum Cæsarem in causis civilibus repræsentat, dicitúrque Judicium Cæsaris das Käyserliche Cammer-Gericht. Fieri autem nequit, ut in proprio suo judicio jurisdictionem non habeat Imperator, & excludatur ab ijs, qui ipsum repræsentant. Neque valet, quod Schraderus & Thom. Michaël *ll. cc.* inquiunt, ab Imperatore jurisdictionem in Cameram per viam contractûs universaliter, præsertim in civilibus contentiosis, translatam fuisse. Ex hoc enim non sequitur, quòd privativè eam transtulerit. Hinc cùm quæsitum fuisset in Camera, an Princeps concedendo jurisdictionem inferiori, censeatur, eam concessisse privativè, an solùm cumulativè, conclusum fuit teste Mynsing. *cent. 6. obs. 99.* censeri debere, quòd se non abdicârit jurisdictione, sed solùm cumulativè eam concesserit: cùm salva semper manere debeat Principi

cipi superioritas respectu subditorum, maximè si subditis conceditur jurisdictio. Quæ ratio pugnat, sive per modum contractûs sive alio modo ea concedatur. Pariter non valet, quòd dicunt, Cæsarem causas majorum feudorum Imperij suæ jurisdictioni reservâsse; non enim sequitur, ut volunt, quòd reliquas à se abdicârit; sed solùm, quòd reliquas concesserit vel cumulativè vel privativè, & hoc ultimum duntaxat tunc, quando id exprimit. Non denique valet, quod addunt, Judicium Camerale ideò institutum fuisse, ut ad effugiendos sumptus ac labores causæ, quæ aliàs ad Imperatorem deferendæ forent, ibidem decidantur. Hinc enim solùm sequitur, liberum esse debere subditis causas ibi potiùs quàm in Judicio Aulico Cæsaris introducere; non verò, quòd istud adire nequeant. Imò ex dicta ratione potiùs inferendum est, quòd cogi non debuerint ad sequendum judicium Cameræ, quia fieri potest, ut ipsis commodius sit, immediatè adire Cæsarem. Unde quod in ipsorum commodum institutum est, non debet in eorundem dispendium detorqueri.

## §. III.

## *Quæ Causæ ad Cameram Imperialem non pertineant.*

### SUMMARIUM.

739. *Causæ Sacræ ad Cameram non pertinent.*
740. *Unde neque Matrimoniales.*
741. *Neque Criminales.*
742. *Aut quæ sunt de Feudis Imperij Regalibus.*
743. *Vel Fiscales majores.*
744. *Nec Causæ moderationum.*
745. *Et quæ sunt Voluntariæ Jurisdictionis.*
746. *Circa illa denique nihil potest Camera, quæ sunt reservata Imperatori.*

739. Quamvis ex hactenus dictis satis colligi possit, quæ causæ à foro & jurisdictione Cameræ Imperialis sint exemptæ: expedit tamen easdem sub uno conspectu hîc poni, & exemptionis causam tam ex auctoritate Legem quà Ecclesiasticarum quà Civilium, quàm & intrinsecis rationibus afferri. Itaque I. ad forum Cameræ non pertinent causæ Sacræ & Ecclesiasticæ, quas enarravi suprà à *n.* 614. & *n.* 680. Has introduci in Camera non posse, constat ex O. C. *p. 2. tit.* 1. aliísque Juribus adductis *cit. n.* 614. *ac seqq.* ac fatentur ipsi etiam Acatholici DD. ut Thom. Michaël *de Jurisd. concl.* 39. *lit. A.* Paurmeist. *de Jurisd. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 150. cæteríque omnes.

740. Hinc causa Matrimonialis in eadem nec per viam simplicis querelæ, nec per appellationem recipitur. O. C. *cit. tit.* 1. §. *ult.* Gaill. *lib.* 1. *obs.* 112. *n. ult.* Exceptis casibus, quos retuli suprà *n.* 116. *ac seqq.* Quia verò Jurisdictio Ecclesiastica Episcoporum in Lutheranos in Imperio suspensa est, & causæ Ecclesiasticæ in Statuum Acatholicorum consistorijs tractantur, consequens esse videtur, quod tradit Schubhard. *de Austreg. c.* 5. à *n.* 64. appellari à sententijs ibidem latis in causa matrimoniali ad Imperatorem posse, si sequi velimus sententiam Scoti *in* 4. *dist.* 26. *q. un.* §. *Sed qualiter*, Vasq. *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 138. *c.* 5. *n.* 63. Rebelli *de Oblig. Justit. p.* 2. *lib.* 2. *q.* 5. *concl.* 1. Basil. Pontij *lib.* 1. *de Matrim. c.* 9. *n.* 3. ac aliorum, qui tenent, Matrimonium non esse Sacramentum, si ineatur cum intentione Sacramentum excludendi, & contractum merè civilem celebrandi. Quæ contrahendi ratio observatur ab Heterodoxis, saltem tunc, quando expresè protestantur, nolle se rem sibi esse cum Sacramento, velle contractum merè civilem inire &c. Ait quidem celebris Auctor Responsi Juris, super hac quæstione appellationis recens editi, *n.* 10. & 11. Status Imperij heterodoxos gaudere potestate Sacrâ & Papali Jure, ac propterea, ut infert *cit. n.* 11. de rebus Ecclesiasticis non posse judicare Imperatorem, cùm jurisdictionem circa sacra non usurpet, utpote quam voluntaria abdicatione

in manus Papæ resignârit. Verùm hæc longissimè à vero absunt. Nam Jurisdictionem Sacram & Ecclesiasticam Seculares Principes, non tantùm ex se non habent, sed neque ejus sunt capaces. Estque hoc æquè certum, ac certum est (quod Acatholici DD. ultrò admittunt) ad causas sacras requiri jurisdictionem sacram, ut ex S. Scriptura, Concilijs universalibus, & primorum etiam Seculorum Patribus, præter Bellarm. ac alios fusè demonstrat Suarez *lib.* 3. *Defens. Fidei c.* 7. *& seqq.* Unde Imperator eam non potuit voluntariâ abdicatione resignare in manus Pontificis, neque per Pacem Religiosam vel Instrumentum Pacis Osnabrug. concedere Acatholicis Imperij Statibus, utpote cujus ipsi sunt incapaces, & quam Ille non habuit, uti pro suo in Orthodoxam Fidem & Veritatem studio cum omnibus Catholicis ultrò fatetur. Sed neque Episcopi eam concedere possunt cùm ob incapacitatem laicorum, tum quòd eam à se abdicare nequeunt, uti patet ex dictis *n.* 641. *& seqq.* Hinc ex eo, quòd Episcoporum sacra jurisdictio suspensa est quoad Acatholicos, non sequitur, ut volunt Acatholici DD. quòd laicis Principibus sit concessa. Quemadmodum ex eo, quòd ad profitendam Fidem Orthodoxam & absolutionem peccatorum ab Episcopis Orthodoxis petendam cogi in Imperio Romano non possunt Lutherani & Calviniste, non sequitur, quòd ipsorum Principibus secularibus aut Prædicantibus seu Ministris Verbi, (utpote qui æquè laici sunt, ac alij) concessa sit potestas eosdem absolvendi. Sicut pariter non sequitur: Tolerata est in Germania Calvini & Lutheri doctrina, ergo tanquam vera & salvifica fuit approbata. Neque verum est, *quod* illi dicunt: suspensio illa effectum non haberet, nisi verè facta fuisset translatio & concessio illius jurisdictionis. Nam ex eo, quòd aliqua à Principibus & Superioribus amore pacis & vitandi majoris mali causâ tolerantur, non sequitur, ijs, qui ob modò dictas rationes non compelluntur aut compelli nequeunt, jus aliquod tribui, præcipuè si tale sit, quod tribui nequit tam ex parte tribuentium quàm recipientium, uti in nostro casu contingit. Effectus

fectus igitur illius suspensionis est, quòd compelli Acatholici nequeunt ad agnoscendam ac subeundam sacram jurisdictionem Catholicorum Præsulum; non quòd his omnino adempta sit, & laicis concessa. Quod satis exprimit ipse vocis *Suspensio* significatus, cujus loco *Concessio* vel *Translatio* facilè apponi potuit ac debuit, si de concessione & translatione actum fuisset. Multò minùs apparet, cur appellatio ad Imperatorem fieri nequeat, si lis est super Canonicatibus & Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium aliorúmque hujusmodi Collegiorum, quæ secularizata sunt, uti loquuntur, id est, ad Acatholicos transierunt. Nam cùm eorum possessores revera non sint Clerici, & reditus Sacros percipiant instar profanorum, & patrimonialium proventuum, utpote quos titulo sacro non percipiunt, causa, quæ super ijsdem movetur, spiritualis non est, ac idcirco ab Imperatore decidi poterit, æquè ac controversiæ, quæ moveri possunt inter Principes Acatholicos super bonis Archiepiscopatuum & Episcopatuum, quæ permissa ijsdem sunt per Instrumentum Pacis Osnabrugensis. Aut si causa illa ab Imperatore decidi nequit, pariter decidi nequit à Statibus Imperij Acatholicis, cùm ob statum laicalem æquè parùm capaces sint spiritualis jurisdictionis, quàm Seculares Catholici. Neque vel in Pace Religiosa, vel dicto Instrumento Pacis Osnabrugensis, vel in Capitulationibus Cæsareis, quidquam continetur, quo plus juris tribuatur Statibus Acatholicis, quàm Imperatori, sed quoad illos solùm suspenditur jurisdictio Prælatorum Ecclesiasticorum, seu Archiepiscoporum, Episcoporum &c. ut consideranti patebit. Et quamvis in dicto Pacis Instrumento *art. 8. §. 1.* cautum sit, ut salva sint Statibus Imperij sua jura privilegia &c. *tam in Ecclesiasticis quàm in Politicis, ut à nullo unquam sub quocunque prætextu de facto turbari possint ac debeant:* nulla tamen turbatio est, si Imperator in secunda instantia super controversijs inde ortis cognoscat, nisi aliunde demonstretur, nullam ipsi jurisdictionem in prædictis causis competere; quod nec in dicto Juris Responso nec alibi demonstratur, sed solùm

supponitur, quamvis sit caput controversiæ ibi propositæ.

741. II. Non recipiuntur in Camera Causæ Criminales. Et quidem neque per viam simplicis querelæ, neque per viam appellationis. O. C. *p. 2. tit. 28.* §. 5. R. J. *August. a.* 1530. §. *96.* Gaill. *lib.* 1. *obs.* 1. *n.* 27. & *L.* 1. *de Pace publ. c. ult. n. 36.* Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 41. Gylman. *tom.* 1. *Symphor. p.* 2. *tit.* 18. *vot.* 2. *n.* 5. Roding. *lib. 1. Pandect. Camer. tit. 29. n. 1.* Rulant. *de Commiss. p.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. Paurmeist. *lib. 2. de Jurisd. c. 4. à n.* 153. Vultej. *ad L.* 1. *C. Ubi Senator. n. 48.* Excipiuntur tamen, & in Camera deciduntur 1. Causæ fractæ pacis. Ord. C. *p.* 2. *tit.* 9. Gaill. *lib.* 1. *obs. 98. n.* 11. Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 40. & dixi suprà *n. 716.* 2. Causæ criminales personarum Cameralium, de quibus suprà *n. 706.* O. C. *p.* 1. *tit.* 50. §. *ult.* 3. Querela nullitatis super facto criminali intentata, id est, si processus dicatur nullus: dummodo Judex criminalis immediatè subjectus sit Imperio. O. C. *p.* 2. *tit.* 28. §. 4. Gaill. *cit. obs.* 1. *n.* 28. Mynsing. *l. c. n.* 6. Matth. Stephani *lib.* 2. *de Jurisd. p.* 1. *c.* 3. *n.* 209. Auct. *decis. Camer.* apud Gylman. *tom.* 3. *V. Nullitas prin.* 4. Si Judex ordinarius justitiam in criminalibus negligat. Rulant. *l. c.* à *n.* 2. Videantur dicta *n. 723.* 5. Vindicatio famosorum libellorum. *Reform. Polit. August. anno* 1548. *tit.* 34. §. 2. 6. Crimen Blasphemiæ. *cit. Reform. Polit. tit.* 1. §. 5. 7. Vini corrupti. *cit. Reform. tit.* 16. Universim si quid contra hanc Ordinat. Polit. admittitur, & Magistratus intermedius non procedit contra delinquentes, cognitio & punitio penes Cameram est. O. C. *p.* 2. *tit.* 20. §. 3. 8. Si causa orta quidem est occasione criminis, per se tamen non est criminalis. Mindan. *lib. 1. de Process. c. 9. n.* 10. Eadémque est ratio, si non de crimine puniendo, sed de Jurisdictione criminali agatur. Mindan. *l. c. n.* 11. Addit Mindan. *l. c.* à *n.* 1. causas criminales pœnam corporis afflictivam inferentes in simplici querela ad Cameram spectare contra immediatos Imperij subditos, qui Austregas non habent. Sed contrarium patet ex Constitut. Friderici II. *c.* 4. §. Wo es aber / quæ nullibi correcta fuit.

9. Si

9. Si accusator contra incarceratum intra tempus præfixum accusationem non prosequitur, mandata in Camera ad effectum perpetui silentij decernuntur. Auct. *decis. Camer.* apud Gylman. *tom. 3. Symphor. V. Causales.* 10. Denique disceptantur in Camera causæ criminales, quibus non agitur ad pœnam corporis afflictivam, sed tantùm ad mulctam pecuniariam, aut privationem honoris &c. Si tamen crimen sit tale, propter quod pœna corporis afflictiva inferenda foret, tametsi quis agat solùm in pœnam pecuniariam vel privationem officij, causa in Camera nec per viam simplicis querelæ nec per viam appellationis recipitur. Mynsing. *l. c. n. 4.* Mindan. *l. c.* à *n. 9.* quia subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatum est. *L.* 1. §. 10. *ff. Si is qui testam.* Eadémque est ratio de casu, quo quis criminaliter accusavit, accusatione tamen destitit, vel crimen non probavit, atque ideò accusatus per sententiam absolutus, accusatorem ad illatam injuriam & data damna reconveniat, atque hîc condemnatus appellet: non enim ejus appellatio in Camera admittitur. *Constit. Crimin. art. 12.* Gylm. *l. c. V. Causæ Crimin. §. ult.*

742. III. Non pertinent ad Cameram Imper. causæ de Feudis Imperij Regalibus, de quibus suprà *n. 733.* O. C. *p. 2. tit. 7.* Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 31. & obs. 29. n. 7.* Roding. *Pandect. Camer. lib. 1. tit. 17. n. 3.* Schrader. *de Feud. p. 10. sect. 11. n. 69.* Paurmeist. *de Jurisd. lib. 2. c. 6. n. 310.* Reinkingk *de Regim. secul. lib. 1. class. 4. c. 19 n. 6.* Videantur, quæ dixi *cit. n. 733.*

743. IV. Causæ fiscales, quæ concernunt Ducatus, Comitatus, Oppida, Arces, Territoria. Hæ enim absque auctoritate & mandato Cæsaris in Camera ventilari nequeunt. O. C. *p. 1. tit. 16.* §. 3. Roding. *l. c. tit. 8. n. 3.* Paurmeist. *cit. c. 6. n. 312.* & dixi suprà *n. 717.*

744. V. Causæ moderationum. Nam si quid contra procedendi modum dubij oritur, Cæsar à moderatoribus consulendus est. R. J. *August. an. 1555.* §. 133. Denais. *Jur. Camer. tit. Moderationum causæ 191. §. 5.* Paurmeist. *cit. c. 6. n. 315.*

745.

745. VI. Causæ Voluntariæ Jurisdictionis. Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 7.* & *obs. 41. n. 8.* Reinkingk. *lib. 2. Regim. Secul. class. 2. c. 14. n. 36.* cùm notum sit ex Constitutionibus Imperij, stylo & experientia, quòd Camera, exceptis paucis casibus, se non intromittat in actibus voluntariæ jurisdictionis. Quales sunt concedere veniam ætatis, Bocer. *de Regalib. c. 2. n. 133.* Norderman. *de Jure Princip. concl. 89. lit. C.* privilegia dare & confirmare, restituere famæ, legitimare, leges ferre &c. Auctor *Præjud. Cam. V. Cæsari reservata*, Sixtin. *de Regalib. lib. 1. c. 4.* à *n. 8.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 11. 31.* & *32.* Reinkingk. *l. c. n. 37.* Dixi: *paucis casibus exceptis.* Nam Adoptio, Arrogatio, & Emancipatio, apud Cameram expeditur. Tennag. *class. 2. c. 30.* Blumen *Proces. Cameral. tit. 42. n. 23.* Ibidémque petunt partes se condemnari ad servanda pacta, ut si altera pars stare ijsdem nolit, compelli ex sententia tanquam ex re judicata possit. Blumen *Proces. Cam. tit. 34. n. 52.* Gylman. *V. Pacta prin.*

746. VII. Universim omnes causæ, quæ jurisdictioni Imperatoris reservatæ sunt. Quales sunt Feuda Regalia conferre & adimere; de crimine læsæ Majestatis cognoscere; sessionem in Comitijs Imperij concedere; bellum indicere & inferre; indictiones Imperiales seu collectas generales facere; concedere jus constituendi novum vectigal, novam civitatem, publicas nundinas, stapulas seu emporia; concedere jus cudendæ monetæ; indulgere inducias moratorias &c. Quæ aliáque complura Reservata longo ordine recenset præter alios Sixtin. *de Regal. lib. 2. tot.* Obrecht. & Bocer. *eod. tract.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 13.* & *seqq.* Reinkingk. *lib. 1. de Regim. Secul. class. 5. c. 6.* & Knipschildt *lib. 2. de Jur. Civit. Imper. c. 4.* à *n. 35.*

§. IV.

## §. IV.

## *Quæ Causæ pertineant ad Concilium Imper. Aulicum.*

### SUMMARIUM.

747. *Causæ pertinentes ad Cameram Imperialem pertinent pariter ad Concilium Aulicum Imper.*
748. *Et illæ ad hoc, quæ non pertinent ad illam.*
749. *Conveniuntur coram summo hoc Tribunali immediati subditi Imperij in prima instantia, in secunda omnes mediati.*
750. *Exceptis Personis Cameralibus.*
751. *Causæ Ecclesiasticæ ibi non deciduntur, uti nec in Camera Imperiali.*
752. *In Causis, quæ summis his Tribunalibus communes sunt, locus est præventioni. Nec unum præventum amplius se immiscere valet.*
753. *Austregarum, aliáque Statuum Imperij privilegia, etiam quoad Concilium Aulicum locum habent.*

747. Non hîc de Causis ad Judicium Aulicum Cæsareum (seu, ut comuniter vocatur, Concilium Aulicum Imperatorium der Reichs-Hof-Rath) pertinentibus idcirco sermo est post causas ad Cameram Imperialem spectantes, quòd ista illi aut dignitate aut antiquitate præcellat: nam, ut nihil de dignitate dicam, vetustate antecedere Concilium Aulicum demonstrant D. ab Andlern *Jurisprud. Publ. & Priv. lib. 2. tit. 3. n. 8. & 15.* ac Schvvederus *Introduct. in Jus Publ. part. speciali sect. 1. c. 12. n. 2.* Sed quòd ex ijs, quæ de Causis Cameralibus dicta sunt, ultrò patet, quæ Causæ sint propriæ supremi hujus Tribunalis, de quo modò agitur. Igitur cùm Concilium hoc Aulicum, seu, ut aliter loqui solent, Aula Cæsarea, concurrentem cum Camera Imperiali jurisdictionem habeat, ut dixi suprà *n. 738.* consequens est, quòd ad illud quoque pertineant cumulativè & cum jure præventionis omnes causæ, quæ

in Camera Imperiali decidi possunt, & enarratæ sunt suprà *à n. 715. usque ad n. 736. inclus.* ita ut in ijs omnibus Actori liberum initio sit vel Judicium Imper. Aulicum vel Cameram adire.

748. Illæ verò Causæ, quæ à Camera Imperiali decidi nequeunt, & relatæ sunt suprà *à n. 741. usque ad n. 745. inclus.* privativè ad Judicium Imper. Aulicum pertinent, ut sunt Causæ Regalia Feuda concernentes; Causæ Italicæ; Concessio & Confirmatio privilegiorum; Concessio veniæ ætatis; Restitutio famæ; Causæ teloniorum; Causæ Criminales Statuum Imperij; Causæ moderationum; Legitimatio & Legitimationis confirmatio &c. de quibus fusè Paurmeist. *de Jurisd. lib. 2. c. 4.* Matth. Stephani *lib. 2. de Jurisdict. p. 1. c. 1. membr. 2.* Castald. *de Imperat. q. 110.* Brautlacht. *lib. 7. Jurisprud. Publ. c. 8.* Knipschildt *de Jurib. Civit. Imper. lib. 2. c. 33. à n. 21.*

749. Itaque in Aula Cæsarea, seu coram Senatu Imper. Aulico, in recensitis Causis tam cumulativè quàm privativè illuc pertinentibus, conveniri in prima instantia possunt omnes Imperio immediatè subjecti, uti sunt Electores, Principes tam Ecclesiastici quàm Seculares, Prælati, Comites, Barones, Nobiles & Civitates Imperiales: nisi speciali privilegio vel præscriptione sint exempti. In secunda verò instantiâ & per viam appellationis illuc deferuntur causæ eorum, qui Imperio mediatè subjecti sunt; atque etiam immediatè subjectorum, qui quoad primam instantiam ab Imperatoris jurisdictione per speciale privilegium vel aliâ ratione sunt exempti. Paurmeister. *cit. c. 4. n. 271.* Knipschildt *cit. c. 33. n. 26.* ubi insuper observant, quòd provocationibus ab Imperatore recipiendis modus & quantitas rei non sit præscripta, & Imperator summam in Camera appellabilem non teneatur observare. Verùm non quamcunque summam in Judicio Aulico esse appellabilem, constat ex ultima ejus Ordinatione *tit. 2.* Wir befelchen auch. V. und die Summa / unter welcher man nicht *appelliren.*

750. Excipiendæ tamen hîc sunt Personæ Camerales, de qui-

bus dixi suprà *n. 706.* Hæ enim in Camera forum privativè habent, uti patet cùm ex *Ordin. Cam. p. 1. tit. 63. prin.* tum ex R. J. *anno 1654. §. 141.* ubi ijsdem utrobique terminis de ijsdem statuitur, das sie anderer Gerichts-Zwäng frey seyn / und damit durch niemand in keine Weeg beschwert werden sollen / *ut à compulsione alia judiciali sint liberi, illáque à nemine quavis ratione graventur.* Solùm dicitur *cit. Ordin. Camer. p. 3. tit. penult. §. 14.* quòd si Assessores Cameræ animo malitioso malè judicaverint, atque Syndicatûs fuerint accusati, contra illos coram Imperatore, seu (quod in idem recidit, in Aula Cæsarea) ad condignam pœnam procedi debeat. Quæ exceptio firmat regulam in alijs casibus non exceptis. Blumen *Processs. Camer. tit. 26. n. 12.* D. ab Andlern *Jurisprud. Publ. & Priv. lib. 2. tit. 3. n. 32.* Ex quo iste rectè infert, eodem vicissim privilegio gaudere Consiliarios Judicij Aulici, ac coram Camera conveniri non posse.

751. Quemadmodum verò in Camera Imperiali non tractantur Causæ Sacræ & Ecclesiasticæ, uti Matrimoniales, Decimarum, Juris Patronatûs &c. ut dixi suprà *n. 739. & 740.* ita pariter non tractantur in Concilio Imper. Aulico. Paurmeist. *cit. c. 4. à n. 150.* Reinkingk *lib. 3. de Regim. Eccles. class. 1. c. 10. n. 22.* Schweder. *l. c. n. 8.* Knipschildt *cit. c. 33. n. 24.* Nisi fortè cùm solùm agitur possessorio *Recuperandæ* aut *Retinendæ*, vel sola vertitur quæstio facti. Videantur ea, quæ dixi *cit. n. 739. & 740.*

752. In illis porrò causis, in quibus concurrunt suprema hæc Tribunalia, Judicium videl. Aulicum Imper. & Camera Imperialis, locus præventioni est, ita ut coram eo causa disceptanda sit, coram quo primùm lis cœpta fuit per citationem legitimè insinuatam aut saltem decretam. Ita habetur *Ordinat. Judic. Aul. tit. 2. §.* So wollen wir auch. Hinc si lis in Camera cœpta fuerit in causis illuc pertinentibus, eas avocare vel inhibitiones decernere, aliáve viâ cursum Justitiæ impedire non potest Concilium Aulicum. *cit. Ordin. l. c. R. J. anno 1654. §. 166. Capitulat. Leopold.*

*art. 42.* & *Josephina art. 41.* Universim causa semel cœpta in uno horum Judiciorum, avocari & trahi ad alterum non potest. O.C. *p. 2. tit. 35.* R. J. Spir. *anno 1570. §. 42.* Gaill. *lib. 1. obser. 41. n. 3.* Schrader. *de Feud. p. 10. sect. 5. n. 185.* Reinkingk *lib. 2. de Regim. Secular. class. 2. c. 14. n. 15.* Bocer. *de Jurisd. c. 7. n. 53.* Besold. *Thesaur. Pract. V.* Abforderung / Roding. *lib. 1. Pandect. Cameral. tit. 3. n. 9.* Paurmeister. *lib. 2. de Jurisdict. c. 6. n. 80.* Neque ipse Imperator causas in judicio Cameræ Imperialis pendentes ad se avocare potest, aut Cameræ inhibere, ne porro in aliqua causa procedat: cùm juxta Ordinationem Imperij *p. 2. tit. 35.* exercitium jurisdictionis Cameræ impediri non debeat, ac per modum contractûs Imperator in Ordinationem Cameræ consenserit, ac proinde ad ejus observantiam etiam de Jure communi obligetur, juxta *L. Digna vox C. de Legib.* ac communem DD. ibi & *in L. Ex imperfecto C. de Testam.* Præterquam quòd Judicium Cameræ non à solo Imperatore, sed etiam à Statibus Imperij constitutum ac hactenus continuatum fuerit. Gaill. *lib. 1. obser. 41. n. 3.* Blumen *Process. Camer. tit. 25. n. 21.* qui *n. 23.* qui *n. 23.* putat, neque cum Statibus simul posse ab Imperatore causas ibi pendentes avocari: eòquòd postquam causa pendere cœpit, res non sit amplius integra *c. 20. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* re autem non amplius integrâ ne quidem Jurisdictio Delegata revocari possit *arg. §. 9. Inst. de Mandat. junct. cit. c. 20.* multò igitur minùs Ordinaria, qualis est Jurisdictio Cameræ. Verùm posterior hæc opinio admittenda non est. Nam, ut ait, JC. *L. 58. ff. de Judic. judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat: vel etiam eo, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet* (qualis est v. g. Proconsul respectu sui Legati, Episcopus respectu sui Vicarij Generalis) *vel etiam, si ipse Judex ejus imperij esse cœperit, cujus erat, qui judicare jussit.* Idemque traditur *C. Ut nostrum 96. de Appellat.* Unde posse Superiorem causam coram Judice inferiore pendentem, eo in statu, quo est apud inferiorem, ad se vel motu proprio vel ad instantiam partis avocare, apertissimi juris esse

ajunt

ajunt Besold. *Thesaur. Pract. V.* Abforderung & Berlich. *tom.* 1. *concluſ. 6. prin.* ubi plurimos allegat. Possunt igitur Imperator simul & Status causas à Camera avocare, utpote à quibus ipsa jurisdictionem habet, & quos huic suo juri renuntiâsse nuspiam legitur. Neque obest, quod ille ulteriùs ait, eam jurisdictionem lege delatam fuisse: cùm constet, posse illum legem tollere, qui tulit. Cæterùm possunt ab Aulico Concilio impetrari Literæ Promotoriales seu Imperiale Rescriptum ad Cameram Imperialem pro excitanda & acceleranda justitiâ, ut ista maturè & celeriter administretur, uti præter experientiam & usum quotidianum testantur Gerard. *de Supr. J. R. Germ. Judic. discurs.* 1. *c.* 3. Schvveder. *l. c. n. 7. in fin.* D. ab Andlern *l. c. n. 40.*

753. Quemadmodum verò Cameræ Imperiali, quando in causis eò pertinentibus Senatum Aulicum prævenit, salva, ut modò dixi, esse debet sua jurisdictio; ita pariter salva esse debent Statibus Imperij privilegia primæ instantiæ, Austregarum, de non appellando &c. *Instrum. Pacis Osnabrug. art.* 5. §. 20. *V. Cætera, R. J. anno 1654* §. 168. *Ordin. Judic. Aulic. tit.* 2. §. Wir befehlen auch. *Capitul. Leopold. art.* 18. *Joseph. art.* 17. ubi Rescripta, Inhibitiones, Mandata, quæ his promissis adversa sunt, nulla pronunciantur. De quæstionibus, quæ nonnunquam eidem Concilio Aulico à Statibus Imperij, uti cùm agitur de eorum vita & fama, moventur, privatorum non est agere, sed earum decisionem summo Imperij Capiti & Statibus relinquere.

# CAPUT V.

## De Causis Mixti Fori.

### §. I.

### *Quænam Causæ sint Mixti Fori.*

SUMMARIUM.

754. *Causæ Mixti Fori sunt, quæ ad Judicem Ecclesiasticum & Laicum pertinent cum jure præventionis.*
755. *Inter Crimina Mixti Fori sunt Usura.*
756. *Blasphemia: nisi Hæresin contineat.*
757. *Adulterium: nisi agatur ad divortium.*
758. *Incestus.*
759. *Sodomia.*
760. 761. 762. *Sacrilegium.*
763. *Sortilegium: nisi sapiat Hæresin.*
764. *Concubinatus.*
765. *Polygamia.*
766. *Assassinatus, Crimen Falsi, Incendiariorum.*
767. *Laicus æquè ac Ecclesiasticus Judex compellere potest ad servandum Juramentum: non tamen directè ab eo absolvere.*
768. *Ac jus dicere, si actio intentatur contra laicum pro re Ecclesiæ.*
769. *Item exequi ultimas Voluntates ad Pias causas.*
770. *Nec non prohibere ac tollere, quæ adversantur Religioni ac bonis moribus.*

754. Causæ Mixti Fori illæ propriè dicuntur, quæ Ecclesiastico & Seculari Foro sunt communes, seu in utroque deciduntur, ita ut præventioni sit locus, & ille Judex, qui prævenit alterum causam ad se trahendo, non possit ampliùs ab altero in cognoscendo & judicando impediri. Impropriè dicuntur Mixtæ, quarum cognitio cum eodem præventionis jure pertinet ad duos Judices Seculares aut duos Ecclesiasticos, habentes jurisdictionem concurrentem, uti habent v. g. Judex loci delicti aut contractûs, & ille, in cujus territorio domicilium habet delinquens, aut contrahens.

755. Quemadmodum, ut suprà dictum est *n.* 625. Hæresis & Simonia privativè pertinent ad forum Ecclesiæ: ita complura alia

alia crimina sunt Fori Mixti. Et I. quidem Usura, uti communior DD. tradit apud Cævallos *Opin. Comm. opin.* 11. & Covarr. *L. 3. Var. c. 3.* contra Baldum aliósque complures, qui hoc crimen ad solum Ecclesiæ Forum pertinere existimant. Ratio assertionis nostræ est: quia Usura utroque Jure prohibita est, ut fusè prosequuntur Menoch. *de Arbitrar. casu 398.* & Gibalin. *de Usur. L. 1. c. 7. art. 4.* Ac nunquam fuisse Jure Civili permissas Usuras Lucrativas, seu Mordentes, ut vocant, sed solùm Compensatorias & Punitorias, ostendere cum Wadingo ac alijs conatur Haunold. *Tom. 3. de Just. tr. 9. à n. 382.* Ex eo autem, quòd aliquod crimen prohibitum est Jure tam Sacro quàm Civili, potissimùm desumunt DD. quòd cognitio de illo ad utrumque Forum pertineat: nisi crimen sit circa objectum merè spirituale, uti est Hæresis & Simonia. Limitant plurimi hanc doctrinam asseruntque, si quæstio sit non facti, sed Juris, an videlicet hic vel ille contractus sit usurarius, id decidere solius Judicis Ecclesiastici esse. Et ita teneri ab omnibus Legistis & Canonistis cum Jasone ait Clarus *L. 5. Sent. §. fin. q. 37. n. 2.* idémque tradit Covarr. *L. 3. Var. c. 3. prin.* à quibus tamen ipse recedit *l. c. §. Ego ut liberè*, ac eorum opinionem erroneam, suámque Jure verissimam esse dicit. Ego ab hac acri censura abstinendo, cum eodem, & Farin. *L. 1. Prax. Crim. tit. 1. q. 8. n.* 140. ac alijs assero, ad Forum quoque seculare hoc crimen, etiam in quæstione Juris, pertinere: nulla enim prorsus est ratio dicendi, ac omnino gratis fingeretur, quòd cognitio, utrùm aliquis contractus injustitiam contineat, ad solum Judicem sacrum pertineat. Si autem de alijs contractibus hanc controversiam decidere potest Judex laicus, poterit etiam, quando dubitatur, utrùm contractus sit usurarius. Quamvis enim verum esset, non esse prohibitas Jure Civili, non tamen sunt prohibitæ solo Jure Ecclesiastico, sed etiam Naturali, ut concors Theologorum sententia tradit contra Abulensem ac paucos alios, quorum opinionem Bannez hæreticam, alij periculosam, temerariam, erroneam dicunt, certúmque est, jam in

Lege

Lege Veteri judicatum fuisse, esse illicitas & injustas, uti patet ex *Deuteron. c. 23. Proverb. 28. Psal. 14. 54. & 71.* ac *Ezech. 18.* Quæ autem Jure Naturæ vetita sunt, puniri etiam à Judice laico possunt.

756. II. Ad utrumque Forum pertinet Blasphemia: cùm utroque Jure sit prohibita; Canonico quidem *tot. tit. de Maledicis & Blasphemis*, Civili *Novell. 77.* Quia verò crimen Hæresis privativè pertinet ad Forum Ecclesiæ, ut dixi *n. 625.* idcirco si Blasphemia contineat Hæresin, videlicet si Deo negetur aliquod Attributum seu Perfectio, v. g. Justitia aut Providentia, & proferatur ab Ecclesiæ subdito seu Baptizato, solius Judicis Ecclesiastici est de ea judicare. Prolata verò ab Infideli, seu non Baptizato, v. g. Judæo, Turca, puniri potest à solo Judice seculari, ut ex communi DD. docet Jul. Clarus *l. c. §. Blasphemia n. 5.* addens tamen, quòd si Judex secularis esset negligens, Ecclesiasticus etiam in Infidelibus eam punire posset. Idem dicendum est, si Infideles subjecti sint, uti sunt Judæi, dominio temporali SS. Pontificis, aut Episcoporum; vel peregrini quidem sint, sed in ipsorum territorio temporali blasphement. Modò dicta procedunt non tantùm de Blasphemia immediatè in Deum, sed etiam in Virginem Deiparam aliósque Sanctos jactâ; cùm verba contumeliosa etiam in hos effusa sint Blasphemia, ut constat ex *C. Statuimus 2. de Maledic.* & traditur unanimi consensu à DD. Catholicis, quibus per insignem injuriam & calumniam affingit Berlich. *p. 4. conclus. 1. n. 34.* ideò ab ipsis tradi, quòd committatur in Deiparam & Sanctos Blasphemia, *quoniam illis cultus & honor divinus debeatur.* Nullus enim Doctorum, quos citat. *n. 33.* id dixit, sed nec ullus unquam Catholicus: ac si dixisset, Catholicus per hoc esse desijsset, cùm id asserere sit hæreticum. Hinc Josephus Franciscus Borri, seu Burrhus, celebris Chymista & Medicus Mediolanensis, quòd refosso errore antiquorum Hæreticorum, quos Collyridianos dicebant, Deiparam doceret esse Deam (quod idem est, ac Divinum ei cultum deberi) petente SS. Pontifice ab Augustis-

gustissimo Imperatore Romam remissus, ac ibidem anno 1661. in effigie combustus & perpetuis carceribus mancipatus fuit, in quibus & vitam finijt anno 1695. forsan non effugiturus sortem, quam ejus effigies habuit, nisi vitam ipsi impetrâsset potens magnorum Principum patrocinium.

757. III. Adulterium. Esse de Foro Canonico patet ex *C. Gaudemus 19. de Conversi. Conjugat.* De Foro Civili, ex *Can. Rex 40. 23. q. 5.* & *L. 30. ac tot. tit. ff. & C. ad L. Jul. de Adulter.* Si tamen civiliter solùm agatur de adulterio, nimirum ad divortium, restitutionem dotis, alimenta &c. solus Judex Ecclesiasticus de eo cognoscit. *C. Tuæ 5. de Procurat.* Unde si lite coram seculari Judice mota de alimentis à marito uxori separatæ præstandis is opponat adulterij crimen, ob quod uxor alimentorum jure sit privata, Judex secularis lite supersedere debet, donec quæstio incidens super adulterio à Judice Ecclesiastico fuerit terminata, ut dixi *n. 615.* ac fusè explicat Sanchez *L. 10. de Matrim. disp. 8. à n. 15.*

758. IV. Incestus, ut communiter tradunt DD. Quòd ad Forum Ecclesiæ pertineat, patet ex eo, quia Ecclesia statuit impedimenta Consanguinitatis & Affinitatis, etiam in gradibus, in quibus Jure Naturæ statuta non sunt. Quòd spectet etiam ad Forum seculare, constat ex *Auth. Incestas C. de Incestis Nupt.* & *L. 38. ff. ad L. Jul. de Adulter.*

759. V. Sodomia. De Foro Ecclesiæ id perspicuum est ex *C. Clerici 4. de Excess. Prælator.* de Seculari ex *L. 31. C. ad L. Jul. de Adulter.* Ob crimen hoc nefandum Clericus etiam à Judice seculari puniri potest, si præcessit sententia Judicis Ecclesiastici declaratoria. Nam juxta Constitutionem Leonis X. quæ incipit *Summæ*, & Pij V. *Cum primùm*, ac alteram ejusdem Pontificis *Horrendum*, Clericus per hoc crimen omni officio, dignitate, ac beneficio Ecclesiasticio, ipso jure privatur. Ad quam tamen pœnam incurrendam aliqui cum Navarro plures actus requirunt, alij cum Salzedo *in pract. crim. Canon. c 86.* & Marta *p. 2. de Jurisdict. c. 16. n. 3.* unum sufficere ajunt: tum quòd pœnæ in alia

crimina ſtatutæ incurruntur per unum actum; tum quòd in ultima Pij V. Bulla non adhibetur verbum *exercentes*, quod juxta DD. frequentiam actuum denotat; ſed verbum *perpetrantes*, quod per unum actum verificatur.

760. VI. Sacrilegium, uti patet cùm ex eo, quia eſt contra Religionem & res ſacras, v. g. contra votum, reverentiam Eccleſijs debitam, ac punitur excommunicatione aliísque pœnis Eccleſiaſticis; tum ex *L. Sacrilegij 6. & L. Sacrilegi 9. ff. ad L. Jul. peculat. L. ſi quis* 10. *C. de Epiſc. & Cleric. Novell.* 123. *c.* 21. §. 1. Unde rectè inferunt DD. quòd ſi Clericus peccet cum laica perſona, etiam iſta puniri poſſit ab Eccleſiaſtico Judice; imò de Jure ob connexionem cauſæ puniri debere, patet ex dictis ſuprà *n.* 583. Huc referenda quoque ſunt delicta, quæ laici in loco ſacro perpetrant, v. g. aliquem vulnerando aut occidendo in Eccleſia. Ubi tamen ingens diſſenſio eſt inter DD. Nam Petr. & Cynus *in L. Præſens de C. his, qui ad Eccleſ confug.* delicta in Eccleſia perpetrata privativè ad Judicem Eccleſ. ſpectare contendunt. E contrario Bartol. *in L. ſi cui* § *fin. ff. de Accuſ. n.* 3. aliíque complures, quos refert Roland. à Valle *lib.* 2. *conſil.* 24. *n.* 5. ſoli Judici laico jurisdictionem tribuunt. Concurrentem alij cum Pappon. *lib.* 4. *tit.* 4. 6. agnoſcunt jurisdictionem cum jure præventionis. Denique Panor. *in C. Inter alia de Immunit. Eccleſ. n.* 29. *& in C. Cùm ſit generale de Foro comp. n.* 27. ſuffragante Anchar. *in C. Poſtulâſti de Foro comp. oppoſit.* 3. Alex. *lib.* 1. *conſil.* 131. *à n.* 1. Covarr. *lib.* 2. *var. c.* 20. *n.* 18. *v. Trigeſimò quintò.* Roland. *l. c. conſil.* 26. *à n.* 5. Gomeſ. *lib.* 2. *var. Reſol. c.* 10. *à n.* 2. Farin. *de Carcerib. q.* 28. *n.* 62. Vulpell. *de Libert. Eccleſ. p.* 1. *à n.* 29. Decian. *tract. crimin. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 17. *n.* 34. Menoch. *de Arbit. Judic. caſu* 389. *à n.* 40. Caball. *lib.* 1. *reſolut. crim. caſ.* 194. *n.* 2. ac alij, aſſerunt, cognitionem de crimine mutilationis v. g. aut homicidij à laico perpetrati ad Judicem ſecularem privativè pertinere, cognitionem verò Sacrilegij ad Judicem utrumque. Verùm hæc opinio tunc ſolùm locum habet, quando crimen eſt tale, quod à Judice Eccleſ.

clef. condignâ pœnâ vindicari nequit, uti v. g. est homicidium. Secùs enim non est ratio, cur non etiam Judex Ecclesiast. judicare de illo possit, si laicum Judicem prævenit, juxta ea, quæ de continentia causarum dixi suprà *à n. 561.* Tametsi enim furtum v. g. à laico commissum de se pertineat ad cognitionem Judicis laici, si tamen est qualificatum per sacrilegium, non est ratio, cur non etiam ad forum Eccles. pertineat, cùm sit unicum & indivisibile crimen, etsi speciem simul furti & sacrilegij contineat.

761. Porrò Sacrilegium mixti fori est, & ad Judicis etiam secularis cognitionem pertinens, non solùm, si committitur à laico in laicum, v. g. si laicus in Ecclesia percutiat laicum, sed etiam, si Clerico intra vel extra Ecclesiam injuriam inferat, aut si laicus Virginem Deo dicatam corrumpat. Jul. Clar. *lib. 5. Sent. §. fin. q. 36. n. 47.* Guido Papæ *decis. 562. n. 3.* Carol. de Grass. *de Effect. Clericat. effect. 1. n. 577.* Genuens. *in Prax. Archiep. c. 29. n. 5.* Menoch. *de Arbitr. Judic. casu 389. à n. 14.* Suar. *Defens. Fid. lib. 4. c. 15. n. 13.* Guazzin. *in Defens. reor. p. 1. c. 11. n. 11.* Osasch. *decis. 103.* E contrario etiam ad forum Eccles. pertinet injuria laico à laico in Templo illata, & furtum rei profanæ in eodem à laico factum: tametsi enim teste JCto *L. 5. ff. Ad Leg. Jul. peculat. Divi Sever. & Antonin. Cassio Festo inscripserunt, res privatorum, si in ædem sacram depositæ subreptæ fuerint, furti actionem non sacrilegij esse:* quia tamen *sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro* (loco) *vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro,* ut ait Pontifex *Can. quisquis 21. 17. q. 4.* idcirco etiam furtum rei profanæ è loco sacro est Sacrilegium. Cúmque decisio circa res ad Religionem pertinentes non ad potestatem laicam, sed sacram pertineat, Jus hîc Canonicum attendendum est, uti benè notant Bald. *in L. Si nondum C. de Furt. n. 4.* Boërius *decis. 254. n. 2.* Decian. *tom. 2. tr. Crim. lib. 6. c. 30. n. 16.* & Menoch. *l. c. n. 14.*

762. Addunt hîc Innocent. Panorm. Oldrad. aliíque plurimi, conveniri etiam coram Judice Eccleſiaſtico poſſe laicum non tantùm, ſi conveniatur ſuper rebus ipſius Eccleſiæ, ſed etiam ſuper bonis Clerici patrimonialibus, ídque certum eſſe ait Sperelli *Deciſ. Fori Eccleſ. p. 1. deciſ. 100. n. 40.* eò quòd etiam tunc committatur ſacrilegium. Verùm ſacrilegium committi per violationem bonorum patrimonialium Clerici, ſupponitur & non probatur, ac idcirco conveniendum tunc eſſe laicum à Clerico coram Judice laico, tenent Suar. *lib. 4. Defenſ. Fid. c. 14. n. 14. & 15.* ac alij, ac dixi ſuprà *n. 88.* Illud omninò admittendum, poſſe Eccleſiam reſtitutionem in integrum petere coram Judice etiam Eccleſiaſtico, uti cum Panorm. Felin. Innocent. Marian. Socin. Feder. de Senis ac communi aliorum tradunt Redoan. *de rebus Eccleſ. non alien. & q. de reſtit. in integr. §. 7.* Aufrer. *in Clem. 1. de Offic. Ordin. & tract. de Poteſt. Eccleſ. n. 43. vol. 14. inter Tract. diverſ.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. tit. Secund. artic. princip. n. 10.* Diaz *reg. 219. limit. 2.* Gutierez *lib. 1. Can. qq. c. 34. n. 10.* ac manifeſtum eſt ex *C. pen. de Reb. Eccleſ. alien.* Eundémque in finem paſſim à DD. adducitur textus *c. 1. de in integr. reſtit.* Unde malè diſſentit Covarr. *lib. 1. var. reſol. c. 4. n. 2.* aſſerens divinando, fortè Civitatem Alphanenſem, cujus Epiſcopo reſcripſit Pontifex *cit. cap. 1.* fuiſſe tunc ſub dominio temporali Sedis Apoſtolicæ. Quæ cavillatio ſi ſemel admittatur, plurima alia reſcripta Pontificia ad Epiſcopos Italiæ data eludi poterunt. Dicere pariter debuit, Maurianam Sabaudiæ Civitatem, ad cujus Epiſcopum data fuit decretalis *cit. C. pen.* fortè tunc fuiſſe ſub jurisdictione temporali Eccleſiæ.

763. VII. Crimen Mixti Fori eſt Sortilegium. *Can. 10. 26. q. 5. & tot. tit. C. de Malefic. & Mathem.* Erit tamen ſolius Judicis Eccleſiaſtici de eo judicare, ſi ſapiat hæreſim, v. g. ſi quis invocet Dæmonem, ut ſciat futura &c. De quo fusè Clarus *L. 5. Sentent. §. Hæreſis n. 25.* & Farin. *in Praxi crim. q. 20. à n. 72.*

764.

764. VIII. Concubinatus. *Can. Nemo 4. 32. q. 4.* ubi omne carnale commercium extra conjugium in latiore & impropriâ significatione dicitur adulterium, & *Novell. 14. §. 1.* Unde dubium jam non est, posse hoc delictum etiam à seculari Magistratu puniri: tum quia Leges Civiles posteriores illud prohibent: tum quòd praxi locorum ita receptum est.

765. IX. Polygamia. Esse Fori Ecclesiastici constat, cùm ex eo, quòd per eam irreverentia & injuria Sacramento Matrimonij irrogatur; tum quòd agitur contra institutionem Conditoris Dei, qui *masculum & feminam creavit eos*, ut dicitur *Genes. 1. v. 27.* ac Christus repetijt *Matth. 19. v. 4.* id est, tantùm unam junxit uni, ut exponunt SS. Chrysostomus, Hieronym. aliíque PP. apud Maldonatum *in cit. c. Matthæ.* Quæ institutio Divina matrimonij inter unum tantùm virum & feminam unam, rectè etiam deducitur ex illo *Genes. 2. v. 24. adhærebit* (vir) *uxori suæ, & erunt duo in carne una. Nam non dixit* (ait Pontifex *C. Gaudemus 8. de Divort.*) *tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori.* Nec si quis plures habere uxores simul posset, essent duo, sed tres vel quatuor in carne una. Unde Christus *cit. c. 19.* ex illis verbis Geneseos probavit, esse adulterum, qui dimissâ primâ secundam ducit. Quod verum non esset, si quis posset plures ducere: tametsi enim peccare eo casu posset priorem dimittendo, non tamen esset adulter ducendo secundam, quia hæc esset vera ejus uxor. Quòd verò Polygamia crimen sit etiam Fori secularis, manifestum est cùm ex praxi, tum ex *§. Socrum 7. Inst. de Nupt. L. Nemo 7. C. de Judæis & Cælicol.* & *L. Neminem 2. C. de Incest. & Inutil. Nuptijs.*

766. X Assassinatus. Judicis laici esse de hoc crimine cognoscere, constat cùm ex praxi, tum ex eo, quòd Jure Civili punitur Homicidium. *§. Item Lex Cornelia 5. Inst. de Public. Judic.* Esse etiam Judicis sacri perspicuum est ex *C. 1. de Homicid. in 6.* Idem dicendum est de Crimine Falsi, juxta *C. 7. de Crimine Falsi*, ac *tot. tit. C. ad L. Cornel. de Falsis.* Idem de crimine Incendiariorum.

riorum. *Can. Peſſimam 32. 23. q. 8.* & *Can. 21. 12. q. 2.* ac *L. 10. ff. ad L. Cornel. de Sicar. cit. §. 5. Inſt. de Public. Judic. L. 28. §. 12. ff. de Pœn. L. 9. ff. de Incendio*, & *Conſtit. Crimin. Caroli V. art. 125.* De his criminibus Mixti Fori præter alios fusè ac doctè agit Marta *de Jurisdict. p. 2. à c. 7. usque ad 30.* ubi plura alia addit, ut falſatarum literarum Apoſtolicarum, fractæ pacis, conventiculorum illicitorum, piraticæ.

767. Sunt præter Crimina aliæ quædam cauſæ, quæ ad Forum tam Eccleſiæ quàm Magiſtratuum ſecularium pertinent. Nam primò ad obſervandum Juramentum Promiſſorium compellere poteſt uterque Judex. De Eccleſiaſtico conſtat cùm ex *tot. tit. de Jurejurando*, tum ex eo, quòd res eſt ſpiritualis, ac immediatè pertinens ad ſalutem animæ, & cultum Numinis, quod in teſtem vocatur. De ſeculari Judice id ſupponitur *C. Licèt mulieres de Jurejur. in 6.* Hæres tamen laicus circa contractum, quem teſtator juramento firmavit, conveniri coram Judice Eccleſiaſtico nequit, ut poſt. Joan. Andr. Panorm. Bald. ac alios benè obſervat Farin. *L. 1. Prax. Crim. tit. 1. q. 8. n. 141. §. Limita hanc ampl.* quia licèt obligatio promiſſionis ac contractûs à defuncto initi tranſeat ad hæredem, non tamen ad eum tranſit obligatio Juramenti, utpote quod merè perſonale eſt, ut cum S. Thoma, Bart. Bald. Panorm. Imol. tradit communiſſima DD. quos allegant & ſequuntur Farin. *l. c.* Gabrielius *L. 2. tit. de Jurejur. concluſ. 6.* Suar. *Tom. 2. de Relig. lib. 2. de Juram. c. 15. n. 9.* & *c. 31. n. 12.* ac Thomas Sanch. *in Decalog. L. 3. c. 13. n. 1.* nec ullum, qui diſſentiat, auctorem mihi licuit reperire. Neque obſtat, quòd vota Teſtatoris realia, v. g. de diſtribuendis eleemoſynis, fundanda Eccleſia, implere hæres teneatur. *L. 2. ff. de Pollicitat.* Hæc enim, ſi valida ſunt, obligant ratione promiſſionis Deo factæ & ab hoc acceptatæ, ac proinde impleri debent ab hæredibus, ſicut promiſſiones hominibus factæ, ut fusè explicant Sanchez *l. c. lib. 4. c. 15. à n. 25.* & Suar. *l. c. lib. 4. de oblig. Voti c. 11.* Tametſi verò etiam Judicis ſecularis ſit compellere ad ſervandum Juramen-

mentum: non tamen potest ab eodem directè absolvere, quamvis possit indirectè, videlicet illud remittendo loco subditi, cui juratum est, & qui propter injuriam v. g. aut bonum publicum tenetur remittere, ut cum communi DD. tradunt & explicant Suar. *l. c. c. 41. n. 16.* ac Cardin. de Lugo *disp. 22. de Just. n. 238.* & dixi suprà *n. 726.*

768. Secundò Causa Mixti Fori est, si agatur pro re Ecclesiæ contra laicum: poterit enim iste tunc conveniri etiam coram Judice Ecclesiastico, sive agatur actione reali, sive personali. Ita cum communissima DD. Bellet. *Disquit. Cleric. tit. de favore Cler. reali §. 5. n. 2. & 6.* Guttierez *Canon. qq. lib. 1. c. 34. n. 13.* Sperelli *decis. 98. n. 2.* & constat ex *C. penult. de Reb. Eccles. alien.* tradúntque ibi omnes Interpp. Quod privilegium fundatur tum in Ecclesiæ & Clericorum prærogativa: tum, uti putat Sperelli *l. c.* in negligentia Judicum secularium, qui parùm, ut ait, aut nihil solent illis favere: tum denique, quia detinentes rem Ecclesiæ non præsumuntur justè detinere. *cit. C. Si Clericus junct. C. Cum sit de Foro comp.* Unde consequens est, quòd administrator bonorum Ecclesiæ pro reddenda ratione, colonus partiarius pro solvenda parte fructuum, emphyteuta pro canone solvendo &c. coram Judice Eccles. conveniri possint. *Can. Judicatum & ibi Glossa dist. 9.* Panorm. *in cit. C. 5.* Valasc. *de Jure emphyt. q. 34. n. 14.* Hieron. Gabriel. *consil. 37. n. 10.* Marian. Socin. *in C. Si quis Clericus de Foro comp. n. 8.*

769. Tertiò Causa Mixti Fori est Executio Ultimarum Voluntatum ad pias causas, uti colligitur ex *L. 28. §. 5. C. de Episc. & Cleric.* & *L. 50. in fin. ff. de Petit. Hæredit.* Si tamen testator aliquid legâsset pro restitutione illicitè acquisitorum (quod legatum merè spirituale dicunt) solus Episcopus executor esset. Ad quem insuper pertinet executio legati pij pro redemptione captivorum, si nullus alius executor nominatus est: tametsi executionem ab eo fieri noluerit & prohibuerit testator. *Novell. 131. c. 11.* Habet denique Episcopus jus ferendi sententiam definitivam,

vam, quando inter executores teſtamenti ad pias cauſas eſt diſcordia. De quo Haunold. *Tom. 5. de Juſt. tr. 1. n. 334.*

770. Quartò denique huc præter alia referenda eſt poteſtas tollendi ea, quæ bonis moribus & Religioni adverſantur, ut eſt v.g. prohibere ſubditis, ne ad Conventus & Conciones Heterodoxorum accedant; prohibere & ſupprimere libros noxios, quorum ab uno alteróve ſeculo uti feraciſſima, ita perniciosiſſima ſeges eſt, eáque ſcribentium licentia, ut ante paucos annos quidam auſus fuerit ipſum Eccleſiæ Catholicæ Patronum & Protectorem Glorioſiſſimum Regem Romanorum adſciſcere Patronum ſuo Operi, in quo Catholicam Religionem non ſemel inceſſit ac traducit, unáque tacitè Patronum, qui eam ſequitur; alij verò multi inaniſſimas fabulas pridem apertæ calumniæ convictas identidem regerant, & fucum incauto Lectori faciant. Quos inter Goldaſtus Calviniſta Imperialibus, quas collegit, Conſtitutionibus, præter plura alia fabuloſa, inſeruit quandam Declarationem Pacis Religioſæ, & Epiſtolam ad Lutherum, feliciſſimæ memoriæ & ardentiſſimi in Catholicam Religionem ſtudij ac zeli Imperatori Ferdinando I. à quibusdam per ſummam injuriam, ut mox à Catholicis demonſtratum fuit, affictas. De qua ſimilibúsque impoſturis plura Jurisconſulti Catholici *in Compoſitione Pacis c. 6. q. 45.* Eâdem fide conſarcinata fuit ante bina circiter luſtra ſub ficto nomine Auguſtini le Blanc Hiſtoria de Auxilijs Gratiæ Divinæ, farta plurimis fabulis & mendacijs, tantâ nihilominus præfidentiâ & audaciâ Orbi Literario obtruſis, velut pura veritas, cui refragari nemo poſſit, afferretur. Errant porrò, qui libertatem ſcribendi per librorum prohibitionem putant non eſſe conſtringendam. Quàm enim librorum vel pravam doctrinam vel calumnias continentium lectio inimica ſit & noxia Religioni, quantùm inquinet plurimorum mores, multorum famam ac honorem, nimis apertè oſtendit quotidiana experientia. Quòd verò hujusmodi libros non tantùm vetare, ſed etiam comburere, uſitatum ſemper fuerit non Eccleſiæ

dunta-

duntaxat, sed etiam Imperatoribus aliisque Magistratibus secularibus, tam Ethnicis quàm Christianis, fusè & eruditè docet Emman. Gonzalez *in C. Præterea 4. de Hæretic. à n. 6.* ubi *n. 9.* dissolvit, quæ in contrarium afferri possunt.

## §. II.

## *Utrùm in Causis Mixti Fori Judex Ecclesiasticus procedere contra laicos ad pœnas temporales possit.*

771. *Proponitur sententia negantium cum suis fundamentis.*
772. *Statuitur cum communi DD. posse Judicem sacrum etiam ad pœnas temporales procedere. Et probatur ex novo Jure Tridentini.*
773. *Similiter ex antiquo.*
774. *Stabilitur multiplici ratione.*
775. 776. *Respondetur ad fundamenta adversantium.*

771. Cùm Causæ modò enarratæ ad Forum tam Sacrum quàm Profanum cum jure præventionis pertineant, quæstio nascitur, an Judex Ecclesiasticus quoad illas procedere contra laicos possit non tantùm ad pœnas Ecclesiasticas, sed etiam temporales, seu illas, quas Judex etiam Secularis infligere valet, quales sunt mulcta pecuniaria, carcer, verberatio, irrogatio infamiæ, exilium &c. Negant Jul. Clarus *lib. 5. Sentent. §. fin. q. 37. n. 8.* Fernand. Vasq. *lib. 3. de Testam. §. 22. à n. 17.* Camill. de Curte *p. 2. divers. feudal. c. 2. n. 17.* Carol. de Grass. *de Effect. Cleric. effect. 1. n. 620.* aliíque non pauci. Unde ajunt, Episcopos, si incarcerandi sint rei laici, bonis privandi &c. brachium seculare implorare debere. Nituntur gemino fundamento. 1. Quòd Episcopus non habeat territorium distinctum & temporalem jurisdictionem, ac proinde familiam armatam tenere non valeat, uti post Panor. *in C. Significâsti de Offic. & potest. Jud. deleg. n. 10.* docuêre non pauci, quos refert Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 29. n. 13.* 2. Quòd pœna temporalis

poralis in causis mixti fori veniat à Lege, ut observat Bartol. *in L. Placet C. SS. Eccles, n. 6.* ac consequenter hæc pœna, ut ajunt, à Judice tantùm laico imponi possit.

772. Verùm dicendum est, posse Judicem Ecclesiasticum in criminibus mixti fori non tantùm ad censuras & pœnas spirituales contra laicos procedere, sed etiam ad temporales, citra mortem tamen & sanguinis effusionem. Ita post Innocent. Anan. Panor. Felin. Marian. Socin. Franc. Gemin. Bald. ac aliorum communissima m tenent Card. Tusch. *V. Immunitas concluf.* 59. *n.* 17. ubi varia Jura & DD. affert, Navarr. *consil. 1. de Foro comp.* Covarr. *Practic. qq. c. 10 n. 2. v. Contrarium*, Guazzin. *in Defens. reor. defens. 1. c. 11. n.* 33. *& defens. 39. c. 1. n. 15.* Oldrad. *consil. 86. & 89.* Petr. Cabell. *lib. 1. resol. crimin. casu 194. à n. 10.* Mastrill. *decis. 68. n. 4.* Bellet. *Disquis. Cleric. tit. de favore Cleric. real. §. 5. n. 103.* Sperelli *decis. 3. n. 4.* Decian. *Tract. crim. lib. 4. c. 26. n. 1.* Quam sententiam supponit & firmat Trident. Concil. *sess. 25. c. 3. de Reformat.* ubi ait: *liceat eis* (Episcopis) *si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos, per mulctas pecuniarias, per captionem pignorum, personarúmque districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliáque Juris remedia procedere & causas definire.* Addit postea, in causis quoque criminalibus, uti in civilibus, executionem realem aut personalem faciendam esse. Unde post hanc S. Synodi decisionem de veritate nostræ assertionis dubitari amplius nequit, cùm non loquatur solùm de causis merè Ecclesiasticis, seu ad Forum Ecclesiæ privativè pertinentibus, sed etiam *de quomodolibet pertinentibus*, ac consequenter etiam de causis mixti fori, in quibus Judex Sacer laicum prævenit, cùm etiam istæ ad forum Ecclesiæ pertineant.

773. Sed & Jure antiquo jam pridem statutum id fuerat *Can. Contra idolorum 10. 26. q. 5. Can. attendendum 13. Can. Si quis contumax* 20. & *Can. Quisquis 21. 17. q. 4. C. Pervenit 2. de Adul-*

*Adulter. C. In Archiepiſcopatu* 4. *de Raptor.* quibus Juribus habetur, Epiſcopum poſſe laicos capere & corporaliter coërcere, mulctis pecuniarijs aliísque arbitrarijs pœnis ſubjicere. Eſtque ibi ſermo de Sacrilegio, Sortilegio, aliísque criminibus mixti fori.

774. Accedit auctoritati ratio. Conſtat in primis, in delictis mixti fori prævention̄i eſſe locum. Effectus autem præventionis eſt, ut Judex præveniens præventum excludat, & illo procedente hujus forum ſileat, & in Judice procedente tota conſolidetur jurisdictio. *C. penult. de Foro comp. L. Si quis poſtea ff. de Judic.* Decian. *tom.* 1. *Tract. Crimin. lib.* 4. *à n.* 1. Guazz. *cit. defenſ.* 1. *c.* 8. *n.* 1. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 57. *&* 67. Maſtrill. *deciſ.* 210. *n.* 3. Farin. *de Inquiſit. q.* 7. *à n.* 52. aliíque per eum congeſti. Ergo verum non eſt, quòd Judex ſecularis ab Eccleſiaſtico præventus ad pœnas citra ſanguinem poſſit procedere, cùm hoc haud dubiè repugnet naturæ præventionis, & fruſtra diceretur crimen mixti fori, niſi poſſet ab utroque Judice pœnâ temporali puniri, ut obſervat Oſaſc. *deciſ.* 103. *n.* 7. Ex quo conſurgit altera ratio: nam pœnis Eccleſiaſticis ſubjici poſſunt laici propter illa quoque crimina, quæ privativè pertinent ad forum ſeculare, cùm quivis fidelis ratione peccati ſit ſubjectus jurisdictioni ſui Prælati Eccleſiaſtici & propterea ligari poſſit, uti notum eſt. Unde ſi Judex Eccleſiaſticus procedere ad pœnas ſolùm Eccleſiaſticas poſſet ob crimina etiam mixti fori, nullum jam diſcrimen foret inter iſta & alia privativè ad forum ſeculare pertinentia. Ut igitur aliquid operetur jurisdictio Judicis Eccleſiaſtici quoad crimina mixti fori & præventionem, abſoluta ac integra eſſe debet, & excludere Judicem Secularem. Accedit 1. quòd Judices Eccleſiaſtici contra perſonas Eccleſiaſticas procedere poſſunt ad pœnas etiam temporales, uti notorium eſt, & fatentur Adverſarij, idque non alio ex capite, quàm quia ſunt competentes ipſarum Judices. Atqui non minùs ſunt competentes Judices laicorum quoad crimina mixti fori: ergo etiam contra hos ad dictas pœnas procedere poſſunt. Accedit 2. quòd quoad crimina privativè

vativè ad forum Eccleſiæ pertinentia, uti ſunt Hæreſis, & Simonia, procedere Judex Sacer contra laicos non minùs, quàm contra Clericos, poteſt ad dictas pœnas temporales, uti rurſus concedunt Adverſarij: ergo habet ille abſolutè poteſtatem infligendi iſtas pœnas. Itaque eas infligere poteſt etiam ob crimina mixti fori, cùm iſta, ſi Judex laicus fuerit præventus, non minùs ad jurisdictionem Judicis ſacri pertineant, quàm Hæreſis & Simonia.

775. Neque verum eſt, quod primo loco pro contraria opinione afferebatur, videlicet Epiſcopum non habere jurisdictionem temporalem. Contrarium præter alios fusè demonſtrant Marta *p. 2. de Jurisdict. c. 29.* & Sperelli *cit. deciſ. 3. àn. 6.* patétque ex Trident. aliísque Juribus paulò antè allatis. Deinde quando ajunt Adverſarij, Prælatos Eccleſiæ jurisdictionem temporalem non habere, vel hoc nomine intelligunt jurisdictionem profanam, ita ut ſenſus ſit, illos habere jurisdictionem tantùm ſpiritualem? vel aſſerunt, ſpiritualem jurisdictionem ſe non extendere ad pœnas temporales, illas nimirum, quæ infligi ſolent à Judicibus laicis & privant bonis tantùm temporalibus (uti ſunt libertas & immunitas corporis, honor, & pecuniæ aliáque fortunæ bona) non verò bonis animæ & ſpiritualibus? Si hoc poſterius aſſerunt, ſupponunt, quod eſt in quæſtione, imò quod apertè falſum eſt, cùm conſtet, pœnas temporales Clericis delinquentibus & laicis Hæreticis ac Simoniacis infligi auctoritate & poteſtate ſpirituali. Si illud prius aſſerant, videlicet penes Præſules Eccleſiaſticos jurisdictionem profanam non eſſe, verum id quidem eſt de illis Prælatis, qui non habent territorium temporale, quale habent plurimi, præcipuè Epiſcopi Germaniæ: ſed negatur ſuppoſitum, quòd ad decidendas cauſas mixti fori requiratur jurisdictio profana; idcirco enim mixti fori cauſæ dicuntur, quia pertinent ad forum ſeu jurisdictionem ſacram æquè ac profanam.

776. Labile pariter eſt alterum ipſorum fundamentum, videlicet pœnas in crimina mixti fori ſtatutas venire à Lege Civili: aper-

apertum enim ex Juribus *n. 766.* relatis ac ex Trident. *sess. 25. c. 3. de Reform. Can. Quisquis & Can. Si quis in atrio 27. q. 4.* etiam à SS. Canonibus statutas esse. Et licèt daretur, statutas non fuisse, non propterea sequeretur, infligi à solo Judice laico posse: quia quemadmodum Judex secularis in delictis mixti fori procedere potest ad pœnam, tametsi ea Jure tantùm Canonico fuerit imposita, uti tradunt Socin. *vol. 4. consil. 219. n. 7.* & Decian. *tom. 1. Tract. Crimin. lib. 4. c. 25. n. 64.* ita pariter in illis delictis Judex Ecclesiasticus procedere potest citra sanguinem ad pœnam à Jure Civili statutam: quia forum foro accumulatur & jura juribus juvantur. Panorm. *in C. Cùm sit de Foro comp. n. 15.*

## §. III.

## *Præventio in Causis Mixtì Fori quomodo fiat.*

### SUMMARIUM.

777. *Præventio locum habet, quandocunque concurrit Jurisdictio.*
778. *Procedit hæc regula de omni Judice & omnibus Causis.*
779. *Inducitur Præventio per solam Citationem.*
780. *Prævenit, qui citat prior, tametsi solùm verbaliter.*
781. *Prævenire Ordinarius Judex nequit Delegatum, postquam hic Delegationis rescriptum acceptavit.*
782. *Delegatus anteriore rescripto non potest assumere causam, si delegatus rescripto posteriore eam jam cœpit.*
783. *Ad Præventionem non sufficit sola Accusatio vel Inquisitio etiam specialis, tametsi actis inserta fuerit.*

777. Cùm in causis Mixti Fori locum habeat præventio alterutrius Judicis causam priùs ad se trahentis, ut dictum est paulò antè *n.* 747. explicandum restat, qua ratione fiat, & quid operetur. Non ignoro, locum illi esse non solùm in causis, quæ pro-

priè dicuntur esse Mixti Fori, sed etiam omnibus, in quibus plures Judices concurrentem jurisdictionem habent: quod in pluribus casibus contingere solet. Sic Judex Domicilij concurrit cum Judice Delicti, & Contractûs, ut dictum est suprà *n.* 104. & *n.* 106. Eadémque est ratio de casu, quo reus habet plura domicilia. *cit. n.* 106. Eadem, quando quis delictum in uno territorio incepit, in altero consummavit, juxta dicta *n.* 157. & *seqq.* Habet quoque Camera Imperialis concurrentiam cum Imperatore ex Ordinatione Cameræ: exceptis Feudis Regalibus. Gaill. *obser.* 29. *n* 3. & *obser.* 42. *n.* 3. Matth. Stephani *L.* 1. *de Jurisdict. c.* 26. *n.* 11. Potest quoque pluribus in solidum jurisdictio delegari, juxta dicta *n.* 524. & 529. Possunt denique, ut alia omittam, plures habere jus dandi vel confirmandi tutorem. *L. si ut proponis ſ. c. de Confirm. tutor.* Gregor. Tholos. *L.* 12. *Syntag. Jur. c.* 13. *n.* 17. Cothman. *respons.* 45. *à n.* 57. Matth. Stephani *l. c.* In dictis igitur casibus, aliísque similibus, quibus plures in solidum habent jurisdictionem, aut quodpiam jus, locum habet prævention, & non in solis causis Mixti Fori. Hîc tamen de ea agendum videbatur, postquam videlicet plerasque, in quibus eidem locus est, jam attuli.

778. Quòd locus sit prævention, ubi plures sunt Judices, patet ex *C. penult. de Foro comp. C. Cum plures de Offic. Deleg. in* 6. *L.* 1. *ff. de Offic. Consul. L. Si quis posteaquam ff. de Judic.* Est enim regulariter in quacunque materia verum, quòd præoccupantis potius sit jus. *C. Non injustè de Procurat. C. si duo eod. in* 6. *V. C. Si quis justo prin. de Elect. in* 6. *L. Pluribus & L. Si is, qui Stichum ff. de Procurat. L. Incola ff. Ad municipal. L. Qui prior ff. de Judic.* Et quidem procedit regula tam de Judice Ecclesiastico respectu Ecclesiastici, & laici respectu laici, quàm Ecclesiastici respectu laici in causis mixti fori, ac vicissim. Et sive uterque habeat merum Imperium aut mixtum, sive unus merum, alter mixtum, aut simplicem tantùm jurisdictionem. Neque solùm de Judice Ordinario respectu Ordinarij, Delegato respectu Delegati, quando in solidum demandata ipsis fuit jurisdictio,

dictio, sed etiam de Ordinario respectu Delegati, ac vicissim. Ac non solùm de Judicibus dignitate & potestate æqualibus, sed etiam de superiore & inferiore, si hic ab illo jurisdictionem non habet. Et sive unus habeat jurisdictionem aliquo Jure speciali, videlicet per privilegium, aut præscriptionem, & alter Jure ordinario; sive uterque Jure vel speciali vel ordinario ac communi: dummodo habeant cumulativè & neuter privativè. Idémque est de eo, qui jurisdictionem solùm habet extra ordinem aut ex incidenti, v. g. ratione prorogationis, reconventionis, vel quia testis falsum coram ipso deposuit &c. poterit enim prævenire Ordinarium, sicut præveniri ab ipso potest. Demum procedit regula in quibusvis causis, sive Civiles sint sive Criminales, sive Ecclesiasticæ sive Profanæ. Marian. Socinus *in C. Proposuisti de Foro comp. à n. 8.* post Bartol. Bald. Joan. Andr. ac alios.

779. Inducitur prævention per citationem, seu, ille Judex in causa prævenit, ita ut alter regulariter se ampliùs immiscere nequeat, qui priùs citavit Reum. *C. Proposuisti de Foro comp. & L. si quis postea ff. de Judic.* & tradit communis DD. contra Bartol. qui litis contestationem requirit. Non tamen sufficit sola Inquisitio vel Accusatio. Farin. *in Praxi Crim. L. 1. tit. 1. q. 7. n. 57.* cum Baldo ac alijs. Sufficit verò sola citatio verbalis. Nec opus est, esse trinam aut unam peremptoriam. Si tamen proceditur viâ Accusationis, fieri debet ad instantiam accusatoris: si viâ Inquisitionis, sufficit fieri ex mandato Judicis. Nec sufficere, si citatio solùm emanavit, sed debere perveniisse ad notitiam citati, docent communiter DD. contra Bald. ac Panorm. Verùm ex eo, quòd ad perpetuandam Delegati jurisdictionem sufficit, citationem emanâsse (quod tenui suprà *n.* 540.) videtur sequi, quòd etiam ad præventionem sufficiat.

780. Si unus Judex citat Reum verbaliter, alter realiter, seu per capturam, ille prævenit, qui citat priùs tempore, etiamsi citet solùm verbaliter, ut tradit communior DD. eáque simul probabilior. Nam fatentur Farinac. *l. c. n. 53.* ac alij, qui tenent contrarium

trarium, remittendum esse Reum à Judice, qui cepit, ad Judicem, qui prior solùm verbaliter citavit, si Reus ipse petat. At non apparet, quomodo dari possit obligatio remittendi, si citatio realis posterior prævalet verbali priori: neque enim Reus remitti postulans potest præjudicare juri, si quod Judex capiens ex captura acquisivit. Quando uterque simul citat, aut dubium est, quis prior citando fuerit, ille prævenit, qui citat realiter: quia citatio realis per se potentior est verbali. Si ambo citârunt verbaliter, nec constat, quis, priùs & apud neutrum se stitit Reus, prævenisse censetur ille, qui majorem habet jurisdictionem & potestatem. *arg. c. 31. de Præbend. in 6.* Dixi: si apud neutrum se stitit Reus. Nam si coram alterutro jam comparuit, est is in possessione. Si par utriusque sit jurisdictio, statur juramento Rei, quis ipsum prævenerit; vel debent inter se concordare. Quod ultimum maximè procedit, si nec ipse Reus scit, à quo priùs fuerit citatus.

781. Quamvis autem locum habeat prærentio inter Judicem Ordinarium & Delegatum, ut paulò antè dixi, & constat ex *C. Ut debitus 59. de Appellat.* fieri tamen ab Ordinario non potest, postquam Delegatus delegationis rescriptum jam accepit, quia illo præsentato & acceptato jurisdictionem in causa delegata obtinet privativè, eáque adimitur Judici Ordinario, uti habetur *C. Studuisti 2. de Offic. Legat. cùm mandatum speciale*, ut ibi dicitur, *deroget generali.* Nisi in rescripto expresè reservetur jurisdictio Ordinario, & Delegato conferatur solùm cumulativè. Itaque Ordinarius tunc solùm prævenit Delegatum, quando causam per partis citationem aut litis contestationem cœpit ante rescriptum delegationis Delegato præsentatum: poterit enim tunc pergere, *non obstante si dicat* (pars citata) *quòd ad superiorem Judicem nuntium destinaverit, aut literas impetraverit ab eodem, priusquam Delegato fuerint assignatæ*, ut dicitur *cit. C. 59. de Appellat.* quia ante præsentatas & receptas delegationis literas non confertur Delegato jurisdictio, nec censetur ablata Ordinario. *C. Audita de Restit. spoliat.* & notant Innocent. *in C. Cùm contingat de Offic.*

Dele-

*Delegat.* ac Bald. *in L. 1. C. Ut lite pend.* Si tamen ex rescripto delegationis constet, velle Delegantem causam suscipi à Delegato, non obstante, quòd cœpta jam fuerit ab Ordinario, non poterit hic pergere, tametsi eam jam cœperit ante datum & receptum rescriptum, cùm superior à Judice subjecto causam jam cœptam avocare possit. *L. Judicium 58. ff. de Judic. C. Ut nostrum 56. de Appell.* Quia verò hæc avocatio non nisi gravibus de causis fieri solet, idcirco rescriptum delegationis censendum est subreptitium, nisi in illo fiat mentio causæ ab Ordinario jam cœptæ, aut saltem in eodem dicat superior, se causam delegare, sive apud Ordinarium introducta jam sit sive non. *C. Inter monasterium 20. de Sent. & re jud.*

782. Sed jam dubitatur, quandonam unus Delegatus censeatur prævenisse alterum Delegatum. Quæstio hæc locum non habet, quando delegata est jurisdictio pluribus conjunctim: tunc enim nullus eorum alterum prævenire potest, sed simul omnes tractare causam debent juxta dicta suprà *n. 525.* Igitur loquendo de delegatione pluribus in solidum factâ, regula traditur, ut ait Petr. Barbosa *in L. si quis posteaquam de Judic. n. 45.* præventam esse jurisdictionem ab eo, ad quem priùs datæ sunt literæ, non cui priùs præsentatæ, eò quòd juxta Panor. *in C. Ut debitus de Appellat. n. 47.* ac alios, attendi debeat tempus datæ, & non præsentationis rescripti. Verùm, etsi hoc ultimum verum sit, regula tamen, pro qua affertur, non subsistit. Nam si is, cui per posterius rescriptum mandata est jurisdictio, illa uti cœperit, alter, ad quem datum est anterius, non poterit se ampliùs immiscere, quia jam est præventus, sive suum rescriptum tempore anteriore datum acceperit ante posterius alterius Delegati rescriptum sive post: cùm Jura præventionem absolutè concedant, nec distinguant inter tempora, quibus obtenta est jurisdictio. Aliàs solùm is judicare posset, qui vel Ordinariam vel Delegatam accepit ante alios, & solùm tunc locus præventioni esset, quando simul & eodem tempore plures eam acceperunt; quod falsum esse constat.

ſtat. Et quidem procedere poteſt poſterior Delegatus cum jure prævention is, licèt in ſuo reſcripto facta non fuerit mentio reſcripti anterioris. Tametſi enim reſcriptum poſterius in eadem cauſa ad alios Judices impetratum ſit ſubreptitium, niſi in eo facta ſit ſpecialis mentio reſcripti prioris, juxta *C. 3. de Reſcript. C. 2. de Dolo & contum. C. Bonæ 3. de Confirm. ut. vel inut.* non tamen reſcriptum Juſtitiæ ſeu ad lites ſub vel obreptitium, eſt ipſo jure nullum, ſed ope tantùm exceptionis elidi poteſt. *C. Si autem & C. Plerumque 23. de Reſcript.* Itaque delegatus poſteriore reſcripto quamvis ſubreptitio prævenire alterum delegatum poteſt, & valebunt acta, quamdiu de vitio ſubreptionis non excipitur, ut ex *C. ſuper literis 20. de Reſcript.* poſt Imol. Panorm. ac alios notant Sanchez *L. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 76.* & Laym. *in cit. C. 20. n. 2. §. Nunc verò.* Et ſolùm tunc abſtinere cauſæ cognitione tenetur, quando oppoſitum & oſtenſum ſubreptionis vitium fuit, aut quando evidentiâ facti eſt notorium; cùm illud, quod eſt notorium, in facto ſuppleat Judex etiam parte non petente, juxta doctrinam Gloſſæ *in L. 1. C. Qui & adverſus quos in integr. reſtit. V. In conſilio*, & Bald. *ibi n. 5.* Gaill. *L. 1. Obſerv. 31. n. 4.* Ubi tamen limitatio addenda eſt: nam ſi motu proprio Princeps reſcripſit, nullâ ratione oberit vitium ſubreptionis, neque ex hoc capite oppugnari reſcriptum poterit, cùm *motus proprius* hoc vitium purget, ut conſtat ex *C. ſi motu proprio de Præbend. in 6.* & *Clement. ſi Romanus de Præbend.* Idque non tantùm de motu proprio SS. Pontificijs, ſed etiam Ordinariorum concedunt Staphilæus *de Literis Gratiæ tit. de Effectu Clauſular. effectu 7. n. 1.* & Sanchez *cit. diſp. 21. n. 48.*

783. Quemadmodum verò, ut modò dixi, non is ex duobus in ſolidum delegatis alterum prævenisſe cenſendus eſt, qui anterius accepit reſcriptum, ſed qui prior citavit reum, ſive poſteriore ſive anteriore reſcripto jurisdictio mandata ipſi ſit; ita pariter ad præventionem non ſufficit Accuſatio vel Inquiſitio, tametſi libellus à Judice acceptatus, aut inquiſitio actis inſerta fuerit.

fuerit. Tametsi enim Judex hos actus exerceat vi suæ jurisdictionis, nondum tamen per eos causæ tractationi initium dedisse censendus est, utpote quæ propriè incipit à Citatione. *arg. §. fin. Inst. de Pœna temerè litigant.* & *L. Libertus 15. de in jus voc.* Bald. *in L. un. C. de Confess. n.* 32. Angel. *in L. 1. ff. de in jus vocan.* & *in L.* 1. *C. de Judic. n.* 2. Roman. *consil. 412. n.* 4. Jason *L.* 1. *consil.* 31. *n.* 4. Matth. de Afflict. *decis. 219. n.* 1. & 3. & fusè Felin. *in C. Illud de Præscript. n.* 11. Bossius *in Praxi crim. tit. de Foro comp. n.* 103. Natta *l.* 1. *consil. 82. n. 5.* Hinc quando Guilelmus *in C. Raymutius de testam. V. Et Uxorem decis. 5. n. 17.* & Jul. Clarus *L. 5. Sentent. §. fin. q. 38. n. 28.* asserunt, ab illo Judice præventam censeri jurisdictionem, qui priùs cœpit super delicto inquirere, intelligendi sunt de inquisitione non qualicunque, sed eâ, quæ fit per citationem delinquentis.

## §. IV.

## *Quis sit Effectus Prævention is.*

### SUMMARIUM.

784. *Præventione consolidatur jurisdictio Judicis prævenientis, & jus partium.*

785. *Et quidem non solùm quoad illum ex pluribus in eadem causa reis, quem citavit; sed etiam quoad reliquos.*

786. *Si tamen reus ab uno Judice citatus contumaciter non comparuit, conveniri coram altero potest.*

787. *Procedere quoque secundus Judex potest comparente accusatore, si is, qui prior citavit reum, solùm procedit per viam inquisitionis.*

788. *Aut si prævention unius Judicis fraudulenter procurata fuit.*

789. *Non potest procedere præveniens Judex, si reus etiam post prævention em impetravit à Principe privilegium Motûs proprij, vi cujus conveniri nequeat, nisi coram certo Judice.*

790. *Potest prævenire Judex unus alterum, tametsi alteruter legitimè sit impeditus à citando reo.*

791. *Non est locus præventioni, quoad Judicem inferiorem respectu superioris, à quo ille jurisdictionem habet. Uti nec tunc, quando duo jurisdictionem habent non in solidum, sed conjunctim.*

792. *Præventio effectum habet solum quoad causam specialem, ad quam dicendam reus fuit citatus: non verò quoad alias distinctas.*

793. *Hinc si in Foro Ecclesiastico petita fuit absolutio à juramento ad effectum agendi, nihilominus in Foro seculari peti potest executio contractûs jurati. Et ex L. Diffamari jussus ab uno Judice agere aut accusare intra præfixum terminum, agere vel accusare potest coram alio competente.*

794. *Non tamen alter Judex terminum agendi alium præfigere diffamanti potest. Nec causam diffamationis assumere, si prior jam suscepit cognitionem de innocentia diffamati.*

795. *Præventio illegitima & invalida effectum non habet. Declaratur, quid ad ejus valorem requiratur.*

784. Postquam explicatum modò fuit, quomodo in Causis Mixti Fori, ac universim quando Jurisdictiones concurrunt, inducatur Præventio: dicendum supereſt, quem illa effectum & quando habeat. Itaque effectus Præventionis est, quòd per ipsam consolidatur tam jurisdictio Judicis prævenientis, quàm jus partium. Illius quidem jurisdictio consolidatur: quia alter Judex, qui etiam in solidum jurisdictionem habet, causam acceptare eique se immiscere, nisi priore Judice & partibus consentientibus, amplius non potest; sed ubi judicium cœptum est, ibi finiri debet. *L. Ubi acceptum ff. de Judic. C. Cum plures de Offic. & potest. Jud. Deleg. & ibi* Ancharan. *n. 2.* Franc. *n. 2.* ac alij. Hinc si Judex in causa, in qua ab altero præventus fuit, procedere velit, excipi contra eum potest; non quidem per modum incompetentiæ, sed præventionis. *L. si quis postea ff. de Judic.* Si neglectâ exceptione procedat, appellari potest, vel recurri ad Judicem, qui

præ-

prævenit, ut inhibeat Judicem præventum. Si tamen pars non excipiat, valet processus. Farin. *in Praxi Crim. lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 54.* Gaill. *lib. 1. obser. 29. in fin.* cum communi DD. quia exceptio Præventionis est declinatoria Fori, ac idcirco si ante litis contestationem non fuit oppositа, jurisdictio prorogatur. *L. fin. C. de Exception.* Baldus *in Auth. Sed novo jure C. de Servis fugit.* & *in L. Peremptorias C. Sentent. rescindi non poss. in fin.* Felin. *in C. Cum M. Ferrar. de Constitut. n. 25.* Decian. *lib. 1. consil. 18. 18. n. 319.* Bossius *in Praxi tit. de Foro compet. n. 81.* Mascard. *vol. 3. de Probat. conclus. 1233. n. 13.* Jus quoque partium per Prærventionem consolidatur. Hinc actor pro arbitrio variare nequit inter duos Judices: quia, ut modò dictum est, finiri ibi debet judicium, ubi cœptum est. Sicut curare non potest, ut reus citetur ab utroque Judice. Quod si fecerit, condemnandus est in expensas: causam tamen non perdit. *C. fin. de Rescript. in fine.*

785. Alter Prærventionis effectus est, quòd Judex citatorium ex pluribus reis in eadem causa, præveniisse censetur etiam reliquos, uti contra Farinac. aliósque docent Bald. & Angel. *in cit. L. Si quis postea de Judic.* Alexand. *in addition. ad Bartol. in L. Denunciasse §. fin. ff. Ad L. Jul. de Adulter.* Marian. Socin. *in C. penult. de Foro comp. n. 37.* Decian. *lib. 4. Tract. Crim. c. 22. n. 4.* ac passim Interpp. *in C. Pastoralis §. fin. de Rescript.* Ratio est: quia continentia causarum dividi non debet, ut dictum est suprà *à n. 561.*

786. Regula modò tradita, videlicet per prærventionem ita uni Judici acquiri jurisdictionem, ut alter, tametsi aliàs competens, se immiscere amplius non possit, in nonnullis casibus, uti pleræque aliæ, fallit, & limitanda est. Itaque I. si reus citatus ab uno Judice contumaciter non comparuit, conveniri coram altero poterit, nec ipsi proderit exceptio prærventionis; cùm enim priorem citationem, quantum in se fuit, impugnaverit, ei non parendo, locum habet *reg. 38. Jur. in 6. Ex eo non debet quis fru-*

*fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.* Cúmque apud Judicem, qui eum citavit, non debeat audiri, nisi refusis priùs expensis *L. Sancimus C. de Judic.* à fortiori non poterit prætendere remissionem ad Judicem, qui prior ipsum citavit. Bartol. *in L. Quamvis ff. de Sepulch. viol. n. 2.* Paul. Castr. *in L. si quis postea quam ff. de Judic. n. 7.* aliíque plurimi, quos allegat Gabrielius *Commun. Opin. lib. 2. tit. de Judic. concluf. 1. n. 19.* Ut tamen hæc assertio procedat, necesse est ab actore ejus contumaciam accusari. *L. Properandum* §. 1. *C. de Judic.* Socin. *L. 1. consil. 41. n. 3. Barbosa l.c.n. 185.* Dubium autem est, an reus possit contumaciam purgare, & solutis vel oblatis Actori expensis de præventione excipere & litis pendentiam allegare. Posse affirmant Bartol. Panorm. Angel. ac alij apud Gabriel. *l. c. n. 23.* Negant idem Bartol. Imol. Lancellot. ac alij. Distinguit cum alijs Paul. Castr. *in L. Hoc amplius 9. ff. de Damno infect. §. Celsus 5.* asserens, secundam opinionem procedere, si jus Actoris ex contumacia Rei factum est deterius; primam verò, si jus illud deterius factum non est. Placet mihi indistinctè secunda opinio: tametsi enim per refusionem sumptuum Actori satisfaciat Reus, non tamen per hoc satisfacit etiam Judici, cujus auctoritatem contempsit. Itaque si ejus remissionem non petat Judex, qui citando prævenit, poterit alter procedere si verò primus Judex petat remissionem, eam secundus facere tenetur, sive reus ob contumaciam ipsi etiam actori satisfecerit sive non: quia per præventionem primo Judici acquisitum jus fuit, cui obesse nec debet nec potest delictum rei contumaciter absentis.

787. II. Si unus Judex per Inquisitionem procedendo reum citavit vel realiter vel verbaliter, & postea coram altero Judice Accusator compareat petens citari reum, poterit secundus Judex procedere non obstante præventione alterius. Ita Innocent. *in C. Super literis de Rescript.* Bartol. *in L. 3. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Bald. *in L. Ea quidem C. de Accusat.* Angel. *in L. si vacantia C. de Bon. vacant.* Dyn. *in C. Factum legitimè de R. J. in 6. n. 9.*

Bero-

Beroius *rubr. de Judic. n. 37.* Boss. *in Praxi tit. de Inquisit. n. 17.* Decian. *L. 4. tract. crimin. c. 20. n. 22* ac alij. Quia, ubi adest remedium ordinarium, cessat extraordinarium & subsidiarium: accusatio autem est remedium ordinarium, extraordinarium inquisitio, tametsi generaliter sit permissa per Statutum, ut notant Boss. *l. c.* & Petr. Barbosa *ad L. si quis posteaquam ff. de Judic. n. 84.* Neque læso deneganda est licentia accusandi delinquentem, quo modo velit. Ex quo inferunt Gomez *tom. 3. c. 1. n. 49. v. 2.* & Barbosa *l. c. n. 86.* quòd superveniente accusatore cesset officium Fiscalis ad denuntianda & accusanda crimina constituti.

788. III. Si fraus delinquentis vel verè vel præsumptivè probatur, quòd videlicet ad evitandam majorem pœnam procuraverit se ab uno Judice citari vel verbaliter vel realiter, aut per inquisitionem contra se procedi, præventio nihil proderit, sed eâ non obstante, & tanquam facta non fuisset, poterit alius Judex competens contra reum procedere vel inquisitionis vel accusationis viâ. *arg. L. Tria. onera ff. de Excus. Tutor.* & *L. si servus plurium §. si quis ante ff. de Legat.* 1. & tradunt ibi Bald. ac fusè Jason *à n. 5.* Felin. *in C. Cùm M. de Constitut. n. 25. ac ibid.* Ripa *n. 199.* Guido Papæ *consil. 153. n. 2.* Boss. *in Praxi tit. de Foro comp n. 80.* Decian. *l. c. n. 24.* ac aliorum communis.

789. IV. Si reus etiam post præventionem impetravit privilegium à Principe cum addito *motu proprio*, ut non possit accusari vel molestari, nisi coram hoc illóve certo Judice, proderit ipsi hujusmodi privilegium etiam contra Judicem, à quo fuit præventus. Paul. de Castr. *in L. si quis quendam in judicio 11. ff. Si quis cautionibus*, Jason *in L. Cùm quædam puella ff. de Jurisdict, n. 9.* Qui tamen *in cit. L. 11. ff. si quis caution. n. 3.* advertit, tale privilegium, si non sit *motus proprius*, non patrocinaturum contra Judicem prævenientem. Quod intelligendum est de privilegio post præventionem impetrato: nam si antè concessum fuit, etiam absque clausula *motu proprio* eximit jurisdictione Judicis

dicis in privilegio non expressi, exceptis casibus, de quibus dixi suprà *n. 137.* & *n. 169* Non ignoro, doceri à Panorm. Host. Felin. ac alijs, quos allegat Gabrielius *lib. 2. Commun. Opin. tit. de Judicijs concluſ. 4. n. 20.* concessionem lite pendente factam sine litis mentione non valere, tametsi facta sit motu proprio. Standum tamen videtur priore sententiâ, quam præter citatos DD. tenent Bartol. Bald. Angel. Alexand. ac alij communiter. Ratio est: quia privilegium, ut ponitur, est absolutè concessum, ac idcirco etiam adversùs Judicem, à quo reus jam est præventus. Unde si quid rescripto quoad hunc Judicem obstaret, esset hoc, quòd in eo facta non est mentio litis pendentis. At hoc non obstat, cùm motus proprius purget vitium subreptionis. *C. si motus 23. de Præbend. in 6.*

790. V. Si duo habent æqualem jurisdictionem cum jure præventionis, ac unus eorum legitimè sit impeditus, non potest alter durante illius impedimento prævenire, uti volunt Bartol. *in L. si maritus 15. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Alexand. *ibi in addit.* Marian. Socin. *in C. Postulasti de Foro compet.* Roman. *singulari 143. v. Dico tibi,* Decian. *l. c. n. 18.* Idque maximè tunc procedere ait Alex. *l. c.* quando Judicis impediti interesset, v. g. quia sportulas aut partem mulctæ habiturus est. Rationem dant: quia uni legitimè impedito jus suum adimi non debet: fortassis enim, si non fuisset impeditus legitimè, ipse præveniisset. De cujus tamen doctrinæ veritate meritò dubites, eámque negat Angel. *in cit. L. 15.* neque satis benè deducitur ex *cit. L. 15.* ut ostendit Romanus *l. c.* sed neque, uti vult Alexand. *l. c.* probatur ex *C. si duo 6. de Procurat. in 6.* Et ratio est: quia leges præventionem absolutè concedunt, nec distinguunt inter casum, quo unus Judicum legitimè impeditus est; intérque eum, quo non est impeditus. Nec quisquam, ut opinor, negaverit, præventioni locum esse, quando unus Judicum ignoravit rei delictum, & idcirco eum non citando ab altero Judice præventus fuit; quamvis idem sit esse ignorantem ac esse impeditum. Quòd si sequenda foret

foret illa doctrina Bartoli, locum saltem non haberet, sed procedere deberet prævention, quando periculum esset, v. g. si ex dilatione judicij elaberetur reus, & delictum maneret impunitum, uti fatentur Socin. & Decian. *ll. cc. arg. L.* 1. §. *Hujus rei ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisd.*

791. VI. Non est locus prævention quoad Judicem inferiorem respectu superioris, à quo habet jurisdictionem: neque enim invito superiore procedere potest inferior, eúmque impedire, quò minùs causam ad se avocet: quia, ut ait JC. *L. 58. ff. de Judic. judicium solvitur vetante eo* (& avocante ad se litem coram inferiore pendentem) *vel etiam eo, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet.* Ubi tamen excipienda est Camera Imperialis: nam causas ad eam devolutas avocari per Imperatorem non posse, dixi suprà *n. 752.* Similiter si duo habent jurisdictionem non in solidum, sed conjunctim, non potest unus prævenire alterum, ut constat ex *C. Prudentia de Offic. Deleg.* & dictum est suprà *n. 525.* & *782.* Illud verò notorium est, nec limitationem continet prædictæ regulæ, uti existimat Decian. *l. c. n. 17.* non esse locum prævention, quando unus Judex jurisdictionem habet solùm in defectum alterius, videlicet propter ejus negligentiam aut impedimentum: cùm enim jurisdictionem non habeat nisi in eventum negligentiæ aut impedimenti, constat, quòd prævenire non possit, sed exspectare illum eventum debeat. *cit. C. Prudentia.*

792. VII. Prævention non datur, nisi quoad causam specialem, ad quam dicendam citatur reus: non verò quoad alias distinctas & separatas. Bartol. *in L. Si pluribus ff. de Legat. 1. n. 1.* Matth. de Afflict. *decis. 294. n. 5.* ac passim alij. Ratio obvia est: quia cùm prævention proveniat à citatione, & citatio restringatur ad causam in ipsa expressam *L. Aut qui aliter prin. ff. Quod vi aut clam.* non potest dici facta prævention, nisi in ea causa speciali, in qua facta est citatio. Ob eandem rationem censetur prævention solùm facta esse tunc, quando citatio facta est ad respondendum in cau-

sa; secùs, si citatio facta est ad alium effectum. Hinc si reus citatus fuit non ad puniendum ipsius delictum, sed tantùm ad informationem aliquam capiendam, Judicis alterius Jurisdictio in ordine ad puniendum præventa non est.

793. Ex hoc deducunt Matth. de Afflict. *decis. 30. n. 1.* ac alij, quòd si in Foro Ecclesiastico petita fuerit absolutio à juramento ad effectum agendi juxta C. 1. *de Jurejur.* possit nihilominus in foro seculari peti executio instrumenti jurati: quia cùm hæ causæ diversæ sint, si una est præventa, non eo ipso præventa est & altera. Similiter inde concludit Marian. Socin. *in C. penult. de Foro comp. n. 26.* suffragantibus Lancell. *in L. si quis postea quam ff. de Judic. in fin.* Decian. *L. 4. Tract. crimin. c. 20. n. 31.* Covarruv. *L. 1. variar. c. 18. n. 6. ad fin.* ac alijs, si quis usus fuerit remedio *L. Diffamari C. de Ingen. & manumiss.* ut scilicet diffamans intra præfixum terminum agat aut accuset, aliàs non ampliùs audiendus, hunc non teneri agere vel accusare coram Judice v. g. loci delicti aut contractûs, coram quo diffamatus eo remedio usus est, sed posse alium ejusdem diffamati & rei Judicem, nimirum domicilij, adire; dummodo agat intra terminum sibi præfixum. Rationem dant: quia judicium, quo agitur de termino ac tempore agendi, diversum est ab eo, quo agitur ex contractu, vel de delicto, cùm tendant ad diversos effectus; præventus igitur quoad unum coram aliquo Judice, non eo ipso præventus est etiam quoad alterum. Idémque videtur esse dicendum cum Barbosa *l. c. n. 99.* de casu, quo diffamatus utitur remedio *L. si contendat 28. ff. de Fidejussor.* non enim cogendus est diffamans docere de suo jure coram illo Judice, coram quo diffamatus illud remedium intentavit, sed poterit id facere coram alio competente Rei Judice; cùm enim electio inter plures Judices sit penes actorem juxta C. *Cùm sit generale de Foro comp. L. fin. C. de Jurisd. omn. de Judic.* & *L. Non utique ff. de eo, quod cert. loc.* non est in potestate Rei vel primi Judicis eum hoc jure privare. Dissentiunt Felin. *in cit. C. Cum generale n. 6.* Alberic. & Jason

son *in cit. L. Non utique n. 5.* quia, ut ajunt, Judex præparatorij debet esse Judex etiam præparati *L. Ordinarij C. de R. V.* Sed respondetur, id solùm procedere tunc, quando præparatorium Judicium est connexum cum præparato, & ad eundem effectum tendit; secùs, si ad diversum, uti fit in allatis casibus.

794. Duo tamen danda sunt posteriori opinioni. Primum est, quòd si diffamatus curavit ab uno Judice præfigi terminum diffamanti cum comminatione perpetui silentij, alter Judex id facere ampliùs non possit, cùm quoad hoc à primo jam sit præventus. Secundò si diffamatus imploravit officium Judicis, petiítque declarari, se non esse culpabilem, & diffamanti perpetuum silentium imponi, susceptо semel hoc judicio ab uno Judice alter jam erit absolutè & quoad totam causam præventus, ac proinde diffamans non poterit actionem vel accusationem instituere coram alio: quia in tali casu primus Judex ipsam principalem causam jam susceptit, & sic secundum prævenit. Neque obest, quod modò dicebam, in arbitrio Actoris esse unum ex pluribus competentibus Rei Judicibus eligere: hoc enim non procedit, quando diffamatus ago & quâdam necessitate ad ostendendam meam innocentiam compulsus, quia forsan ex mora Actoris damnum passurus essem: debétque tunc adversarius sibi imputare, quòd citiùs non egit aut accusavit. Socin. *l. c. n. 26.* & *consil. 41. n. 5.* ac *consil. 38. n. 10.* Felin. *l. c. v. 22.* Jason. *l. c. n. 5.* Decian. *l. c. n. 13.*

795. VIII. Præventionem non operatur citatio illegitima & invalida. C. *penult. de Foro compet. V. Legitimè citatus* & notant ibi Anton. *n. 12.* Panorm. *n. 6.* Socin. *n. 20.* tradúntque Bald. Alex. Jason, ac alij, quos allegant Mascard. *vol. 3. de Probat. conclus. 1233. n. 16.* & Barbosa *l. c. n. 60.* Patet ratio: quia illegitima citatio propriè non est citatio. *L. si pater C. de Statu defunct.* ac idcirco effectum producere non potest. Bald. *in Auth. Offeratur C. de litis contest. n. 8.* & *in L. un. C. de Delict. defunct. n. 1.* ac fusè Romanus *consil. 412. à n. 5.* Ut autem legitima & valida

valida sit citatio, primò fieri debet ad petitionem partis. *cit. C. pe. nult. de Foro compet.* & ibi Panorm. *n.* 2. nisi procedatur per viam Inquisitionis, quia ibi accusator non est, qui petat citationem, satisque ipsa fama delicti & ratio boni publici, delicta non permittentis esse impunita, eam postulat. Secundò facienda est decreto Judicis. *L. Neminen C. de Exhibend. reis.* Vnde non sufficit citatio anomola, de qua suprà *n.* 540. *in fine.* Et quidem tertiò fieri debet mandato non cujuscunque Judicis, sed competentis. *L. 3. ff. de Judic. L. Vir bonus ff. Judicatum solvi.* Quia actus Judicis incompetentis ob defectum Jurisdictionis sunt invalidi. Nisi quòd in dubio de Jurisdictione Judex etiam incompetens validè citat, ut suprà dictum est *à n.* 14. Quartò demùm requiritur, ut in citatione exprimatur causa citandi reum. *Clem.* 2. *Ut lite pendent. & ibi DD.* Guido Papæ *decis. 153. in fin.* Barbosa *l. c. n. 65.*

## §. V.

## *Utrùm Præventio effectum habeat mutato post eam Rei foro.*

### SUMMARIUM.

796. *Qui forum mutat, postquam in jus vocatus fuit, tenetur causam prosequi, ubi cœpta est.*

797. *Nisi simul mutet Statum & conditionem personæ.*

798. *Unde laicus, si post patratum crimen fiat Clericus, liber manet à Jurisdictione Judicis laici.*

799. *Si tamen agitur civiliter, & citatus ante Clericatum à Judice laico fuit, causam prosequi coram eodem tenetur.*

800. *Si agitur de crimine criminaliter, & Clericatum in fraudem non assumpsit, judicari nequit à laico Judice, tametsi præventus ante Clericatum.*

801. *Studiosi non obstante præventione remittendi sunt Academiæ.*

802.

802. *Neque illis obstat præventio, qui motu proprio Principis ad alium Statum evecti sunt.*

796. Sensus quæstionis est, an si Reus, postquam ab uno Judice præventus jam fuit, forum mutet, v. g. hinc transferendo domicilium, aut militiam assumendo, nihilominus litem prosequi teneatur coram Judice præveniente. Et videtur negandum: quia Forum mutare est mutare Judicem ejúsque jurisdictione eximi, & alteri subjici. Non igitur ampliùs stare tenetur ad tribunal prioris Judicis, utpote ipsi jam non ampliùs subjectus. Verùm contrarium statuitur *L. 7. ff. de Judic.* ubi Ulpian. ait: *si quis posteaquam in jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit: in ea causa jus revocandi forum non habebit quasi præventus.* Ex quibus verbis hanc regulam statuunt Interpretes; *si quis, postquam fuit in jus vocatus ad causam dicendam, mutavit forum, non est remittendus ad novum forum, sed coram priore Judice causam prosequi tenetur.* Quæ regula approbatur *C. Proposuisti 19. de Foro compet. L. penult. ff. de Jurisdict.* & *L. Incola 34. ff. Ad municipalem.* Ratio est: quia *ubi acceptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet. L. 30. ff. de Judic. L. si is, qui Romæ 34. ff. eod.*

797. Hæc quoque regula suas exceptiones patitur. Nam primò non procedit, quando is, qui mutat forum, simul mutat statum & conditionem, ratione cujus prior Judex jurisdictionem ampliùs non habet, v. g. si quis ex laico fit Clericus aut Religiosus: tunc enim non obstante præventione factâ per Judicem secularem, coram Ecclesiastico conveniendus est, cùm etiam volens coram seculari conveniri nequeat juxta dicta *n. 412.* Et ita tradunt Jac. Butrius *in L. Quisquis C. de Episc. & Cleric.* Oldrad. *consil. 4.* aliíque complures, quos refert & sequitur Decian. *L. 4. Tract. crimin. c. 9. n. 60.* ubi tamen, cùm dixisset, Clericum judicandum esse ab Ecclesiastico Judice, tametsi laicus contra ipsum jam inchoâsset processum ante Clericatum, hanc sententiam mox evertit, sibíque contradicit, dum addit hanc limitationem *modò*

*non fuisset præventus à laico:* nisi per inchoationem processûs solùm intellexerit inquisitionem contra reum aut receptionem libelli accusatorij, per præventionem verò citationem verbalem aut capturam. Rationes pro sua opinione has affert Oldradus *l. c.* Privilegium superveniens eximit privilegiatum à priori onere. *L. Spadonem 13. §. 3. & L. Jurisperitos 30. ff. de Excusat.* Sacerdotium superveniens tollit munus publicum jam antè injunctum. *L. Prætor 13. V. Vel si quid Sacerdotium ff. de Vacat. & excusat. muner.* Solvitúrque per Sacerdotium arbitrium jam susceptum. *L. Non distinguemus 32. §. Sacerdotio 4. ff. de Recept. qui arbitr. recep.* Denique Vinculum obligationis præcedentis solvitur per supervenientem dignitatem. *L. Interdum 34. ff. de Operis libertor.* Ad *C. pen. de Foro compet. L. Cùm quædam puella ff. de Jurisdict. & L. si quis posteaquam ff. de Judic.* ubi dicitur, finiendum esse judicium, etiam mutato foro, ubi cœptum fuit, respondet idem Oldrad. ibi sermonem esse solùm de casu, quando forum foro adjicitur; non item de illo, quo status mutatur, & priùs forum omnino cessat. Addit: si quis post crimen patratum ac etiam post processum jam inchoatum confugit ad Ecclesiam, inde non abstrahitur, nec contra eum medio tempore criminaliter proceditur, nisi in criminibus quibusdam exceptis. *L. Præsenti C. de his, qui ad Eccles. confug. Novell. 17. c. 6. & 7.* ergo multò magis hoc privilegium dabitur illi, qui non tantùm confugit ad Ecclesiam, sed omnino se incorporat Ecclesiastico Collegio, & Ecclesiæ Deíque servitio se mancipat.

798. Hæc tamen non absolutè & illimitatè vera sunt. Itaque varij casus distinguendi sunt. In primis si laicus post patratum crimen factus est Clericus, omnino liber remanet à Jurisdictione Judicis secularis: tametsi jam fuerit de crimine infamatus, aut accusatus, ut cum communi plurimorum tradidi suprà *n. 249.* Idémque dicendum est de casu, quo civiliter convenitur: nam si post contractum celebratum, & antequam super eo ad judicium seculare evocaretur, factus est Clericus, à solo Judice Ecclesiastico judi-

judicari poterit, ut cum Glossa 2. *in L. Nemo potest ff. de Legat.* 1. Albertin. *in C 1 de Hæretic. in 6. q. 13. n. 21.* Covarr. *Pract. c. 32. n. 4. concl.* 1. Jul. Clar. *L. 5. Sentent. §. fin. q. 36. n. 43.* ac alijs, benè tradit Petr. Barbosa *in L. si quis posteaquam ff. de Judic. n. 202.*

799. Si verò agitur civiliter & laicus fuit citatus per Judicem secularem, ísque post citationem factus est Clericus, tenetur litem prosequi coram Judice seculari, à quo per citationem fuit præventus, uti tradit Glossa 1. Angel. Fulgos. ac alij *in cit. L. si quis posteaquam* Bartol. *in L. 1. ff. de Pœn. n. 3.* Federic. de Senis *consil. 97. n. 2. & 8.* Albertin. *l. c. n. 23.* Barbosa *l. c. n. 203.* Ita tamen, ut Judex secularis jurisdictionem duntaxat in causam habeat, non verò in personam, ac idcirco incarcerare hujusmodi Clericum aut pœna aliqua corporali afficere non possit, ut ex mox dicendis patebit.

800. Si denique agitur de crimine criminaliter, & reus laicus ante Clericatum susceptum fuit præventus à Judice seculari, poterit hic contra eum procedere etiam ad condemnationem: quod receptum esse dicit Albert. *cit. q. 13. n. 2.* At solùm procedere potest ad mulctam pecuniariam, aut ad confiscationem bonorum, si crimen hanc pœnam exigat, non verò in ipsam personam & ad pœnas corporales. Unde nequit eum capere, torquere &c. uti docent Covarr. *l. c. concluſ. 3.* Albertin. *l. c. n. 4.* Barbosa *l. c. n. 218.* Jul Clar. *cit. q. 36. n. 34.* Marta *de Jurisdict. p. 4. cent. 2. cas. 121. n. 20.* Farin. *in Praxi crim. p. 1. q. 8. n. 107.* Laym. *L. 4 Theol. Mor. tr. 9. c. 4 n. 12.* Diana *p. 1. tr. 2. resol. 26.* Pignatelli *tom. 2. consult. 66. n. 13.* & comuniter ab omnibus teneri ait Tiber. Decian. *L. 4. Tract. Crimin. c. 9. n. 138.* Ubi tamen nonnulla advertenda sunt. Primum est, juxta Menoch. Cavalcan. aliósque, quos sequitur Pignatelli *l. c. n. 21.* non sufficere in tali casu præventionem per solam citationem verbalem, sed deberi fieri vel per citationem realem, vel per litis contestationem, vel per obligationem comparendi ex cautione data contractam. Alterum est, posse Judicem secularem tunc solùm procedere contra Clericum nondū susceptō Clericatu præventum,

ventũ, si iste Clericatum suscepit in fraudem & ad effugiendam vim jurisdictionis secularis; secùs, si bona fide & animo Deo se consecrandi eundem suscepit. Ita Jason *in L. Cùm quædam puella ff. de Jurisdict. n. 10. & 11.* Marian. Socin. *in C. Proposuisti de Foro compet. n. 53. §. Primo casu quia in dubio*, Decian. *cit. L. 4. c. 24. n. 2. §. Fallit*, ac supponunt reliqui DD. dum jurisdictionem Judici seculari in Clericum ob delictum in statu laicali patratum solùm tunc concedunt, quando is Clericatum in fraudem assumpsit. Quæ omnia confirmantur varijs declarationibus S. Congregationis Cardin. Trident. S. Congregat. Episcoporum & Clericorum, ac S. Congregat. Immunitatis, quas refert Pignatelli *cit. consult. 66. n. 13.* quibus decisum & declaratum est, *Clericum, qui characterem seu tonsuram & habitum Clericalem assumpsit in fraudem, etiam post processum & fidejussionem de se repræsentando coram Judice laico, gaudere fori privilegio, & à Judicis laici jurisdictione liberatum esse quoad personam (si tamen Judex Ecclesiasticus declaraverit subesse fraudem) poßéque Judicem laicum procedere quoad bona.* Ex quibus verbis patet, solùm tunc concedi Jurisdictionem Judici laico in Clericum in statu laicali præventum, quando Clericatum assumpsit in fraudem. Et quamvis ex eo, quòd laicus post accusationem aut citationem assumpsit Clericatum, regulariter præsumatur, id factum ab ipso fuisse in fraudem, eliditur tamen hæc præsumptio non solùm veritate contrariâ, sed etiam aliâ contrariâ præsumptione, v. g. si laicus ad Clericatum fuit promotus non propriâ postulatione, sed tractus à Superiore, ut loquitur Socin. *l. c.* aut si constat eum proximam spem habuisse assequendi Beneficij Ecclesiastici, ac propterea Ordines suscepisse; aut si jam antè dixerat, se circa hoc tempus eos susceperum, vel votum suscipiendi, aut Religionem ingrediendi jam antè fecit &c. Tertiò advertendum est, non posse Judicem secularem in dato casu procedere, nisi priùs declaraverit Ecclesiasticus, Clericatum fuisse susceptum in fraudem, uti patet ex citatis declarationibus *V. si tamen Judex Ecclesiasticus declaraverit subesse fraudem.* 801.

801. Secundò limitanda est prædicta regula quoad Studiosos: horum enim causas, tametsi citati ante aditam Academiam fuerint, non obstante præventione ad eam esse remittendas, tradunt post Bald. ac alios Bolognin. *in Auth. Habita C. Ne filius pro patre n. 220.* Horat. Lucius *de Privileg. Scholar. privil. 66.* Rebuff. *eod. tract. privil. 153.* Barbosa *l. c. n. 113.* Qui hoc privilegium cum cit. Doctoribus concedendum esse Studiosis existimaverint, utique non concedent, nisi sub limitatione, quâ illud competere Clericis modò dixi; præcipuè quòd multò major ratio pugnet pro Clericis quàm pro Studiosis, cùm ob Statûs eminentiam, tum quòd illorum exemptio à Jurisdictione seculari est Juris Divini juxta dicta *n. 229.* exemptio verò Studiosorum est Juris solùm humani. Idem privilegium Militibus concessum esse videtur *L. 4. §. ff. de Re militari.* Verùm ad hanc Legem jam respondi suprà *n. 398.*

802. Tertiò limitant Bartol. *in L. Idem Ulpianus §. 1. ff. de Excusat. tutor.* & *in L. 1. ff. de Pœn. n. 3.* Roman. *consil. 327. n. 1.* Alex. *in L. si quis quemquam ff. si quis caution. n. 3.* Jason *in L. Cum quædam ff. de Jurisdict. n. 9.* & *ibid.* Alexand. *n. 7.* ac Cagnol. *n. 26.* Lancellot. *de Attentatis p. 2. c. 4. limit. 20. n. 19.* Albertin. *in C. 1. de Hæretic. in 6. q. 13. n 9.* Angel. *in L. si quis posteaquam ff. de Judic. n. 4.* Marian. Socin. *in C. fin. de Foro compet. n. 67.* aliíque, docendo, quòd si quis non merâ suâ voluntate & postulatione, sed motu proprio Principis, impetrârit & assumpserit novum statum, vi cujus à jurisdictione prioris Judicis sit exemptus, coram hoc respondere ampliùs non teneatur, etiam in causa, in qua ab eodem jam est præventus. *arg. L. Qui autem 12. ff. si quis cautionibus, L. Idem Ulpian. §. 1. ff. de Excusat. L. Non distinguemus §. Item si quis Romæ ff. de Recept. qui arbitr. recep.* Exemplum dari potest de eo, qui Magistratus creatus, aut ex mediato Imperij subdito factus est immediatus. De hac limitatione non vacat pluribus agere, cùm coincidat cum illa, quam attuli suprà *n. 789.* Id solùm addendum est, quod notant Aretin. *in C. Cau-*

*sam 19. de Testib.* & Barbosa *l. c. n. 114.* hanc doctrinam solùm procedere, quando per privilegium & exemptionem Statui annexam jus partis duntaxat suspenditur aut differtur; secùs verò, si quoad causam jam motam & pendentem omnino extingueretur jus partis: istud enim etiam per motum proprium Principis nunquam censetur sublatum, nisi tollendum Princeps ex gravi & publica causa judicârit, & hoc in rescripto expresserit.

## §. VI.

### *Utrùm praeventus & judicatus ab uno Judice judicari in eadem causa denuo possit ab altero.*

SUMMARIUM.

803. *Distinguuntur varij casus, de quibus quæstio esse potest.*
804. *Rejicitur opinio asserentium, posse procedi à Judice seculari, si Ecclesiasticus solum processit per viam Inquisitionis.*
805. *Potest punire Judex secularis, si Ecclesiasticus pœnam imposuit solum medicinalem.*
806. *Aut crimen sit tale, quod vindicandum sit pœnâ sanguinis.*
807. *Non potest procedere alter, si prior inflixit pœnam delicto commensuratam.*
808. *Punitus pœnâ temporali ab uno Judice, eâdem puniri ab altero amplius non potest. Stabilitur assertio auctoritate DD. & Juris.*
809. *Ac ratione.*
810. 811. 812. *Respondetur ad opposita.*
813. *Potest procedere alter Judex, si prior condemnavit in contumaciam.*
814. *Aut si reus pœnam à priore dictatam non solvit.*
815. *Aut si in priore judicio prævaricatio intervenit.*
816. *Aut pœna à primo Judice imposita solùm fuit præparatoria alterius judicij.*

817.

817. *Aut una tantùm ſpecies delicti fuerit punita.*
818. *Aut coram uno Judice agatur civiliter, coram altero criminaliter.*
819. 820. *Abſolutus ab uno Judice, non poteſt de eodem crimine judicari & condemnari ab altero.*
821. 822. *Reſpondetur ad oppoſita.*
823. *Judicari tamen denuo poteſt reus, ſi priùs fuit abſolutus tantùm ab inſtantia judicij.*
824. *Vel ſi tertius quispiam ſuum dolorem perſequatur.*
825. *Vel abſolutio facta fuerit per colluſionem.*
826. *Vel actum priùs fuerit ſolum civiliter, ac poſtea agendum ſit criminaliter; aut viciſſim.*
827. *Vel facta fuerit abſolutio à crimine ſolùm incidenter in judicium deducto.*
828. *Vel crimen priùs denunciatum fuerit denuntiatione ſolùm Evangelicâ.*
829. *Vel abſolutus illud poſtea confiteatur in judicio & ſponte.*
830. *Vel priùs tantùm transactum fuit ſuper crimine.*
831. *Abſolutus ab uno Jndice non poteſt reaſſumi ab altero, tametſi prior non potuerit pœnam debitam infligere.*
832. *Et licèt prior ſolum proceſſerit per viam Inquiſitionis, vel ſint Judices diverſorum territoriorum.*
833. *Abſolutus ab uno Judice etiam per gratiam & diſpenſationem, non poteſt puniri ab altero.*
834. *Quem tamen effectum non habet privata partis læſæ remiſſio.*
835. *Nec abſolutio unius Judicis præjudicavit alteri, qui reum priùs condemnavit in contumaciam.*
836. *Mens Auctoris circa hactenus dicta declaratur.*

803. Cùm præventioni, uti hactenus dictum eſt, locus ſit in Cauſis Mixti Fori, ac quandocunque plures Judices concurrentem jurisdictionem habent, uti habet Judex domicilij cum Judice loci, ubi delictum patratum aut contractus initus fuit: quæſtio difficilis multúmque controverſa decidenda ſupereſt, utrùm

si is, qui prævenit alterum, causam terminavit vel condemnando reum vel absolvendo, alter eam reassumere possit, & reum à priore Judice absolutum condemnare, aut condemnato & punito aliam & novam pœnam infligere. Distinctio hîc facienda est inter aliquot casus. Hanc quia multi DD. omiserunt, idcirco in varias abiêrunt sententias, quarum singulæ falsæ sunt, si generatim & de omni casu sumantur; veræ singulæ, si sumantur de diversis. Distinguendum in primis est inter casum, quo reus per Judicem prævenientem condemnatus & punitus fuit; ac inter alterum, quo fuit absolutus. Secundò distinguendum est inter crimina, quæ morte aliáve pœnâ sanguinis vindicanda sunt; ac inter ea, quibus alia quæpiam pœna vel corporalis vel pecuniaria est statuta. Tertiò inter pœnas merè medicinales, & alias non medicinales sed vindicativas. Quartò inter pœnas delicto commensuratas, aliásque non commensuratas, sed leviores; eásque vel ordinarias vel extraordinarias & arbitrarias. Quintò denique inter absolutionem à crimine & declarationem innocentiæ, ac inter absolutionem solùm ab instantia. Quæ omnia si ritè discernantur, & ponderentur DD. verba, rationésque ac Jura, quæ adducunt, facilè apparebit, plerosque, qui passim tanquam inter se contrarij citantur, reipsâ non dissidere, sed diversas ipsorum opiniones de diversis casibus absque ea, quæ eisdem imponitur, discordia procedere.

804. Removenda hîc ante omnia est opinio antiquorum DD. qui ferè distinguebant inter casum, quo Judex Ecclesiasticus per viam inquisitionis; & casum, quo ad partis querelam processerit. Et in priori quidem casu respondebant, Judicem secularem posse procedere contra laicum à Judice Ecclesiastico jam punitum: quia de Jure Canonico Judex per viam inquisitionis procedens non potest in pœnam ordinariam, sed solùm in extraordinariam condemnare, juxta doctrinam Interpretum *in C. Qualiter & quando de Accusation.* Ac propterea reum tanquam non competenti pœnâ mulctatum posse iterum de eodem crimine accusari

cusari & puniri: secùs, si ad querelam partis processerit Judex. Ita Panorm. Butr. Felin. ac passim alij *in C. De his de Accusation.* Verùm hodie inutilis est ista distinctio. Nam præterquam quòd rarò ampliùs proceditur per viam accusationis, sed ad delationem Promotoris Fiscalis, qui est loco accusatoris, uti notant Foller. *in Praxi crim. Can. c. 35. n. 21.* & Farinac. *lib. 1. Prax. crim. tit. de Inquisit. q. 4. n. 3.* vel per inquisitionem: hæc tamen etsi sit modus extraordinarius procedendi contra criminosos, hodiernâ tamen praxi est ordinarius, & pœnas ordinarias infligit Judex tam Ecclesiasticus quàm laicus, tametsi hâc viâ inquisitionis procedat. Itaque omissâ istâ Veterum distinctione

805. Dicendum est I. Si Judex Ecclesiasticus laico imposuit pœnam spiritualem ac medicinalem, & potiùs ad salutem animæ, quàm ad corporis afflictionem & in vindictam, procedere contra eundem potest Judex laicus ad pœnam temporalem. Sumitur ex *L. Placet §. Si quis contravenerit C. de SS. Eccles.* & cum communi DD. tradunt Jul. Clar. *lib. 5. Sentent. §. fin. q. 17. V. Sed quæro,* Aretin. *consil. 58. n. 8.* Gomez *tom. 3. var. resol. c. 1. concl. 2. n. 40.* Farinac. *cit. q. 4. n. 8.* Scaccia *de Judic. lib. 1. c. 12. n. 91.* Ratio patet: quia per pœnam illam solùm spiritualem & medicinalem, v. g. censuram, aut injunctum opus aliquod pium, nondum est, uti ponitur, sufficienter punitum delictum: igitur non est ratio, cur tunc procedere non queat etiam Judex laicus, ut sic Justitiæ Vindicativæ & Reipublicæ læsæ per pœnam temporalem, quâ reus in corpore aut bonis fortunæ punitur, satisfiat. Ex quo sequitur, quod cum Panorm. Imol. ac aliorum communi tradit Gomez *l. c.* per pœnam quantumcunque magnam in foro arcano pœnitentiæ à Confessario impositam nullatenus tolli pœnam imponendam in foro externo seu Civili seu Ecclesiastico.

806. Dicendum est II. Quando crimen est tale, in quod statuta est pœna, quam infligere nequit Judex Ecclesiasticus, videlicet pœna sanguinis, procedere contra reum potest Judex laicus, non obstante, quòd præventus fuerit reus ab Ecclesiastico,

& jam punitus pœnâ aliquâ etiam temporali, quæ tamen delicti gravitate sit multò minor. Ita rursum cum communi Gomez *l. c. n. 40.* Scaccia *cit. c. 12. n. 91.* Farin. *cit. q. 4. n. 11.* Decian. *Tract. Crimin. tom. 1. lib. 9. c. 45.* Sumitur ex *C. Felicis 5. de Pœnis in 6. §. Per hoc quoque.* Patétque ratio: quia expedit Reipublicæ, ut crimina non maneant impunita. *L. Ita vulneratus in fin. ff. Ad L. Aquil.* manerent autem ferè impunita crimina atrocia, si pœna mortis aut mutilationis non infligeretur.

807. Dicendum est III. Si Judex Ecclesiasticus reum mulctavit aliquâ pœnâ delicto proportionatâ & commensuratâ, non poterit Judex secularis iterum punire: ac vicissim punitus ab isto debitâ pœnâ non poterit denuo puniri ab illo. Ita tradunt Joan. Andr. & Dominic. *in cit. C. Felicis*, Panorm. *in C. Tuæ de Procurat. col. penult.* Aretin. *in C. De his crimimb. de Accusation.* Covarr. *lib. 2. var. resolut. c. 10. n. 5.* éstque communis Interpp. & certa sententia, malè dubitante Alciato *in C. 1. de Offic. Ordin.* Veritas assertionis patet cùm ex Juribus mox allegandis; tum ex eo, quòd reo fieret injuria, si ab uno Judice debitâ pœnâ jam affectus, ab altero denuò puniretur: quia hac ratione ultrà, quàm meretur, castigaretur, & per consequens non tantùm violaretur Justitia Vindicativa, quæ jubet pœnas æquales delicto imponi; sed etiam Commutativa, quia læderetur jus, quod habet delinquens, ut non puniatur graviùs, quàm mereatur delictum. Ex quo consequens est, quòd etiam in priore casu, quem *num. praced.* attuli, pœna corporis à Judice seculari sit temperanda, ut videlicet juncta illi pœnæ, quam jam inflixit Ecclesiasticus, non excedat gravitatem & mensuram delicti. Quia etiam ab ipso Deo severo omnis peccati ultore, teste Nahum *c. 1. v. 9. non consurget duplex tribulatio*, vel ut Septuaginta legunt, *non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione.*

808. Dicendum est IV. Punitus pœnâ temporali ab uno Judice seu Ecclesiastico seu laico, non potest denuò puniri ab altero, tametsi illa pœna fuerit aliquantò minor illâ, quam Judex pu-

fieris imponère potuisset, & quam alter Judex fuisset impositus. Ita tenent Bartol. *in L. Prætor edixit* §. *Si dicatur ff. de Injur. & in L. Quod ergo* §. *Pœna gravior ff. de his, qui not. infam.* ac *in L.* 1. *ff. Vi bonor. raptor.* Cynus *in L. Nullum C. de Testib. in fin.* ubi ait, hanc esse communem Legistarum sententiam, Baldus *lib.* 1. *consil.* 34. *in fin.* ubi ait, quotidie ita practicari, Angel. Alber. & Dynus *in L. Senatus ff. de Accusat.* Jacob. Butrio *in L. Etsi severior C. Ex quib. caus. infam. irrog.* Salycet. *in L. Qui sepulch. C. de Sepulch. viol. col.* 3. *n.* 8. ubi communem dicit, Joan. Andr. & Gemin. *in cit. C. Felicis*, Panorm. *in cit. C. Tuæ de Procurator.* Boss. *in Tract. crim. tit. de Foro comp. n.* 88. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 91. Gomes. *cit c.* 1. *n.* 39. Sperelli *tom.* 1. *Decis. Fori Eccles. decis.* 92. *à n.* 6. & *tom.* 2. *decis.* 134. *à n.* 11. Patet ex *L. Senatus censuit* 14. *ff. de Accusat. L. Licet* 6. §. *fin. ff. Naut. Caup. Stabul.* ubi habetur, neminem ob idem crimen pluribus legibus reum fieri, & sæpius de ejusdem hominis admisso non quæri. Idémque tradit Ulpian. *L. Prætor edixit* 7. §. *Si dicatur ff. de Injur.* Unde communiter resolvunt DD. quando diversis foris aut per diversas leges diversæ pœnæ sunt statutæ, & una non merè medicinalis est, sed utraque ad vindictam tendit, & ordinaria est, unâ impositâ & exactâ tolli alteram, nec posse alteram imponi, quamvis illa, quæ imposita fuit, sit minor alterâ, quæ imponi itidem posset. Et hoc fundamentum Gomes. *l. c. n.* 40. ait esse invincibile ad probandum, quòd sententia in foro Ecclesiastico lata, etiam in criminalibus, pariat exceptionem rei judicatæ in foro laico, ita ut Judex secularis amplius procedere nequeat: dummodo crimen sit tale, quod per Judicem Ecclesiasticum condignè puniri possit.

809. Accedit ratio paulò antè allata: quia in criminibus mixti fori locus est præventioni; præventionis autem natura ac essentia, &, ut sic dicam, jus est, ut alterius Judicis jurisdictionem cessare faciat. *L. Si quis postea ff. de Judic.* & *C. Proposuisti* 19. *de Foro comp.* & utrobique Interpp. ac *in C. Ut debitus de Appellat.*

&

& *C. Cùm plures de Offic. & poteſt. Judic. Deleg. in 6.* Huncautem effectum non haberet, ſi alter Judex cognoſcere rurſum & vindictam ſumere poſſet de crimine, de quo jam ſumpſit alter.

810. Hinc non valet, quod Alciatus *l. c.* ait, reum per delictum mixti fori facere injuriam utrique legi, Eccleſiaſticæ videlicet & Civili, ac propterea ab utroque Judice coërceri poſſe. Hoc enim ſolùm probat, quòd uterque procedere poſſit præveniendo alterum; non verò, quòd poſſit procedere, ſi ab altero jam eſt præventus, & reum denuo punire: aliàs effectum non haberet præventio, poſſétque contra reum procedi in foro tam delicti quàm domicilij, tametſi in alterutro jam fuerit punitus; quod nemo facilè admiſerit.

811. Neque obſtant *L. Placet 5. C. de SS. Eccleſ. L. Siquis in hoc genus C. de Epiſc. & Cleric. L. 2. ff. de Sportul.* ſimilésque aliæ, quibus contrarium ſtatui videtur: nam loquuntur ſolùm de caſu, quo Judex unus medicinalem ſolùm pœnitentiam impoſuit, aut commenſuratam delicto atroci pœnam imponere nequijt, ut fusè oſtendit Sperelli *cit. deciſ. 134. à n. 29.* ubi pariter *à n. 42.* demonſtrat, plurimos DD. qui in contrarium citantur, reipſa noſtram ſententiam tenere. Unde non benè ait Jul. Clarus *lib. 5. Sentent. §. fin. q. 57. n. 14.* communem eſſe opinionem DD. poſſe punitum à Judice Eccleſiaſtico poſtea graviùs puniri à Seculari, niſi illa intelligatur de caſibus *n. 805.* & *806.* allatis.

812. Pariter non obſtat illa regula, quam tradunt Baldus *in L. Placet C. de SS. Eccleſ.* aliíque Interpp. jurisdictionem Eccleſiaſticam & Secularem eſſe penitus diſtinctas & ſeparatas, nec unam ab altera impediri poſſe. Nam ſenſus duntaxat eſt, quòd hæc in cauſis profanis laicorum, illa in cauſis Eccleſiaſticis procedat, nec turbare debeat alteram, ſéque cauſis non ſuis immiſcere: & quòd in cauſis mixti fori, ubi ſemel prævenit unus Judex, alter ampliùs procedere nequeat. Non verò, quòd ſi unus jam prævenit & punivit reum, etiam alter punire valeat. Hoc enim iniquum valde foret, cùm quòd ageretur contra Juſtitiam, ut paulò antè dixi,

dixi, Commutativam æquè ac Vindicativam, videl. ultra condignum mulctando reos; tum quòd prioris Judicis sententia contemptibilis redderetur; tum quòd natura & jus præventionis everteretur.

813. Limitanda tamen est assertio modò facta, & dicendum V. Judicem Secularem contra reum jam condemnatum ab Ecclesiastico, ac vicissim, procedere posse I. Quando Judex unus condemnavit reum in contumaciam. Locum tunc præventioni non esse constat ex dictis suprà *n. 786.* & tradunt præter ibi relatos, Bartol. *in L. Sepulchri violati ff. de Sepulch. viol. n. 2 ac* 3. ac alij Interpp. *ibid.* Caccialup. *in L. Cunctos populos C. de Summ. Trinit. n. 27.* ubi testatur de praxi, Baiard. *ad Jul. Clar. in §. fin. q. 39. n. 44. & q. 57. n. 24.* Socin. *lib. 2. consil. 237.* Boss. *Pract. crim. tit. de Foro comp. à n. 82.* Farinac. *in Praxi crimin. lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 55.* cum multis alijs, quos allegat. Nisi reus contumax postea compareat & expensas refundat, uti volunt Angel. *de Malefic. V. Hæc est quædam inquisitio n. 86.* Felin. *in C. Ex tenore de Rescript. n. 5.* Gram. *decis. 26. n. 10.* ac alij, quos refert Anton. Gabrielius *lib. 2. Opin. com. tit. de Judicijs concluf. 1. n. 24.* Quod quomodo intelligendum sit, dixi *cit. n. 786.*

814. II. Quando reus ab uno Judice condemnatus pœnam non solvit: tunc enim ex mente Bartoli *l. c.* Caccialup. *l. c. v. Secundus casus*, ac aliorum, poterit ante paritionem Judici præstitam ab altero judicari ac puniri, nec prior sententia exceptionem pariet rei judicatæ. Videtur tamen, quòd in tali casu Judex Ecclesiasticus potiùs implorare debeat brachium Judicis secularis ad coërcendum reum, ut pœnam impositam impleat. Ac vicissim, quòd si Judicis Secularis potestas ac vis non sufficiat ad cogendum, implorari debeat Judex Ecclesiasticus, ut per censuras compellat: uti fieri solet, quando alterutrius Judicis potestas vincere ac coërcere nequit delinquentium improbitatem.

815. III. Si dolus & fraus interceſſit, videlicet si reus curavit in se inquiri vel accusationem institui in foro mitiore ad effu-

giendam pœnam duriorem: cùm enim tunc præventio locum non habeat, ut dixi suprà *n. 788.* poterit procedere alter Judex: nisi à priore reus jam punitus pœnâ condignâ fuerit.

816. IV. Si pœna ab Ecclesiastico Judice imposita fuit tantùm præparatoria alterius pœnæ, v. g. cùm Clericus ob crimen atrox privilegio Fori privatur, & degradatur: poterit enim tunc ad pœnam criminis ordinariam procedere Judex laicus; cùm illa privatio & degradatio eum potissimùm in finem fiat, ut jurisdictio secularis locum habeat & pœnâ condignâ vindicari crimen possit. *Auth. de Sanctiss. Episcopis §. Si quis contra V. Si verò crimen. C. Cùm non ab homine de Judic.*

817. V. Quando plures delicti species in uno crimine concurrunt, v. g. adulterium & incestus, furtum & sacrilegium. Poterit enim tunc, quando unus Judex tantùm processit super una qualitate & specie delicti, alter procedere super altera, uti sumitur ex *L. Si adulterium cum incestu 38. ff. ad L. Jul. de Adulter. L. Qui de crimine C. de Accusation.* & tradunt Franc. *in C. Felicis §. Per hoc quoque de Pœnis in 6.* Angel. *in L. Qui accusare ff. de Accusat. n. 5. & 6.* & Salycet. *ibid. n. 65.* Boër. *decis. 289. n. 3.* Germon. *lib. 3. de Sacror. immunitate c. 12. à n. 8.* Ratio patet ex dictis *n. 806.* quia aliàs una species delicti eáque gravissima impunita maneret. Addunt Bartol. *in L. Senatus censuit 14. ff. de Accusation.* Angel. Salycet. Germon. & Boër. *ll. cc.* unam pœnam sufficere, si una qualitas delicti contineatur sub altera tanquam species sub genere, uti adulterij species sub genere libidinosæ intemperantiæ & fornicationis. Verùm per se evidens est, quòd si crimen punitum fuit pœnâ adulterij, puniri ampliùs nequeat ut simplex intemperantia & fornicatio; hujus enim tota malitia indistinctè & inseparabiliter continetur sub adulterio, nec speciem ab illo diversam constituit, unde punito pœnâ condignâ adulterio nihil ampliùs remanet puniendum. Si verò adultero imposita ab uno Judice simplicis duntaxat fornicationis pœna fuit, negari nequit, posse ab altero Judice procedi ratione adulterij;

terij; aut ratione sacrilegij, si furtum sacrilegum punitum ab uno Judice fuit solùm ut furtum simplex & non qualificatum.

818. VI. Quando coram uno Judice actum fuit de crimine tantùm civiliter, & ad interesse, agi coram altero potest criminaliter & ad vindictam *L. 1. C. Quando civilis actio.* Bartol. *in L. 1. ff. de vi bonor. raptor.* Angel. *l. c.* Joan. Andr. *in cit. C. Felicis n. 8.* & *ibid.* Franc. *n. 4. v. 2:* ac aliorum communis apud Gomez *tom. 3. var. resolut. c. 1. n. 39.* Neque enim actio rei persecutoria tollit actionem merè pœnalem, sed utrâque quis rectè experitur. *L. 7. §. 1. ff. de Condict. furt. §. fin. Inst. de obligat. quæ ex del. nasc. L. 54. §. 3. ff. de Furt. L. 34. §. 2. & L. 44. ff. de O. & A. L. 45. ff. Prō Socio, L. 29. ff. Depos. L. 42. ff. Locat.* Si tamen Vir criminaliter egit contra uxorem adulteram ad pœnas adulterij infligendas, non potest eo judicio finito postea agere civiliter ad separationem thori dotisque ac aliorum bonorum amissionem, uti cum Hostiensi tradunt Panorm. *in C. Tuæ de Procurator. n. 5.* Felin. *in C. Cùm sit generale 8. de Foro comp. n. 21.* Petr. Barbosa *in L. 2. ff. Solut. matrim. p. 1. prin. n. 138.* Sanchez *lib. 10. de Matrim. disp. 8. n. 19.* ac alij: quia utrumque judicium tendit ad idem, nempe ad pœnam adulterij, licèt secundariò respiciat commodum & interesse actoris. Et quamvis Anton. de Butrio teneat, id locum non habere, si à priore Judice, videlicet Ecclesiastico, sola thori separatio imposita fuit, idem tamen etiam de hoc casu tenendum existimant cit. DD. cùm etiam, quando de ea separatione agitur, dicatur judicium tendere ad vindictam. At quando pœna utriusque Fori tendit ad vindictam, unâ impositâ alia imponi nequit, ut cum Joan. de Imola aliísque tradit Anan. *in C. de his de Accusat. n. 7.* ex *L. Prætor edixit 7. §. Si dicatur 1. ff. de Injurijs.* Ubi tamen advertendum est, hoc solùm procedere de illo, qui jam egit: agere enim alius, qui propriam persequitur injuriam, nihilominus potest.

819. Dicendum est VII. Absolutus ab uno Judice non potest de eodem crimine judicari & condemnari ab altero Judice, sed

contra quemcunque alium Judicem & accusatorem exceptione rei judicatæ tutus est. Ita asseritur *C. 6. de Accusation.* ibi: *De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari.* Et tradunt Glossa, Innocent. Panorm. Butr. ac alij communiter. Idem traditur *C. 2. de Exception. in 6. Cùm quidam Seculares Judices* (ait Bonifacius VIII.) *dum coram eis excipitur de re per Ecclesiasticum Judicem judicata, in casu, quo ad eum pertinet cognitio de consuetudine vel iure, recusent excipientes audire, in derogationem jurisdictionis Ecclesiasticæ & contemptum: decernimus, ut per censuram Ecclesiasticam ab iniquitate coërceantur hujusmodi, & ad admittendum exceptionem eandem (ubi aliàs de jure admitti debet) à locorum Ordinarijs compellantur. Similiter Ecclesiastici Judices, si coram ipsis excipiatur de re per Secularem Judicem judicata, exceptionem ipsam admittant, in ijs, quæ animarum periculum non inducunt.*

820. Idem statuitur Jure Civili. Nam, ut dicitur *L. Prævariationis 3. §. 1. ff. de Prævaric. si reus accusatori publico judicio ideò præscribat, quòd dicat, se eodem crimine accusatum & absolutum, cavetur lege Julia publicorum, ut non priùs accusetur, quàm de prioris accusationis prævaricatione constiterit & pronunciatum fuerit.* Juxta *L. Si cui crimen 7. §. 2. ff. de Accusation. ijsdem criminibus, quibus quis liberatus est, non debet Præses pati eundem accusari: Et ita Divus Pius Salvio Valenti rescripsit.* Et, ut dicitur *L. 14. ff. eod. Senatus censuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret.* Idem habetur *L. Hi tamen 11. §. 2. ff. eod.* Idem *L. Qui de crimine 9.* & *L. Si quis homicidij 11. C. eod. L. Sepulchri violati actio ff. de Sepulch. viol. L. fin. C. de Custod. reor. L. 2. C. de Except. rei judic. L. 1. C. Quando provocare non est necesse.* Tradúntque Bartol. *in cit. L. 3.* Gloss. Bald. Bartol. aliíque communiter *in cit. L. 11. C. de Accusat.* Boss. *in Pract. Crim. tit. de Sententijs n. 64.* Gomez *tom. 3. var. resolut. c. 1. n. 26.* Cujacius *in cit. L. 9. C. de Accusat.* aliíque, quos congerunt Emman. Gonzalez *in cit. C. 6. de Accusat. n. 2.* Aylon *in Gomez. cit. n. 26.*

*n. 26.* & Farin. *lib.* 1. *Prax. crimin. tit.* 1. *q.* 4. *n.* 1. Unde non apparet, quo jure Covarr. *lib.* 2. *var. resolut. c.* 10. *n.* 6. & ex ipso Jul. Clarus *lib.* 5. *Sentent.* §. *fin. q.* 57. *n.* 11. asserat, omnium consensu receptum esse, quòd laicus de crimine mixti fori accusatus coram Judice Ecclesiastico & ab eodem causâ cognitâ absolutus, coram Judice laico de illo crimine accusari & puniri possit. Quod nisi intelligatur de casibus, quos mox excipiam, planè falsum esse constat ex juribus & auctoritate DD. modò relatis. Neque vera essent, quæ de Præventionis jure statuta legibus sunt, ut suprà dixi, si Judex Secularis liberè procedere posset contra reum ab Ecclesiastico absolutum: quia non esset ligata illius potestas & sublata jurisdictio, si non obstante præventione à Judice Ecclesiastico facta procedere contra reum posset, cùm tamen ex citatis Juribus constet, cessare jurisdictionem Judicis præventi quoad causam, in qua præventus fuit. Nec facilè quispiam, ut opinor, concesserit, reum absolutum à Judice laico posse judicari à Judice Ecclesiastico & puniri pœnâ temporali. Quod si non potest Judex Ecclesiasticus, vicissim non poterit Judex secularis; tum quòd Jura, dum præventionem in causis mixtis concedunt, non distinguunt inter unum ac alterum, nec plus juris tribuunt laico quàm Ecclesiastico; tum quòd iniquum per se est, potestati sublimiori minus indulgeri, quàm inferiori, plúsque fidi ac tribui æquitati & justitiæ secularium, quàm Ecclesiasticorum Judicum. Denique adeò verum non est, quod dicunt Covarr. & Clarus, contrariam sententiam omnium consensu receptam esse, ut Gomesius *cit. c.* 1. *n.* 40. *in fine* asserat eam teneri à solo Ancharano *in regulam Ea quæ 26. Juris in 6. col.* 17. *q.* 9. ac Oliva *p.* 2. *de Foro Eccles. q.* 28. *n.* 14. testetur, se eam non reperisse communem.

821. Neque valet, quod quis fortè dicet, laico Judici ordinariam jurisdictionem in laicos competere, non item Ecclesiastico, ac propterea mirum non esse, quòd is procedere contra suos subditos possit, non obstante, quòd jam absoluti sint ab Ecclesiastico; neque è contrario sequi, quòd absoluti à Judice se-

culari judicari possint ab Ecclesiastico, cùm hic non sit Judex ipsorum ordinarius. Non, inquam, ista valent: quia sicut Judex Ecclesiasticus est ordinarius laicorum quoad causas spirituales, ita pariter competens & ordinarius est quoad causas mixti fori, nec quoad istas minus jurisdictionis in eosdem ipsi competit, quàm seculari. Unde cùm par sit utriusque jurisdictio, par quoque conditio utriusque esse debet, ita videlicet, ut si laicus mixti criminis reus à Judice laico absolutus judicari ampliùs nequit ab Ecclesiastico, vicissim ab isto absolutus judicari nequeat ab illo.

822. Pariter non valet, quod ajunt Felin. *in C. At si Clerici 4. de Judic. n. 4.* Anan. *in C. Qualiter & quando 24. §. Ad corrigendos de Accusat. n. 21.* Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 175. n. 13.* Valasc. *consult. 48. n. 9.* textum *cit. C. 7. & ult. de Exception. in 6.* solùm intelligendum esse de Civilibus, non item de Criminalibus. Nam inprimis Baldus & Marian. Socin. quos allegant & sequuntur, id non asserunt: neque asserere potuerunt, cùm textûs decisio sit universalis absque ulla distinctione inter civilia & criminalia. Neque ulla erat distinguendi ratio. Imò ratio, quæ in decisione affertur, de utrisque procedit. Hinc nullus alius Interpres illam distinctionem & discrimen agnovit. Demum Jura alia *n. 819. & seq.* allegata apertè loquuntur etiam de criminibus; unde de ijs intelligendus pariter est textus *cit. C. 2. de Exception.* ac etiam hoc deficiente abundè nostra assertio probaretur ex illis.

823. Quamvis autem, quod assertum modò est, reum videlicet absolutum in uno foro non posse ampliùs judicari in altero, non sit limitandum ad sola civilia: exceptiones tamen & limitationes alias, eásque varias, patitur. Nam primò repeti reus potest non tantùm coram eodem Judice, sed etiam diverso, si absolutus non fuit sententiâ definitivâ, seu eâ, quâ absolutè declaratus est innocens; sed solùm interlocutoriâ, seu ab hac instantia & observatione judicij, v. g. propter inhabilitatem accusatoris, defectum libelli, defectum probationum &c. Et quidem repeti tunc reum posse per viam vel accusationis vel inquisitionis

non

non tantùm ab eodem Judice, à quo fuit absolutus ab instantia; sed etiam ab alio, v.g. à Judice delicti, si est absolutus à Judice Domicilij; vel à Judice Ecclesiastico, si à laico, ac viciſſim, tradunt cum communi DD. Farin. *lib.* 1. *Prax. Crimin. tit.* 1. *q.* 7. *n.* 26. *v. Et quod attinet*, ac Sperelli *decis.* 134. *n.* 65. Ratio est: quia etsi per prævention̄em prior Judex jurisdictionem privativè obtineat, hoc tamen solùm procedit de illa instantia & judicio, quo alterum prævenit; non verò de quocunque altero. Neque convenit ligatas esse manus alterius Judicis meliores probationes habentis. An verò, qui simpliciter absolutus fuit, censeatur absolutus definitivâ sententiâ & tanquam innocens; an verò solùm ab instantia, dubium est. Ad quod teste Jul. Claro *lib.* 5. *Sentent.* §. *fin. q.* 57. *n.* 3. communiter respondent DD. censeri absolutum solùm ab instantia. Quia verò juxta praxim aliquorum tribunalium, quando fit absolutio solùm ab instantia, adjungitur clausula *rebus sic stantibus*, vel *cùm non fuerit probatum &c.* idcirco si sententia absque hujusmodi clausula profertur, censetur esse definitiva, & lata super innocentia, nisi contrarium aliunde colligi possit.

824. Secundò. Repeti reus ab uno Judice absolutus coram altero, sicut coram eodem, potest, si alius quispiam suum dolorem persequatur, doceátque, se ignorâsse accusationem ab altero fuisse institutam. E. g. si actum fuit ab uno de populo ex Lege Julia de vi publica contra eum, qui armatos homines coëgit, & vim alicui intulit, posteáque superveniat is, cui vis illata est: permittendus enim est privatam injuriam in judicium deducere, non obstante absolutione ad primam accusationem factâ. *Putem*, inquit Ulpian. *L. Si cui* 7. *§.* 2. *ff. de Accusation. quoniam res inter alios judicatæ, alij non præjudicant, si is, qui nunc accusator extitit, suum dolorem persequatur, doceátque se ignorâsse accusationem ab alio institutam, magna ex causa eum admitti ad accusationem debere.* Idémque *L. Si maritus* 74. §. 2. *ff. ad L. Jul. de Adulter*, ait: Si *accusatione instituta absoluta sit mulier extráneo accusante, tamen marito debet permitti restaurare accusationem, si idoneas*

*causas*

*causas allegare possit, quibus impeditus non instituit accusationem.* Probatur autem ignorantia per absentiam, ut tradunt Gomez *cit. c. 1. n. 26. in fin.* Foller. *in Pract. crimin. Canon. c. 35. n. 7.* & Farinac. *in Praxi crimin. lib. 1. tit. 1. q. 4. n. 21.* quia ex absentia regulariter præsumitur ignorantia. *L. Tres fratres ff. de Pactis L. Titius §. Lucius ff. de Liber. & posthum.* Bald. *in C. Cognoscentes de Constitut.* & *ibid.* Panorm. *n. 10.* Felin. *n.* 19. Decius *in C. Super literis de Rescript. n. 7.* & *consil.* 38. *n. 7.* Ex præsentia verò præsumitur notitia: quæ tamen præsumptio tollitur per juramentum. Gloss. communitur recepta *in cit. L. Si cui §. Iisdem V Doceátque,* Baldus *in L. 2 §. penult. ff. Si quis caus.* Panorm. & Felin. *in C. De his 6. de Accusat.* Aretin. *consil. 38. col. ult.* Foller. *cit. c. 35. n. 7.* Jul. Clarus *cit. q. 57. V. Sed pone.* Cæterùm quamvis DD. hîc solùm mentionem faciant accusationis ab alio priùs institutæ, ob paritatem tamen rationis idem dicendum videtur de casu, quo Judex processit per viam inquisitionis, ita ut non obstante absolutione admittendus sit accusator, qui suam suorúmve injuriam persequitur: dummodo doceat, se ignorâsse, quòd Judex processum inquisitionis instituerit, séque accusare citiùs non potuisse.

825. Tertiò. Procedere alter Judex potest, si reus à priore legitimè & ritè absolutus non fuit, sed per collusionem v. g. aut fraudem. *L. 3. ff. de Prævaricat. L.* 3. §. *Si tamen plures ff. de liber. homin. exhib. L.* 30. *§.* 3. *ff. de Jurejur. L. Si quis homicidij C. de Accusation. cit. L. Si cui §. Iisdem ff. eod.* & *ibi* Glossa ac Bartol. *C. fin. de Collus. deteg.* & *ibi* Panorm. & Anan. Idque procedit sive collusio seu prævaricatio intervenerit cum Judice, sive cum testibus, sive cum tabellione. Jul. Clar. *cit. q. 57. V. Ulteriùs quæro,* Farinac. *cit. q. 4. n. 13.* Ratio est, quòd nemini fraus sua debet patrocinari, nec nocere alteri ad favorem publicum volentis accusare aut accusationem recipere vel inquisitionem facere.

826.

826. Quartò. Abſolutus ab uno Judice conveniri coram altero poteſt, ſi coram uno actum eſt civiliter, & coram altero agendum ſit criminaliter; ac viciſſim. Ita communis DD. cum Panorm. *in cit. C. 6. de Accuſation. n. 6.* Felin. *n. 8* Beroius *n. 21.* Jul. Clarus *lib. 5. Sent. §. fin. q. 2. n. 7.* & dixi paulò ſuprà *n. 818.* Quia juxta *L. un. C. Quando Civilis actio Criminali præjudicet*, ſi ex facto deſcendunt duæ actiones, altera Civilis, Criminalis altera, una non tollit alteram, adeóque ſi actum eſt unâ, agi adhuc poteſt alterâ: modò tendant ad diverſa, id eſt, ſi civilis tendat ad perſecutionem rei familiaris, dum altera tendit ad vindictam. Quod varijs exemplis *cit. L.* declarat Imperator. Si tamen actio civilis & criminalis ad idem tendunt, una extinguit alteram, & ſic definitivâ ſententiâ abſolutus ab una, non poteſt conveniri alterâ. Exemplum eſto in actione Injuriarum civili & criminali, quia utraque tendit ad vindictam, & neutra rem familiarem per ſe & immediatè perſequitur: hoc ſolùm diſcrimine, quòd illâ pœnam actori, hâc Judici applicandam petimus. Aliud exemplum dedi *cit. n. 818.* Hinc actio Injuriarum non tollit actionem Legis Aquiliæ: quia hæc rem familiarem, illa vindictam perſequitur. Gaill. *lib. 1. obſer. 65. n. 1. & 2.* Hartmann. *lib. 2. tit. 49. obſ. 3. à n. 8.* Mynſing. *lib. 1. obſ. 25. & ad §. 10. Inſt. de Injur. à n. 3.* Schneidevvin. *ibid. n. 2. & 3.*

827. Quintò. Si abſolutus reus ab uno Judice fuit à crimine non principaliter, & per viam inquiſitionis vel accuſationis, ſed ſolùm incidenter & per viam exceptionis in judicium deducto, v. g. ſi in quæſtione civili opponatur contra teſtem exceptio falſi & per viam exceptionis de crimine falſi cognoſcatur, ac reus à crimine falſi teſtis abſolvatur, poterit hac abſolutione non obſtante poſtea contra illum procedi viâ ordinariâ. Eadémque eſt ratio

de eo, qui incidenter tantùm condemnatus & punitus fuit pœnâ solùm extraordinariâ & leviori, ut tradunt Bald. *in L. Ubi falsi & L. Nullum C. de Testib.* Felin. *in C. De his 6. de Accusat. limit. 3.* Roman. *consil. 375.* aliíque, quos referunt & sequuntur Maranta *in Specul. tit. de Inquisit. n. 85.* Foller. *in Pract. crim. c. 35. n. 17.* & Farinac. *cit. tit. 1. q. 4. n. 39.*

828. Sextò. Idem dicendum est de casu, quo reus denuntiatus Judici Ecclesiastico fuit denuntiatione solùm Evangelicâ, & absolutus vel punitus pœnâ solùm medicinali fuit, non verò temporali ac ordinariâ: poterit enim tunc coram alio saltem Judice accusari vel denuntiari juridicè & puniri pœnâ ordinariâ. Secùs, si plenè satisfeciſſet, quia v. g. vigore talis denuntiationis Judex ad ordinarium & judicialem processum veniſſet. Salycet. *in L. Ea quidem C. de Accusation.* Panorm. *in C. Novit de Judic.* Felin. *l. c. limit. 4.* Maranta *l. c. n. 86.* Foller. *cit. c. 35. n. 18.*

829. Septimò. Quando absolutus post absolutionem fatetur delictum, ac per consequens, sententiam pro se latam fuiſſe injustam, poterit ex sua confessione, non obstante illâ absolutione, condemnari: quia sententia, tametsi transiêrit in rem judicatam, retractatur, si victor fateatur, eam injustè latam esse, ut cum Innoc. Panorm. Anton. de Butr. Aretin. ac aliorum communi tradunt Alciat. *in C. Novit de Judic. n. 40.* & Villalobos *in Collect. Opin. commun. lit. S. n. 37. v. Sententia injusta.* Et quamvis DD. dum ita pronunciant, ferè solùm loquantur de civilibus, idem tamen tenendum esse de sententia & absolutione lata in criminali judicio, rectè asserit, & multis rationibus demonstrat Foller. *in Practic. crimin. p. 1. partis 3. princip. v. Etsi confitebuntur à n. 40.*

40. Fulgos. *in L. Si confessus ff. de Custod. & exhib. reor. n.* 2. Beroius *in C. At si Clerici 4. de Judic. à n. 67.* Cæterùm hæc solùm procedunt de confessione facta post sententiam: si enim facta esset ante, eáque non obstante sententia absolutoria lata fuisset, & sic confessio reprobata, valeret sententia & exceptionem rei judicatæ operaretur, uti cum Innoc. tradit Panorm. *in C. Mulieri 34. de Jurejur. n.* 10. Foller. *l. c. n.* 44. Farinac. *cit. q. 4. n.* 43. *v. v. Sed huic objectioni.* Præterea procedunt solùm de Confessione judiciali & spontanea, nec tormentis aut metu tormentorum extortâ. Nam definitivè absolutus, etiam novis supervenientibus indicijs, molestari amplius non potest, & idcirco si tortura postea adhiberetur, foret injusta, & confessio per eam extorta reo non præjudicaret. Et licèt confessio extrajudicialis sufficiat ad torturam, ut cum communi tradunt Mascard. *de Probat. conclus. 530. n.* 2. & Farinac. *q. 82. à n. 6.* nihil tamen operatur, quando reus fuit definitivè absolutus, ut præter alios observant Conradus *in Pract. tit. de Confess. crim. n. 11. limit. 3.* & Farinac. *cit. q. 4. n. 44.*

830. Octavò. Quando reus absolutus fuit non per sententiam, sed per transactionem factam cum parte, poterit eâ non obstante à quodam tertio deferri aut accusari: quia transactio & remissio unius non præjudicat tertio. *L. Qui cœtu 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de Vi publ.* ibi: *Qui vacantem mulierem* (id est, viduam vel desponsatam) *rapuit, vel nuptam, ultimo supplicio punitur; & si pater injuriam suam precibus exoratus remiserit, tamen extraneus fine quinquennij præscriptione reum postulare poterit.* Idémque habetur *L. Si maritus 15. §. Si negaverint 5. ff. ad L. Jul. de Adulter.* & *L. 1. C. de Abolition.* Est enim hæc inter Sententiam & Transactionem differentia, quòd illa facit jus quoad omnes, hæc verò

verò solùm quoad transigentem. Unde eâ non obstante non tantùm tertius quispiam agere vel accusare potest, ut dixi; sed etiam Judex ex officio procedere, & habitâ de novo inquisitione, novóque formato processu punire, & quidem pœnâ ordinariâ, saltem in homicidio, lenocinio, similibúsque gravioribus criminibus, juxta communem DD. Videri potest Farinac. *cit. q. 4. à n. 32.*

831. Nonò. Juxta Sperelli *decis. 92. n. 10.* ac alios, si Judex unus, qui infligere non potuit pœnam ordinariam, v. g. Ecclesiasticus pœnam sanguinis, absolvit reum, judicari hic & puniri poterit ab altero. Verùm hic casus non bene confunditur cum illo, quem posui suprà *n. 806.* quando videlicet reus punitus fuit à Judice Ecclesiastico, qui infligere non potest pœnam sanguinis, quam crimen merebatur: posse tunc nihilominus procedere Judicem laicum, fatendum est. At quando absolutus ab eodem Judice Ecclesiastico est reus sententiâ definitivâ & pronuntiatum super ejus innocentia, non est ratio, cur hujusmodi sententia non pariat exceptionem rei judicatæ coram Judice profano. Tum quòd Jura *n. 819.* & *820.* producta sine limitatione loquuntur & absolutè pronuntiant, repeti reum ab altero Judice non posse, nisi de prævaricatione prioris judicij constet. Tum quòd ad sententiam absolutionis impertinenter se habet, à Judice absolvente non potuisse infligi pœnam sanguinis. Nam in laicum crimen mixti fori patrantem jurisdictionem habet, eámque absolutam, si Judicem laicum prævenit. Potest igitur de crimine cognoscere, & si compererit, id patratum ab hoc reo non fuisse, eum innocentem pronuntiare. Vnde non est ratio, cur postea laicus se immiscеat, nisi ab Ecclesiastico Judice malè judicatum fuisse noverit. Neque obest, quòd Ecclesiasticus non

possit

possit infligere pœnam sanguinis: hinc enim solùm sequitur, quòd laicus procedere possit, quando reus est convictus aut confessus puniendus est; eò quòd Ecclesiastici Judicis potestas solùm quoad illam punitionem deficit, ac propterea à laica potestate supplenda est, non verò quoad absolutionem.

832. Secluſis casibus modò enarratis procedit assertio facta *n. 819.* non solùm tunc, quando Judex, qui absolvit, processit per viam accusationis, sed etiam si ex officio & per inquisitionem, uti tradunt Bartol. *L. Si cui §. Iisdem ff. de Accusation.* Anan. *consil. 17. col. 3.* Dec. *consil. 137.* Alexand. *lib. 1. consil. 11. n. 7.* Gomez *tom. 3. var. resolut. c. 1. c. 26. & 28.* Covarr. *lib. 2. var. resolut. c. 10. n. 5.* Jul. Clar. *lib. 5. Sent. §. fin. q. 53. v. Procedunt etiam*, Beroius *in C. De his 6. de Accusat. n. 20.* ubi testatur de communi. Et quamvis Panorm. Felin. ac alij *in cit. c. 6.* asserant, hoc non procedere de Judice Ecclesiastico, eò quòd iste, si procedit per viam inquisitionis extraordinariam solùm pœnam imponat. Hæc tamen limitatio ex duplici capite locum non habet. Primò: quia hodiernis moribus Judex etiam Ecclesiasticus pœnas ordinarias infligit, tametsi ex officio & per inquisitionem procedat, uti dixi suprà *n. 804.* Secundò: quia ad absolvendi potestatem impertinenter se habet, quòd procedere ad pœnas ordinarias aut non possit aut non soleat, ut modò dixi *n. 831.* Verum pariter est, quòd absolutio facta in uno foro pariat exceptionem rei judicatæ in alio, tametsi diversa illa fora non sint sub eodem Principe, sed sub diversis, & in distinctis territorijs, ut cum Bossio, ac alijs rectè tradit & ostendit Farinac. *lib. 1. Prax. crimin. tit. 1. q. 7. n. 26. v. Sed tertia,* & Scaccia *de Judic. c. 12. n. 84.* Illud omnino æquum est, & ubique observandum videtur, quod teste Farin. *l. c. v. Item pariter*, statuit SS. Ponti-

fex Pius IV. ut rei in contumaciam condemnati & banniti non alibi ad suas defensiones admittantur, quàm in loco, ubi condemnatio facta est, vel in Curia generali Provinciæ, in qua delictum fuerit commissum.

833. Dicendum est VII. Absolutio facta ab uno Judice parit exceptionem rei coram alio, non tantùm si facta est per viam justitiæ, videlicet quia reus probavit suam innocentiam; sed etiam si per compositionem & dispensationem. Ita Glossa *in cit. C. 6. de Accusation.* Hostiens. *ibid. n.* 1. Marian. Socin. *n. 25.* aliique Interpretes teste Decio *consil. 137. n. 1.* Jul. Clarus *cit. §. fin. q. 57. n. 9.* Covarr. *lib. 2. var. resolut. c. 10. n. 2.* ubi ait cit. Glossam communiter receptam esse, Sperelli *decis. 134. n. 69.* ac alij. Dummodo, ut benè addunt, dispensatio facta sit quoad pœnam criminis, & in foro non merè pœnitentiali, sed externo, ac à Judice habente potestatem dispensandi & pœnæ remittendæ. Ratio est: tum quòd dispensatio in locum totalis pœnæ subrogatur, uti colligitur ex *L. Quid ergo 13. §. 7. in fin. ff. de his, qui notant. infam.* & tradunt Baldus *in L. Cunctos populos C. de Sum. Trinit. n. 44.* & Aretin. *consil. 163. n. 1. v. Est ista remissio:* tum quòd crimina semel dimissa ampliùs in ultionem redire Divina Clementia non patitur, ut ait cit. Glossa.

834. Ubi tamen advertendum est, quòd privata læsi remissio dictum effectum non habeat. Hinc si injuria à Clerico offenso remittatur, non propterea remissa est injuria Ecclesiæ facta. *Can. Si is, qui 23. q. 4. Can. Salonitanæ dist. 24.* Cardin. *in Clement. 1. de Pœnis* aliique Interpp. *in C. ult. de Maledic.* Alexand. de Nevo *in C. Nullus de Foro comp. n. 4.* Anchar. *in C. Contingit de Sent. Excomm. n. 7. & 8.* Ex injuria enim Clerico facta duplex nasci-

nascitur injuriarum actio; una eidem injuriam passo, altera Ecclesiæ, utpote cui per Clerici personam fit injuria. Panorm. *in C. Postulásti de Judic. & in C. Parochianos, C. Cùm desideres, C. Contingit de Sent. Excommun.* Anan. *in C. Postulásti 14. de Judæis n. 3. & 4.* Bartol. *in L. 1. §. Item ait ff. de Injur.* Carol. de Grassis *de Effect. Clericat. effect. 1. n. 581.* Sperelli *cit. decis. 134. n. 54.* Ex quo fit, quòd, licèt Clerico offenso satisfactum fuerit, adhuc debeatur Ecclesiæ satisfactio. *C. Cùm desideres §. fin. de Sent. Excom.* & ibi Interpp. Hostiens. *in C. 2. §. Sanè de Foro comp.* Carol. de Grassis *l. c. n. 583.* Quâ doctrinâ non semel usum se fuisse ait Sperelli *l. c. n. 56.* ad obstruenda eorum ora, qui prætendebant, super hujusmodi criminibus, factâ per Clericum remissione querelæ, non esse ampliùs procedendum. Neque solùm de injuria Clerico factâ procedit assertio, sed etiam de Criminibus alijs: cùm universim verum sit, quòd non obstante transactione partis, ac cusatio à tertio, vel inquisitio à Judice fieri possit, quò Reipublicæ per crimen læsæ & scandalis occurratur, ut patet ex dictis *n. 830.*

835. Sed neque remissio publicâ auctoritate seu à Judice facta reo prodest apud alterum Judicem, si à Judice v. g. Ecclesiastico aut domicilij jam fuit condemnatus in contumaciam, ac postea à laico Judice vel à Judice loci delicti impetrat gratiam & remissionem: potest enim nihilominus ille prior procedere, ut observat Jul. Clar. *cit. c. 57. n. 9.* & constat ex suprà dictis *n. 786. & 813.*

836. Hæc sunt, quæ cùm in hac controversia, tum in cunctis præcedentibus, partim ut certa, partim ut verosimiliora, proponenda & decernenda esse amore Veritatis & Justitiæ existima-

vi;

vi: perpensis, quo potui studio, intérque se collatis tam Juribus quàm assertionibus Doctorum, qui etsi sæpe inter se dissidere videantur, ac propterea pro pugnantibus sententijs passim adducantur, de diversis tamen ferè casibus, quos à multis malè confusos secernere studui, loquuntur, réque ipsâ diversa non sentiunt. Neque vel de Clericorum (de quibus pro ratione, cùm mei muneris, tum materiæ ac temporis, frequens sermo habendus erat) vel de Laicorum juribus addendo aut demeno quidquam statui, nisi quod Leges, tam Ecclesiasticæ quàm Civiles, minimè dubiæ, firmæque rationes (ut mihi quidem cum gravioribus quibusque, quos consului, Doctoribus visum fuit) suggerebant. In quo si forsan à Veritatis scopo, quem unum mihi propositum habebam, aberravi, non tantùm ab Ecclesia, cujus tanquam Veritatis Magistræ judicio cùm ista tum reliqua mea omnia venerebundus subjicio; sed etiam à privatis quibusvis meliùs sentientibus in æqui & recti tramitem lubens me patiar reduci.

*Omnia ad majorem Dei Gloriam.*

Index Rerum

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM.

Nota lector, numerum inferiùs semper appositum non indicare seriem paginarum, sed contextûs.


## Absolutio.

*Absolutio peregrinis data valet. n. 72.*

*Absolvi à peccato delinquens non potest ibi, ubi deliquit, nisi à Regularibus privilegiatis &c. 141.*

*Absolutus ab uno Judice, non potest de eodem crimine judicari & condemnari ab altero. 819. &c. V.* Judicium.

*Absolutus ab uno Judice an possit reassumi & puniri ab altero? V.* Judicium.

## Academia. Academicus.

*Ad Academiæ locum citari possunt ob ibi contracta debita absentes Studiosi. n. 187.*

*Academia, Academicus Senatus. V.* Studia.

*Juxta non paucos, examinatus in una Academia non potest in alia gradum literarium suscipere. 576.*

*Academiæ remittendi sunt studiosi non obstante præventione. 801.*

## Acatholici.

*Acatholicis non competit Jurisdictio sacra. n. 627.*

## Accusatio.

*Accusatio & inquisitio etiam specialis sola non sufficit ad præventionem, etsi actis inserta fuerit. n. 783.*

## Acta.

*Acta Judicis incompetentis valent, si sententia super competentia transiit in rem judicatam. n. 22. nisi delegatio facta sit ab eo, qui delegandi potestatem non habuit, aut rescriptum delegationis sit suppositititium. 23. aut pronuncians super sua jurisdictione sciverit se nullam habere. 24.*

## Actio.

*Quibus Actionibus agendum sit in loco Rei sitæ? V.* Res sita.

*Actio realis solùm in loco rei sitæ intentanda est, non verò in loco Domicilij. n. 216.*

## Actor.

*Actoris reum trahentis ad forum incompetens Pœna n. 11. 12. 13.*

*Actor sequitur forum Rei. 82.*

*Actor coram quo Judice reconveniri possit? V.* Reconventio.

## Adulter.

*Adulteri à Judice laico puniri possunt. n. 620.*

## Alimenta.

*Solus Judex Laicus judicat super dote & alimentis, si de his principaliter agitur n. 621.*

## Appellatio.

*Datur appellatio à sententia Judicis competentem se pronuntiantis. n. 26.*

*Appellare non possunt Laici ad Judicem secularem, si coram Ecclesiastico, cui, in causa etiam profana, prorogârunt jurisdictionem, victi sunt. 454.*

*In causa Appellationis non habet locum Prorogatio. 455.*

*Causa appellationis delegari potest de Jure Canonico, non item de civili. 496.*

*Ad primum delegantem Appellandum est, non ad subdelegantem, si causa est subdelegata. 534.*

*Si Judex ter interpellatus negligit administrare justitiam, locus est Appellationi; secùs, simplici tantùm querelæ. 663.*

## Arbitri.

*Arbitri assumi possunt à Domino feudi & vasallo litigantibus tam ad eligendos Pares Curiæ, quàm ad decidendam causam n. 703.*

*Vasalli quoque inter se litigantes compromittere in Arbitros possunt, si non sit periculum præjudicij Domino inferendi. 704.*

## Austregarum Judices. V. Imperium.

*Austregarum privilegium etiam quoad Concilium Imp. aulicum locum habet. n. 753.*

## Banniti.

*Banniti & Proscripti, qui Privilegium fori habuerunt, conveniuntur in Camera Imperiali. n. 712.*

## Bavaria.

*Juxta Bavaria statuta contrahens solùm convenitur in loco domicilij. n. 173. exceptis quibusdam casibus. 174.*

*De Jure Bavarico receptum est, ut actio realis solùm in loco rei sitæ restituatur, sive de allodialibus, sive de feudalibus agatur. 220. Idem statuitur de actione hypothecaria in Ordinationibus Processus Exicialis. ib.*

Juxta

*Juxta Bavariæ Concordata Beneficiatus in Possessionem beneficij inducitur cum assensu Principis secularis &c. 228*

*In Bavaria subditi non reconveniuntur, nisi in causis connexis. 604. quæ causæ sint connexæ? 605.*

Beneficium.

*Beneficium an & quale faciat, ut Clericus gaudeat privilegy fori? &c. V.* Clericus.

Bibliopola, Bibliopegus Academicus. V. Studiosi.

Bidellus Academicus. V. Studiosi.

Camera Imperialis. V. Imperium.

*IN Camera Imperiali Viduis & pupillis non decernuntur processus, nisi in casu denegatæ justitiæ. n. 391.*

*Cameræ Imperialis jurisdictio fundata est vel ratione personæ vel ratione causæ. 705. conveniuntur in illa personæ Camerales. 706. Commissarys Cameræ injuriam passis datur ibidem actio. 707. nec non ejus Procuratoribus, Advocatis & Executoribus ratione salariorum & sumptuum. 708. Convenitur in Camera reus, qui domicilium habet sub jurisdictione litigiosa inter dominos immediatè subjectos imperio. 709. in ea conveniunt status Imperij suos subditos. 710. ibi conveniuntur Banniti & Proscripti, qui privilegium fori habuerunt. 711. & qui ejus jurisdictioni se sponte subiiciunt. 712. ac Status Imperij frustra contra grassantes milites implorati. Item Circuli Imperij membra alterius Circuli ad se trahentes. 713. denique omnes Imperio immediatè subjecti, nisi exemptione gaudeant vel de Jure Imperij, vel consuetudine, vel speciali privilegio. 714. ad Cameram Imperialem pertinet causa violatæ pacis religiosæ. 715. & publicæ profanæ. 716. Causæ quoque fiscales. 717. possessionis litigiosæ. 718. Pignorationum. 719. Arrestorum. 720. Mandata de non offendendo. 720. si agatur ex L. diffamari. 722. Causa denegatæ vel protractæ justitiæ. 723. Causa violati privilegij Cæsarei. 724. Causæ continentes. 725. Causæ citationum ac mandatorum pro relaxando juramento ad effectum agendi. 726. Commissiones pro recipiendis testibus ad perpetuam rei memoriam. 727. Causæ ex edicto novi operis nuntiationis. 728. Causæ pupillorum, viduarum ac miserabilium personarum. 729. Causæ Compromissorum, si à laudo petitur reductio. 730. Causa Rei immediatè Imperio subjecti, negligentis nominare Judices Austregarum, aut judicio se non sistentis. 731. Mandata sine clausula. 732. actiones reales super bonis & feudis immediatè subjectis imperio. 733. Confirmatio contractuum ab immediatis Imperij subditis initorum. 734. adoptio, arrogatio, & emancipatio. 735. Causæ appellationum

*à Judicibus Cameræ immediatè subjectis, Paribus Curiæ judice reductionis &c. 736. Jurisdictio Cameræ fundata est quandoque ratione solius causæ, quandoque ratione causæ simul & Rei, quandoque ratione Rei & Actoris. 737.*

*Cum Camera concurrentem jurisdictionem habet Imperator. 538. Causæ sacræ ad Cameram non pertinent. 739. unde neq; matrimoniales 740. neque Criminales. 741 aut quæ sunt de Feudis Imperij Regalibus. 742. vel Fiscales majores. 743. nec causæ moderationum. 744. & quæ sunt voluntariæ jurisdictionis. 745. circa illa nihil potest Camera, quæ sunt reservata Imperatori. 746. In causis Cameræ cum Concilio Imperiali aulico communibus locus est præventioni, nec præventum unumamplius se immiscere valet. 751.*

## Causa.

*In quibus Causis Prorogatio Jurisdictionis fieri possit ? V.* Prorogatio.

*Causa facti de re spirituali? V.* Secularia.

*Causæ mixti fori. V.* Mixtum Forum.

*Causæ feudales. V.* Feudum.

*Causæ pertinentes ad Cameram & Concil. Imp. VV.* Camera. Concilium.

*Causas avocandi modus multiplex n. 459.*

*Causæ continentes in eodem Foro disceptandæ sunt. 561. continentia causarum provenit vel à personis, vel à rebus, vel ab actione. 562. Leges & rationes de non dividendis causis connexis 563. causæ connexæ decidendæ sunt à Judice Superiore, qui respectu utriusque partis & causæ est competens. 564. nisi Judex inferior in aliqua causa sit competens respectu utriusque litigantis. 565. etsi valeat processus, si causæ continentes dividantur. 556. non tamen licitè dividuntur. 567.*

*Continentia causarum datur, si ab uno res in diversis territoriis sitæ petantur. 568. aut si ab uno diversi Fori Rei conveniantur. 569. aut plures sibi vendicent rem communem, plurésque cohæredes judicio herisundæ contra unum agant. 570. Agendum est proprietate, & ubi actum est de possessione. 571. ibi civiliter, ubi criminaliter, 572. de causis emergentibus & incidentibus, ubi de principali. 573. causa tamen spiritualis, incidens coram Judice laico, remittenda est ad Ecclesiasticum. 574. Creditor non potest unam partem debiti petere coram uno Judice, & aliam coram alio. 575. & juxta non paucos, qui examinatus fuit in una Academia, non potest gradum literarium suscipere in alia. 576. Causæ connexæ valide dividuntur, si contra divisionem non excipitur. 577. faciendæ est divisio, si Judex, qui aditur, non est competens in utraque causa. 578. aut unus ex litigantibus est laicus, alter Clericus. 579.*

579. aut reus in primo judicio fuit contumax 580. aut si agitur solùm de executione. 581. aut si juramentum contractui fuit additum. 582.

*Si Clericus & Laicus simul delinquant, vel hæredes sint, aut executores testamenti, tutores, curatores, fratres habentes causam individuam, quis Judex? V.* Clericus.

*Causa Conventionis & Reconventionis V.* Reconventio.

*Quæ causæ sint connexæ? 605.*

*Causa Ecclesiastica quotuplex, quis ejus Judex, Causæ sacræ, matrimoniales, hæresis, Simonia &c. V.* Ecclesia.

*Causæ fori secularis. V.* Secularia.

Causa Pia.

*Minùs quàm aliæ Causæ piæ, exempti sunt Clerici. n. 282.*

Censura.

*Censuram, quæ causæ cognitionem & citationem non requirit, ferre potest Superior extra suum territorium. n. 40.*

Circuli Imperij.

*Circuli Imperij membra alterius Circuli ad se trahentes conveniuntur in Camera Imperiali. n. 713.*

Citatio. Citatus.

*Citatus comparere tenetur, tametsi dubium sit de competentia Fori 14.* & seqq. V. Exemptus.

*Citatio realis fieri non potest in territorio alieno. 54. nec Verbalis. 55.*

*Citatio quid faciat, ut procedi possit contra contrahentem in loco Contractus? V.* Contractus.

*Per Citationem solam inducitur prævention. 779. prævenit, qui citat prior, etiam solùm verbaliter. 780.*

*Civitates Imperiales. V.* Imperium.

Clandestinum Matrimonium. V. Matrimonium.

Clericus.

*Clerici in loco Contractûs convenire possunt ratione contractûs, sed solùm coram Judice Ecclesiastico. n. 168.*

*Clericorum personas exemptas esse à seculari Jurisdictione, est doctrina Catholica. 225. argumenta adversariorum ex S. Scriptura & SS. Canonibus diluuntur. 223. 224. respondetur ad Leges oppositas Justiniani Imper. 226. aliquæ inde sequelæ. 227. doctrina affirmantium, Privilegium Fori Clericale esse Juris Divini, proponitur. 228. explicatur, approbatur. 229. 230. exemptio hæc à seculari jurisdictione tolli non potest consuetudine, nec præscriptione, nec statutis. 231.* & seqq.

*Privilegio Fori gaudent omnes Clerici servantes requisita à Concilio Tridentino. 234. gaudent omnes Clerici sacro Ordine insigniti.*

& Clerici in minoribus, si habent beneficium, etsi non gestent habitum & tonsuram Clericalem. 236. beneficium si non habent, non gaudent, nisi habitum & tonsuram deferendo inserviant alicui Ecclesiæ, vel in aliqua schola dent literis operam. 237. gaudent Clerici Conjugati in criminalibus, si cum unica & Virgine contraxerunt matrimonium. 238. Clerici, qui prædictas qualitates non habent, etiam tĩmunitate à tributis & privilegio Canonis non gaudent. 239. quid nomine beneficij hic intelligatur. 240. Clericus in Minoribus & Beneficium non habens, gestare simul habitum & tonsuram Clericalem debet, ut privilegio fori gaudeat, & quidem continuè ac semper. 241. 242. sufficit tamen, si alicui Ecclesiæ inserviat, aut operam studijs navet permittente Episcopo? 234. servitium, quod præstat Ecclesiæ, debet esset continuum. 244. prædictas qualitates non non habens, tamen judicari potest à Judice Ecclesiastico. 245. Clerici conjugati etiam in civilibus causis incarcerari aut alijs pœnis corporeis affici à Judice laico nequeunt. 246. Clericus in minoribus perditum ob neglectas illas qualitates privilegium recuperat, si denuo illas observet. 347. Clericus privilegio Fori gaudet etiam quoad delicta ante Clericatum patrata. 248. etsi hunc assumpserit ad declinandam jurisdictionem secularem. 249. nec puniri post Clericatum relictum potest ob delicta illo durante patrata. 250. dubium de Clericatu decidere solus Judex Ecclesiasticus potest, sive facti sit, sive Juris. 251.

Clericorum & Ecclesiarum ministri Laici non gaudent privilegio fori. 258. nisi sint de familia Episcopi. 259. Clericorum Parentes, uxores, liberi eo non gaudent. 260.

Declaratur, ad quas Leges civiles servandas non obligentur Clerici. 261. obligantur vi directiva servare illas, quæ sine expressione personarum de re temporali omnibus communi & ad mutuam societatem pertinente disponunt. 262. tenentur solemnitates contractuum, taxam mercium, modum ponderum ac mensurarum &c. 263. peccant æquè, ac alij, si dictas Leges non observant. 364. compelli tamen vel puniri à Magistratu seculari nequeunt. 265. variæ inde sequelæ. 266. tenentur non vi ipsarum Legum civilium, sed ex æquitate naturali & voluntate Ecclesiæ. 267.

Statutum seculare in specie disponens de Ecclesiasticis rebus vel personis, præcipiendo aut vetando, invalidum est. 268. hinc invalida sunt non pauca authenticæ Justiniani. 269. & aliorum principum, nisi authoritate Ecclesiæ robur acceperint. 270. Statutum seculare, quo onus imponitur, aut juri quæsito derogatur, non afficit Clericos etsi de his mentionem non faciat. 271. tale est, quo imponuntur collectæ aliæque præstationes. 272. item illud

illud, quo ingredientes Monasterium, aut Clericatum assumentes, aut Moniales in casum extantis masculi, successione excluduntur. 273. vel bonorum immobilium alienatio in Ecclesiasticos prohibetur: vel quo præcipitur, ut bona Ecclesiæ relicta intra certum tempus vendantur. 274. vel pœna aliqua aut inhabilitas statuitur. 275. vel gabella detractionis, à transferentibus domicilium aut religionem ingredientibus solvenda, imponitur. 276. & quo cavetur, ut res etiam immobiles triennio præscribantur. 277. nec non illud, vi cujus immissio in possessionem beneficij Ecclesiastici cum facultate Laicorum facienda est. Exceptio hic ex Concordatis Bavariæ affertur. 278. pariter non valet Statutum laicorum quoad Clericos, quo ad ultimas voluntates aliquid requiritur ultra solemnitates Juris communis. 279. eadem est ratio de Statutis & pactis privatis familiarum. 280. territorialis Jurisdictio laicorum non ligat Clericos 281. minùs tamen exempti sunt quàm Ecclesiæ & aliæ causæ pias. 282.

Clerici an ligentur consuetudinibus? *V.* Consuetudo.

Qua notanda sint respectu Clerici Vasalli in causa Feuali? *V.* Feudum.

Spectato jure, Clerici neque actione Reali coram Judice laico conveniri possunt. 301. consuetudine multorum locorum contrarium practicatur. 303. quando hæ consuetudines sint validæ? 304. quomodo ab aliquibus defendantur? 305. conveniri coram Judice Laico possunt actione reali, si bona concessa sunt ea conditione, ut salva maneret sua jurisdictio. 306.

Clericus potest trahi ad Judicem secularem, si convenitur nomine laici hoc modo, ut sit successor universalis Laici defuncti, & conveniatur à creditoribus defuncti; cum quo jam cœpta fuit lis coram laico Judice. 307. 308. Clericus venditor emptorem laicum coram Judice laico defendere tenetur. 309. maximè ideo, quia non in Clericum sed in emptorem laicum fertur sententia. 310. si colonus Clerici vel inquilinus laicus conveniatur rei vindicatione, & Clericum dominum nominet, conveniri hic solùm potest coram Judice Ecclesiastico. 311. In Clericum actualiter degradatum, & à Prælato Ecclesiastico traditum Judici seculari, hic potest exercere jurisdictionem 313. item in assassinum, etsi non degradatum. 314. potest capere Clericum & punire, qui dimisso habitu & tonsura crimina patrat, ob quæ privilegium Clericale amittitur. 315. nec non Clericum rebellem vel proditorem capere, & occidere, si aliter Justitia obtineri & periculum averti non potest. nunquam tamè jus dicere sibi possunt laici adversus Clericos, si justitiam obtinere à potestate Ecclesiastica possunt. 316.

316. Clericus in minoribus, qui obtentis à Capitulo Cathedrali dimissoryis intra annum ordines non suscepit, judicari, præcipuè in Criminalibus, potest à Judice seculari. 317. Clericus, qui coram Judice seculari sequestrum vel depositum accepit, cogi ab eo ad restitutionem non potest. 318. nec puniri ab eo ob falsum testimonium coram ipso depositum. 319. absque licentia prælati Ecclesiastici capi à Judice laico Clericus potest, qui vult malum sibi aliisve inferre, aut aliud delictum committere, quod absque capturæ impediri nequit. 320. idque verum est, non solùm quando certum est delictum esse committendum, sed etiam quando solùm præsumitur & meritò timetur. 321. Capi Clericus à Judice seculari potest, ut ad suum Prælatum statim deducatur, quoties deprehenditur in flagranti delicto & de fuga est suspectus. 322. Clericus debitor de fuga suspectus detineri à Judice laico potest, si periculum sit in mora, ac bona habeat ultra congruam sustentationem ac cum his aufugere potest. 332. Ut Clericus licite capiatur à Judice laico, vel puniatur, non sufficit licentia prælati Ecclesiastici solùm interpretativa, nec licentia Prælati SS. Pontifice inferioris, nisi periculum sit in mora. 324. an SS. Pontifex alicui subjectus? V. Pontifex. Ecclesiasticæ personæ omnes subjecti sunt SS. Pontifici, mediatè vel immediatè. 338.

Clerici jure Ordinario subjecti sunt Episcopo, in cujus diœcesi sunt. 330. quibus subjecti sint Episcopi, & Regulares? V. Episcopus. Religiosi. An Clericus coram seculari Judican Reconveniri possit? V. Reconventio.

Clerici an possint prorogare Jurisdictionem? V. Prorogatio. Solus Judex Ecclesiasticus cognoscit, si Clericus & laicus simul delinquunt. 583. in ædes Clerici irruere non potest Judex laicus, ejúsque complicem extrahere, nec ab eodem exigere impensas in captura complicis factas. 586. Complex Clerici in delicto notorio judicari à Magistratu seculari juxta multos potest. 587. si inter plures hæredes unus est Clericus, omnes conveniuntur coram Judice Ecclesiastico; uti & si ipsi hæredes inter se super divisione litigant, aut si Clericus & Laicus sunt simul executores testamenti. 588. nec non, si agitur judicio communi vel contra plures tutores & curatores, inter quos est Clericus. 589. in causa individua frater Laicus gaudet immunitate fratris Clerici. 590. inter litis consortes, si unus gaudet privilegio fori, eo gaudent & reliqui. 541. Major habetur rem communem cum minore restituitur in integrum 592. nec præscriptio locum habet in rebus laico cum Ecclesia communibus, nisi eo tempore, quo præscribitur contra Ecclesiam. 593.

In

*In Persona Clerici vel bonis ejus etiam patrimonialibus Judex laicus sententiam suam exequi non potest. 610. 611. 612*

*Quid circa & contra Clericos committi possit Laico? V.* Ecclesia.

*Clerici possunt esse Delegati principis secularis. n. 6. 7.*

*Clericus feudi dominus juxta multos DD. in causa feudali litigat coram Paribus laicis. 693.*

Comites. V. Imperium.

Communia.

*Commune Forum. V.* Forum.

*Commune Domicilium. V.* Domicilium.

Competens. Competentia. V. Forum. Judex.

Concilium.

*Quid Concilium Tridentinum requirat ad gaudendum privilegio Fori Clericali? V.* Clericus.

*Concilio generali non est subjectus SS. Pontifex, quibusdam casibus exceptis. n. 327.*

Concilium Imperiale Aulicum.

*Ad hoc etiam pertinent causæ pertinentes ad Cameram Imperialem, & quæ ad hanc non pertinent. n. 747. 748. V.* Camera.

*Conveniuntur coram Conc. Imp. Aul. immediati subditi Imperij in prima instantia, in secunda omnes mediati. 749. exceptis personis Cameralibus. 750. Causæ Ecclesiasticæ ibi non deciduntur. 751.*

*In causis, quæ summis his Tribunalibus communes sunt, locus est præventioni, nec unum præventum amplius se immiscere valet. 752.*

*Austregarum aliáque statuum Imperij privilegia, etiam quoad Concilium Aulicum locum habent 753.*

Conjugati.

*Conjugati Clerici an gaudeant privilegio Fori? V.* Clericus. *n. 238. 246.*

Consensus.

*Consensus litigantium vel expressus vel tacitus ad prorogandum Jurisdictionem necessarius est. n. 418. tacitus inducitur per hoc, quòd Reus ante litis Contestationem non opponit exceptionem Fori declinatoriam. 419. per solum partium consensum non fit immediate prorogatio, sed per hoc quòd Reus incompetentem adeunt, séque ejus Jurisdictioni submittunt. 420. non sola litis Contestatione sed actibus quoque eam antecedentibus fit prorogatio. 421. ad prorogationem à loco ad locum requiritur consensus expressus, si fit Judici delegato; secus, si Ordinario. 442. neque Ordinario neque Delegato Judici prorogari Jurisdictio potest ad alienum territorium sine consensu Judicis territorialis. 423. non fit prorogatio per litis contestationem aliumve actum, quem litigans exer-

cet coram Judice alieno, putans esse suum. 424. nisi erret errore Juris, sitque peritus & doctus. 425. aut etiam indoctus ex errore Juris adeat Judicem ordinarium, à cujus jurisdictione speciali privilegio exemptus est. 426. Prorogatio gravi metu extorta, invalida est. 427. uti & si pars protestetur, se non consentire in hunc Judicem, etsi coram ipso ponat actum, quo tacitè inducitur prorogatio. 426. tacitè non prorogat jurisdictionem absens & contumax, qui nec per se nec per procuratorem comparet in judicio. 429. ad prorogandum Jurisdictionem non sufficit sola taciturnitas. 430. ad prorogandam Judici alieno non requiritur consensus proprij. 431. nisi privilegium Fori integro Ordini, vel statui hominum concessum sit, aut proprius Judex privilegium habeat, ut sui subditi coram alio Magistratu conveniri nequeant. 432. Ad prorogationem à tempore ad tempus opus est consensu Judicis, cui prorogatur Jurisdictio. 435. sufficit tamen tacitus. 436. hoc semel præstito partes recedere nequeunt à sententia. 437.

## Consuetudo.

Consuetudine an obligetur Peregrinus, & vagus? VV. Peregrinus. Vagus.

Consuetudinibus loci tenetur, qui habet quasi domicilium. n. 112. 113. excipitur Princeps. 114.

De Consuetudine nemo conveniatur in loco originis, nisi concurrat domicilium habitationis. 121.

Consuetudo quænam sit quoad Reum remittendum? V. Remissio.

Vi Consuetudinis proceditur per viam Inquisitionis adversus facinorosos eo loco, ubi reperiuntur: cui consuetudini favent Leges, modò in eo loco crimen sit notorium, aut facilè probari possit. 149. 150.

Consuetudine Laicorum illa, quæ versatur circa alias res, quàm circa personas & res Ecclesiasticas, non ligantur Clerici. 284. nisi illa illæsam servent immunitatem Ecclesiasticam, & non observata scandalum parerent, aut damnum communitati. 285. aut sint communia Clericis & Laicis. 286. Consuetudine Laicorum Clericis favorabili uti isti possunt contra illos. 287.

De Consuetudine convenientis Clericum actione reali coram Judice laico. V. Clericus.

## Contentiosa.

Contentiosum Forum. V. Forum.

## Contestatio Litis.

Post contestationem litis quandoque opponitur Judici non competenti exceptio fori declinatoria. n. 78.

Per contestationem litis an prorogetur Jurisdictio? V. Contestus.

Continentia Causarum. V. Causa.

## Contractus.

*In loco contractus quivis convenitur ratione Contractûs, etiam Clericus; sed hic solùm coram Judice Ecclesiastico n. 168. etiam privilegiatus alius, non habens privilegium in Corpore Juris clausum. 169. idem procedit de quasi contractu & quavis conventione 170. & de distractu seu negotio dissoluto. 171. Licèt domicilium mutârit, qui in loco domicilij contraxit. 172. juxta Statuta Bavariæ contrahens solùm convenitur in loco domicilij. 173. exceptis quibusdam casibus. 174. quandoque etiam de Jure communi conveniri nequit in loco Contractûs. 175.*

*In loco contractûs quivis conqueri potest, sibi non esse numeratam pecuniam. Et agere ad rescissionem contractûs ex L. 2. C. de Rescind. Vend. Nec non de nullitate Contractûs. Et Redhibitoria vel Æstimatoria actione ex ædilitio Edicto. Imò & ad Restitutionem in integrum. 177. Episcopus loci contractûs relaxare juramentum potest, ut impugnari Contractus valeat: non tamen rescindere contractum. 179.*

*Nemo in loco Contractûs conveniri potest, nisi ibi reperiatur. 180. nisi sit simul locus domicilij. 181. aut ibi se responsurum promiserit debitor, & foro domicilij renuntiârit. 182. aut, ut quidam volunt, ibi bona sita non habeat. 183. aut agatur de ratiociniis publicis vel etiam privatis. 184. conveniri in loco Contractûs debitor non potest, etsi alibi contumaciter latitet: poterit tamen immissio in ejus bona fieri. 185. hæres etiam absens prosequi tenetur litem à defuncto in loco contractûs cœptam. 186. Studiosi absentes ad locum Academiæ citari possunt ob debita ibi contracta. 187. Contrahens non in loco Contractûs, sed in eo, in quem solutionem condixit, conveniendus est. 188. modò pactum de solutione alibi faciendâ contractui immediatè fuerit adjectum. 189. procedit etiam de Clericis. 190. quando debitor promisit respondere, ubicunque fuerit inventus, regulariter ubique conveniri potest. 191. promittens solvere, ubi creditor voluerit, conveniri solùm potest in loco domicilij vel contractûs, nisi aliunde desumatur, quòd voluerit se obligare ad uodcunque forum. 192. promittens solvere in certo loco, vel ubicunque creditori placuerit, conveniri solùm potest in loco nominato, & locis non multùm distantibus. 193. qui promisit solvere Monachij & Ingolstadij, conveniri utrobique potest, sed non ad totam summam utroque in loco. 194. ad totam summam conveniri potest utrobique, si promisit solvere Monachij vel Ingolstadij. Estque tunc electio fori penes creditorem, sicuti est inter forum Contractûs & Domicilij. 196. qui non solvit in loco, in quo promisit, conveniri potest in*

*loco contractûs vel domicilij. 196. quoad formam Contractûs, interpretationem & vim obligandi attenditur locus, in quo is initus fuit, non in quem destinata est solutio. 197.*

*Contra contrahentem citatum in loco Contractûs procedi potest, tametsi absens sit. 198. si non comparet intra terminum præfixum, contumax habetur. 199. si ante citationem abijt, compelli non potest ad sistendum se judicio, nisi in loco contractûs domicilium habeat. 200. Immissio ex secundo decreto contra absentem priùs non citatum facienda non est. 201.*

Conventio. V. Contractus.

Corpus Juris.

*Privilegij in Corpore Juris clausi effectus. V.* Privilegium.

Creditor.

*Penes Creditorem quando sit electio Fori? V.* Contractus.

*Creditor non potest unam partem debiti petere coram uno Judice & alteram coram alio. n. 575.*

Crimen.

*Crimina mixti Fori. V.* Mixtum Forum.

Cujacius.

*Cujacij & aliorum cavillum refellitur. n. 413. 414.*

Curia.

*Curia est, ubi Pontifex & Imperator aut ejus Ministri & tribunal. n. 129.*

Debitor. Debitum.

*AN Debitor in loco Contractûs conveniri possit, si ibi non reperiatur? V.* Contractus. *quid si solutionem in alium locum condixit? ib.*

*Ob Debita in loco Academiæ contracta ad eum citari possunt Studiosi absentes. n. 187.*

*Debitor etiam absens conveniri potest actione reali in loco rei sitæ. 206.*

*Cum debitore Clerico suspecto de fuga quid agi possit? V.* Clericus.

Delegatio. Delegatus. V. Judex. Acta.

*Discrimen inter Jurisdictionem ordinariam & mandatam. n. 462. modus eas discernendi. 463. in dubio præsumitur Jurisdictio esse Ordinaria. 464.*

*Forum Delegatum est, quando Jurisdictio mandata exercetur. 465. Jurisdictionem mandare potest ordinarius Judex, nisi à Lege vel Principe id ipsi specialiter sit vetitum. 466. non tamen totum suum officium absque consensu Superioris committere alteri. 467. Delegatus Summi Principis subdelegare potest, etsi ad unam tantùm alteramve causam sit delegatus, & non ad universitatem. 468. nisi sit electa personæ industria. 469. ex eo solùm, quod Delegatus jussus sit personaliter exequi negotium, non censetur electa*

electa persona industria. 470. subdelegatus non potest subdelegare. 471. Delegatus ab alio, quàm Principe subdelegare nequit. 472. nisi sit Legatus Proconsulis, aut Legati à latere. 473. aut delegatus ad universitatem causarum. 474. Jurisdictio ratione dignitatis aut officij delegata in genere, potest in certis casibus subdelegari. 475. Delegatus Ordinarij Principe inferioris de Jure non potest subdelegare, etsi à Delegante id ipsi concedatur. 476. &c. contrarium praxi receptum est. 479. potest quivis delegatus actum non jurisdictionalem alteri committere. 480.

Delegari potest Jurisdictio etiam privata. Delegatus tamen vel subdelegatus SS. Pontificis debet esse constitutus in aliqua dignitate, vel Personatu, aut esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis. 481. sufficit dignitas aut Præeminentia ad Superioris nutum auferibilis. 482. Delegari jurisdictio potest etiam extraneo seu non subdito Delegantis. 483. Delegatus supremi Principis cogere subditos Delegantis potest ad acceptandam subdelegationem. 484. Delegatus esse potest, qui nec natura nec Legibus prohibetur 485. minor 25. annis non potest esse Judex Ordinarius 486. potest tamen esse Delegatus 487.

Mandari potest Jurisdictio, quæ jure Magistratus competit. 488. secus, si nominatim ac specialiter à Principe concessa sit. 489. merum Imperium quid sit? 490. merum imperium de Jure civili nequit mandari. 491. nisi ratione absentiæ vel infirmitatis. 492. mandari potest de Jure Canonico. 493. ac universim de consuetudine. 494. Voluntaria jurisdictio sacra delegari potest. non item universim profana. 495. Causa appellationis delegari potest de Jure Canonico, non item de Civili. 496.

Delegantis & Delegati potestas est distincta. 497. cognoscere delegatus potest, num sua sit Jurisdictio. 498. etsi incompetentem se pronuntiet, potest tamen partem, quæ Rescriptum invalidum produxit, condemnare in expensas. 499. potest in dubio Rescriptum interpretari, nisi de re magni momenti agatur. 500. si duo Rescripta contraria exhibeantur, procedere potest juxta prius, si de hoc in posteriore non fit mentio. 501.

Delegatus Principis mandata ordinarijs Judicibus dare potest in iis, quæ ad causæ delegatæ expeditionem pertinent. 502. Jurisdictionem exercere in omnes potest, qui eam turbare volunt. 503. potest admittere transactionem partium, quamvis jussus causam decidere. 504. & pœnas imponere juxta causæ & delicti qualitatem. 505. & mulctâ impositâ compellere partem contumacem. 506.

Delegati Principis possunt cognoscere, decidere, sententiam à se latam exequi. 508. imò & alij De-

legati. 509. habet Delegatus annum integrum ad exequendam sententiam à se latam. 511. potest Delegatus SS. Pontificis armata manu executionem facere, si opus sit. 514.

Non potest, cui delegata est causa possessorij, cognoscere de causa petitorij. 512. causæ cognitione simpliciter commissa potest delegatus etiam sententiam ferre, nisi aliunde constet de contraria mente delegantis. 513.

Fidem mandati facere debet Delegatus, si pars alterutra postulet: secùs non valebit processus. 515. & formam mandati debet servare. 516. ac tempus præscriptum. 517. quod tamen partium consensu prorogari potest. 518. nisi prorogationem vetuerit delegans. 519.

Debet admittere exceptiones rationabiles, & secundùm Juris æquitatem procedere. 520. & gratis judicare, nec acceptare munera. 521. nec extra locum constitutum de causa cognoscere 522. aut assessorem sine necessitate assumere. 523.

Causa delegatur pluribus vel conjunctim vel in solidum. ultimum non præsumitur, nisi in rescripto exprimatur. 524. pluribus simul si commissa est causa, unus sine altero valide procedere non potest. 525. & mortuo uno vel inhabili reddito jurisdictionem amittit & alter. 526. si facta est delegatio cum clausula, ut si unus non possit, procedant reliqui, possunt isti procedere, si alij nolint, etsi possent. 527. si plures sunt delegati, major pars votorum obtinet. 528. causâ pluribus in solidum delegatâ locum habet præventio. 529. si simul cæperint cognoscere causam, unus sine reliquorum consensu eam expedire non potest. 530. Jurisdictio mandata cessat vel omnino vel solùm ad tempus: & vel ex parte Delegantis, vel ex parte Delegati. 531. Cessat revocatione Delegantis. 532. Delegatus non potest subdelegationem revocare, cœptâ jam causâ per subdelegatum. 533. si subdelegata est causa, non ad subdelegantem, sed ad primum delegantem appellandum est. 534. Revocatio publicè ignorata aut non intimata delegato, vel subdelegato, non impedit valorem processûs. 535.

Jurisdictio delegati finitur morte delegantis, re adhuc integra. 536. non item si ante mortem delegantis cœpta jam sit à delegato causa. 537. Cœpta esse dicitur per solam citationem. 538. 539. etsi hæc solùm emanârit à Judice, nec intimata fuerit parti. 540. dummodò valide facta sit. 541.

Per solam subdelegationem non perpetuatur jurisdictio delegati. 542. nec per hoc, quòd Delegatus acceptavit rescriptum delegationis. 543. re adhuc integra per mortem delegantis expirat jurisdictio etiam ad universitatem causarum delegata. 544. Jurisdictio dele-

gata

gata non expirat morte delegantis, quamdiu hæc publicè ignoratur. 545.

Subdelegatâ totâ causâ non expirat jurisdictio subdelegati morte subdelegantis, si vivit delegans; secùs, si pars tantùm delegata fuit. 546. si cœpta jam fuit causa à subdelegato, non expirat ejus jurisdictio per mortẽ subdelegantis, etsi hic eam non cœperit. 547. idem dic, si cœpta fuit causa à delegato ante mortem delegantis, tametsi cœpta non fuerit à subdelegato. 548. morte delegantis, re integra, ipso Jure delegata Jurisdictio extinguitur, ita ut opus non sit exceptione. 549. non extinguitur, si sit accessoria gratia jam facta. 550. nec si facta est nomine Dignitatis. 551.

Finita est Jurisdictio Delegati, quando functus est suo officio. 552. Non item Jurisdictio judicis Ordinarij. 553. ratio discriminis. 554.

Cessat jurisdictio delegati lapso termino per delegantem præscripto. 555. aut si amisit dignitatem, cujus intuitu facta est delegatio. 556. idem dic de jurisdictione subdelegati, si hic negotium ante dignitatem à Delegato amissam non inchoavit. 557. si delegatio facta est intuitu personæ, expirat re integrâ jurisdictio subdelegati, si subdelegans deponitur dignitate, secùs, si renuntiat, aut ad aliam transfertur. 558.

Suspenditur jurisdictio delegati per impedimentum temporale superveniens deleganti. 559. nisi antè impedimentum causam inchoavit delegans. 560.

Delegati Principis secularis possunt esse Clerici. 657.

Delegatus an præveniri possit &c. *V.* Præventio.

## Delictum.

*In loco Delicti delinquens sortitur forum.* n. 136. etiam privilegiatus. 137. etsi habeat privilegium personale. 138. nisi sit Regularis, vel habeat aliud privilegium in Corpore Juris clausum. 139. Mandans puniri potest, ubi delictum mandatum est patratum. 150. in loco delicti non acquiritur forum Pœnitentiale. 141.

Adversùs delinquentem etiam absentem in loco Delicti potest procedi, si ante abitum fuit citatus: non tamen ante litem contestatam recipi testes possunt, nisi in quibusdam casibus. 142. si abyt ante factam citationem, & constat, ubi sit, requirendus est Judex loci, ubi est. 143. secùs publicè edictò citatur. Aliud tamen in praxi observatur. 144.

An ad Delicti locum Reus remittendus sit? *V.* Remissio.

Si delicta plura commissa à Reo in diversis territorijs, quomodo procedendum? 155. utriusque territorij Judex est competens, si delictum in uno loco inchoatum, in altero consummatum fuit respectu tam agentis, quàm patientis. 158. aut etiam

*am solùm agentis aut patientis. 159. imò si in uno solùm mandatum, in altero consummatum fuit. 160. declaratur, quid tenendum sit de cooperantibus? 161. & quid, si delictum est perpetratum in confinio territoriorum? 162. vel in via publica? 163.*

*Delinquens etiam peregrinus, puniendus est pœnâ in loco delicti consuetâ. 165. nisi ibi lata sit solùm sententiâ generali. 166. subditus in loco domicilij puniendus est pœna in loco delicti recepta. 167.*

## Dispensatio.

*Dispensatio peregrinis data non valet. n. 72.*

*Dispensationem in votis & juramentis impetrare potest, qui habet quasi domicilium. 111.*

## Distractus. V. Contractus.

## Domicilium.

*Domicilium dividitur in Commune & Privatum: privatum in naturale & accidentarium. n. 93.*

*Ad Domicilium contrahendum requiritur animus habitandi stabiliter & habitatio. 94. non item translatio majoris partis bonorum. 95. nec habitatio per longum tempus. 96. requiritur animus habitandi stabiliter tamdiu, quamdiu non avocet causa rationabili. 97.*

*Potest quis plura simul habere Domicilia. 98. non habet domicilium, qui profitetur se nolle habere. 99. unde colligatur animus figendi domicilij? 100. Domicilium quandoque haberi potest absque habitatione. 101. amittitur animo mutandi & actuali mutatione. 102.*

*Domicilij Forum est fortius & universalius quovis alio Foro. 103. conveniri ibi potest subditus etiam absens, & propter contractum vel delictum alibi commissum. 104. Domicilium Servi, Liberti, Uxoris, & Hæredis non desumitur à propria ipsorum habitatione. 105. habens plura domicilia utrobique conveniri potest. 106. Domicilij Judex contra subditum alibi delinquentem procedere potest etiam per inquisitionem. 107. qui duo habet domicilia, potest in alterutro, quo maluerit, Sacramenta suscipere & matrimonium contrahere. 108.*

*Quasi domicilium habere qui dicantur? 109. habens quasi domicilium Sacramenta, exceptis ordinibus, suscipere potest. 110. ac dispensationem in votis & juramentis impetrare, habere sepulturam & jungi matrimonio. 111. tenetur Statutis & consuetudinibus loci. 112. tametsi animum habeat per aliquot solùm menses habitandi. 113. excipitur Princeps 114. in loco quasi domicilij nemo conveniri potest propter delicta alibi patrata aut initos alibi contractus. 114.*

*De Domicilio originis. V.* Origo.

*An domicilium mutari possit? ib.*

*Domicilium Commune. V.* Roma.

*Commune*

*Commune domicilium est, ubi est Imperator. 128. in loco domicilij communis solùm convenitur, qui ibi est præsens. 130. nisi causæ sint graviores, aut eas ad se avocet Princeps. 131. in certis casibus datur jus revocandi causam à Foro communi ad particulare. 132. 133.*

*Domicilij Judex procedere potest contra Reum, si Judex delicti, ad quem remissus est, negligens sit in puniendo. 156.*

*In loco Domicilij puniendus est subditus pœnâ in loco delicti receptâ. 167.*

*In loco Domicilij non intentanda est actio realis, sed solùm in loco rei sitæ. 216.*

## Dos.

*Solus Judex laicus judicat super dote & alimentis, si de his principaliter agitur. n. 621.*

## Dubium.

*In dubio de competentia Fori quid agendum? VV.* Forum Judex Jurisdictio.

*In dubio de Clericatu quis Judex Competens? V.* Clericus.

*Dubium, an reus sit Clericus, decidere potest solus Judex Ecclesiasticus. 627. Non tamen ad nudam assertionem Rei, Clericum se esse dicentis, tenetur Judex laicus ipsum remittere ad Ecclesiasticum. 629. Solus Ecclesiasticus cognoscit in dubio, an Clericus gaudeat fori privilegio. 630. & an decimæ sint secularizatæ, vel non? 631. & an aliqua consuetudo inducta contra Clericos, sit rationabilis? 632. item, an res aliqua sit Deo sacrata? 633. an quis sit religiosus? 634. an Clericus sit vasallus? 635 antequam ipse tulerit sententiam criminis declaratoriam, non potest judex laicus contra Clericos procedere etiam in criminibus, ob quæ ipso jure incurritur privatio privilegij Clericalis. 636.*

## Ecclesia. Ecclesiastica.

*Ecclesiasticum Forum. V.* Forum

*Ecclesiasticus Judex. V.* Judex.

*Minùs, quàm Ecclesiæ, exempti sunt Clerici. 282*

*De Ecclesiæ Immunitate. V.* Clericus.

*De Ecclesia habente feudum. V.* Feudum.

*Ecclesiasticæ res, personæ. V.* Clericus.

*Ecclesiasticæ causæ aliæ sunt sacræ, aliæ temporales, aliæ mixtæ. n. 613. causarum sacrarum Judex competens est solus Ecclesiasticus. Sacræ sunt quæstiones de fide, Sacramentis, Votis &c. 614. & matrimoniales. 615. cognoscere tamen Laicus poterit, an quis horum parentum sit filius? 616. cogere potest ad implenda sponsalia 617. & ad standum matrimonij legibus. 618. punire potest eos, qui clandestinè contraxerunt 619. & adulteros. 620. solus judicat super dote & a-*

limentis, si de his principaliter agitur. 621. valide statuit qualitates extrinsecas matrimonio 622. de matrimonijs infidelium solus judicat. 623. infidelibus statuit impedimenta tam dirimentia, quàm impedientia. 624.

Causa Hæresis & Simoniæ privativè pertinet ad forum Ecclesiasticum. 625. & causæ contra Clericos motæ, etiam temporales. 626. Jurisdictio sacra non competit Acatholicis. 627.

Quoad causas sacras etiam solùm incidentes judex laicus non est competens. 637. ampliatur assertio. 638.

An in dubio, an causa sit Ecclesiastica, cognoscat solus Judex sacer? *V.* Dubium.

Discrimen inter varias causas Ecclesiasticas. 639. SS. Pontifex jus aliquod & jurisdictionem spiritualem concedere potest Laicis. 640. sed solùm nomine Ecclesiæ exercendam. 641. non potest ipsis committere omnes causas Clericorum. 642. potest verò particulares. 643. Prælati SS. Pontifice inferiores nequeunt laicis committere causas spirituales. 644. aut criminales Clericorum 645. possunt verò civiles causas Clericorum. 647. at solùm in particularibus & certis causis ac non contradicente parte. 648. nomine Prælati hìc venit etiam Prælatus exemptus. 649. possunt Prælati Clericos gravium criminum reos torquere per ministros laicos. 650. laicus constitui potest administrator rerum temporalium Ecclesiæ. 651. & esse consiliarius ac Assessor Episcopi. nec non in causis Ecclesiasticis Notarius, Procurator, & Arbiter. 652. committi Executio contra Clericos quandoque potest laicis. 653. Causæ sacræ ad Cameram Imperialem non pertinent. 739. neque ad Concilium Imperiale Aulicum. 751.

## Electores. V. Imperium.

## Episcopus. Archiepiscopus.

*Episcopus loci contractûs juramentum relaxare potest, ut contractus impugnari valeat: nec tamen rescindere contractum. n. 179.*

*Episcopi familia, seu ejus obsequio & ministerio addicti, gaudent privilegio fori de consuetudine. 259.*

*Episcopi subjecti sunt Archiepiscopis: non tamen quoad Confirmationem, causas criminales graviores, aliásque arduas. 329.*

*Episcopo jure ordinario subjecti sunt Clerici, qui in ejus diœcesi sunt. 330. an etiam Regulares? V.* Religiosi.

*Episcopo alieno an prorogari Jurisdictio possit? V.* Prorogatio.

## Equites.

*Equites Teutonici, & Melitenses gaudent privilegio fori n. 257.*

## Eremitæ.

*Eremitæ quando gaudeant privilegio Fori? V.* Religiosi.

## Exceptio.

*Exceptio fori declinatoria seu præscriptio fori opponitur Judici non competenti. n. 77. quandoque etiam post litis contestationem. 78. ordinariè facienda est ante omnes alias exceptiones. 79. fieri potest in absentia Judicis, quando citatus non tenetur comparere. 80. An opponi possit, quando reus promisit se compariturum coram quocunque Judice? 81.*

## Executio.

*Executio sententiæ judicialis fieri nequit in territorio alieno. n. 58.*

*An & quomodo Delegatus possit Exequi suam sententiam? V.* Delegatio.

*Si agitur solùm de executione, validè dividuntur causæ connexæ. 581.*

## Exemptio. Exemptus.

*Exemptus à foro per privilegium in Corpore Juris clausum non tenetur, citatus ad illud, comparere: tenentur alij. 16. etiam coram Judice Delegato. 17.*

*Exemptus intra proprium territorium locus an obligetur territorij statutis? V.* Territorium.

*Exempti seu SS. Sedi immediatè subjecti an prorogare possint Jurisdictionem? V.* Prorogatio.

## Exercitiorum Academicorum Magistri. V. Studiosi.

## Expensæ.

*In expensas condemnare potest partem victam Judex, pronuntians se incompetentem. n. 29.*

*Cujus expensis remittendus Reus? V.* Remissio.

## Externa.

*Externum Forum. V.* Forum.

## Extraordinaria.

*Extraordinarium Forum. V.* Forum.

## Famuli Academici. V. Studiosi.

## Feudum.

*IN causa Feudi secularis potest Ecclesia & Clericus trahi ad forum seculare. n. 289. rejicitur opinio asserens Clericos solùm obligari consuetudinibus feudalibus, non item Constitutionibus. 290. In causa tam Petitorij quàm Possessorij Clericus coram Feudi Domino seculari respondere tenetur, si lis est inter duos vasallos & dubium non est de feudo: coram Paribus Curiæ, quando lis est inter dominum Feudi & vasallum, & hic non negat rem esse feudalem. 292. si agitur non de Feudo, sed reparatione injuriæ aut damni domino Feudi facienda, convenendus est vasallus Clericus coram Judice Ecclesiastico. 293. nec puniri potest corporaliter à seculari feudi domino, vel de ejus crimine cognosci. 294. actione personali, etsi circa rem feudalem agatur, Clericus va-*

*ſallus ſolùm coram Judice Eccleſiaſtico conveniendus eſt. 295 Clericus Vaſallus ſpoliatᵘ reſtituendus eſt per Eccleſiaſticum Judicem juxta non paucos. probabiliter reſtitui poteſt etiam per feudi dominum, ſi ſpoliator eſt vaſallus. 296. ſi Clericus vaſallus rem negat eſſe feudalem, adeundus contra ipſum eſt Judex Eccleſiaſticus. 297. uti & ſi dominus Feudi vel Pares Curiæ ſint ſuſpecti. 298. In cauſa Feudali locum non habet prorogatio 456.*

*Cauſas Feudales decidunt Feudi Dominus, vel Pares Curiæ, vel Judex Ordinarius, vel Arbitri. 683. inter Vaſallos ſuper Feudo litigantes competens Judex eſt Feudi dominus 684. etſi hic ſit privatus & non nobilis. 685. in certis caſibus hic non eſt Judex. 687. 702. quando in cauſa Feudi cognoſcant Pares Curiæ? V.* Pares Curiæ.

*Quando, à quo, ad quid aſſumi poſſint arbitri? V.* Arbitri.

*Niſi dominus feudi habeat Jurisdictionem in cauſis non feudalibus, in his non datur coram ipſo Reconventio. 701.*

*Caſus, in quibus Judex Ordinarius ſuper feudo pronuntiat. 702.*

## Fidejuſſor.

*Fidejuſſor Academicorum. V.* Studioſi.

## Forum.

*Fori Nomen natura. n. 1. Forum ſumitur quandoque pro litium exercendorum loco, 2. quandoque pro Judicio & Jurisdictione 3. Fori ſimpliciter dicti & Fori Competentis deſcriptio. 5.*

*Forum Competens dividitur in Eccleſiaſtiaſticum & ſeculare. 6. Eccleſiaſticum in Externum & internum. 7. Externum in Ordinarium & extraordinarium. Ordinarium in commune & ſingulare & in Contentioſum ac Voluntarium. 9.*

*Fori Competentiam cognoſcendi ratio multiplex. 10.*

*In Foro non Competente nemo tenetur litigare. 11. Pœna trahentis ad Forum incompetens, 12. quando incurratur?*

*Etſi dubium ſit de Competentia Fori, tenetur tamen citatus comparere. 14. etiam coram Judice delegato 17 niſi ſit exemptus privilegio in corpore Juris clauſo 16.*

*De Competentia ſui Fori an Judex cognoſcere poſſit? V.* Judex.

*An Forum ſortiantur peregrini in territorio alieno, & quod ſit Forum Vagorum? VV.* Peregrinus. Vagus.

*Fori declinatoria exceptio quomodo ſit proponenda? V.* Exceptio.

*Forum Rei ſequitur Actor. 31. An Forum contrahatur per domicilium habitationis vel per quaſi domicilium Orginis vel commune? V.* Domicilium. Origo.

*In certis caſibus datur jus revocandi cauſam à Foro communi ad particulare. 132. 133.*

*An per delictum Forum acquiratur &c.? V.* Delictum.

*Forum pœnitentiale non acquiritur in loco Delicti.* 141.

*An Forum acquiratur in loco Contractûs? V.* Contractus.

*An etiam si solutionem in alium locum condixit?* Ib.

*Fori Electio an sit penes Creditorem vel Debitorem?* 195.

*An Forum acquiratur in loco Rei sitæ? V.* Res sita.

*Privilegium Fori Clericale. V.* Clericus.

*Qui Clerici eo gaudeant? & de Foro Clericorum.* Ib.

*De Foro SS. Pontificis, Episcoporum, Regularium. VV.* SS. Pontifex. Episcopi. Religiosi.

*Forum Summorum Principum, Electorum, Principum, Comitum, Nobilium, Statuum, subditorum omnium S. R. Imperij. V.* Imperium Romanum.

*Forum Studiosorum, Professorum, & horum Uxorum, Viduarum, Liberorum, Servorum Academiæ? V.* Studiosi.

*Forum Competens Miserabilium Personarum. V.* Miserabiles personæ.

*Forum Militum. V.* Miles.

*Forum Prorogationis. V.* Prorogatio.

*Forum delegatum, delegationis. V.* Delegatio.

*Forum Continentiæ Causarum. V.* Causæ.

*Forum Reconventionis. V.* Reconventio.

*Forum Causarum Ecclesiasticarum, Sacrarum &c. Matrimonialium, Hæresis, Simoniæ. V.* Ecclesia.

*Quodnam Forum sit competens in dubio, an causa sit Ecclesiastica? V.* Dubium.

*Forum seculare & ejus Causæ. V.* Secularia.

*Forum in Causis Feudalibus. V.* Feudum.

*Forum Bannitorum & Proscriptorum. V.* Banniti.

*Forum Cameræ Imperialis respectu quarum personarum & Causarum Competens sit? V.* Camera.

*Forum Concilij Imperialis Aulici. V.* Concilium.

*Forum mixtum, ejus Causæ, Judex, præventio in illis. V.* Mixtum Forum. Prævention.

*In causis Fori mixti quomodo fiat præventio? V.* Prævention.

*Si Forum reus post præventionem mutavit, an ea effectum habeat?* Ib.

## Gradus literarius.

*Juxta non paucos examinatus in una Academia non potest in alia suscipere Gradum literarium. n.* 576.

## Habitatio.

*Habitatio quomodo requiratur ad domicilium contrahendum? V.* Domicilium.

*Per habitationis domicilium quomodo Forum contrahatur, à qua*

*habitatione desumatur domicilium servi, Uxoris &c. V.* Ib.

Habitus Clericalis.

*Quomodo habitus Clericalis requiratur ad gaudendum Fori privilegio? V.* Clericus.

Hæres.

*De Hæredis domicilio. V.* Domicilium.

*Hæres, etiam absens, prosequi tenetur litem à defuncto in loco Contractûs cœptam. n. 186.*

Hæresis.

*Causa Hæresis privativè pertinet ad Forum Ecclesiasticum. n. 625.*

Imperator.

*Ubi Imperator est, ibi est commune domicilium. n. 128.*

*Imperator concurrentem cum Camera Imperiali habet Jurisdictionem. 738.*

Imperiale Concilium Aulicum. V. Concil. Imp.

*Imperialis Camera. V.* Camera.

Imperium merum.

*Imperium merum an delegari possit? V.* Delegatio.

Imperium Romanum.

*Triplex ordo subditorum S. R. Imp. distinguitur. omnes status Impery sunt subditi immediatè Imperio, sed non vicissim omnes immediatè subditi sunt Status Imperij. n. 337.*

*Principes & Principali dignitate fulgentes in prima instantia non coram Imperiali Camera sed coram Austregarum Judicibus sunt conveniendi 338. Austregarum Judices videntur habere Jurisdictionem solùm delegatam. 339. decidere possunt causas etiam criminales, non item Matrimoniales aut Feudales. 340. quo modo Princeps judicio Austregarum conveniat Principem? 341. octo sunt viæ, quibus Principes ab alijs immediatis Imperij subditis, non tamen Principibus, conveniuntur. 342. iisdem viis procedendum, si Electores ab hominibus Imperio mediatè subjectis conveniuntur. 343. Princeps Imperij ab aliquo, qui Imperio subjectus non est, conventus coram Imperatore aut Camera Imperiali causam avocare ad judicium Austregarum non potest. 344. Princeps Prælatos, Comites, aliósque Imperio immediatè subjectos, convenit duobus modis. 345. duobus item Prælatus, Comes, Nobilis, alium Prælatum, Comitem, Nobilem. 346. Prædicti à Civitatibus Imperialibus immediatè in Cam. Imp. conveniuntur. 347. Civitates Imperiales à mediatis vel immediatis Imperij subditis in prima etiam instantia coram Imperiali Camera conveniuntur, nec gaudent Austregarum judicio. 348. si unus immediatè subjectus Impe-*

*rio,*

rio, alter mediatè; aut unus gaudens privilegio Austregarum, alter immediatè Camerae subjectus, ejusdem litis sint consortes, simul in Camera conveniuntur. Principes aliique Imperio immediatè subjecti suos subditos in eadem Camera conveniunt. 349. Quatuor universim casibus privilegio Austregarum gaudent, qui Imperio immediatè subjecti sunt. 350. non possunt inviti immediatè coram Imperatore conveniri. 351. subditus a Principe tanquam judice ordinario gravatus extrajudicialiter, appellat ad Judices Austregarum: ad Cameram verò Imperialem, si ab eo ut privato v. g. in contractu fuit gravatus. 352. Austregis locus est, si plures immediatè subjecti Imperio una actione conveniuntur. 353.

Infideles.

De Infidelium matrimonijs judicat solus Judex Laicus. n. 622.

Hic Infidelibus statuit impedimenta matrimonij tam dirimentia quàm impedientia. 624.

Inquisitio.

Inquisitio etiam specialis etsi actio inserta fuerit, non sufficit sola ad praeventionem. n 783.

Interna.

Internum Forum. V. Forum.

Judex.

Coram Judice etiam Delegato tenetur citatus comparere, etsi dubium sit de competentia Fori, nisi quis à foro exceptus sit per privilegium in corpore Juris clausum. n. 14. & seqq.

Judex Ordinarius potest cognoscere in dubio de sua Jurisdictione 18. & etiam delegatus. 19. etsi huic objiciatur defectus omnis Jurisdictionis. 20. multis in casibus neuter potest. 21. V. Acta.

Ad fundandam Jurisdictionem sufficit quandoque tacita solùm pronuntiatio. 25.

Judicis incompetentis acta an valeant? V. Acta.

A sententia Judicis competentem se pronuntiantis datur appellatio. 26. ad obtinendum processum sufficit quandoque sola narratio qualitatis jurisdictionem tribuentis. sapè non sufficit. 28.

Judex se incompetentem pronuntians partem victam in expensas condemnare potest. 29.

Judex extra suum territorium, an & quando, juxta quae Statuta & Stylum possit procedere? V. Territorium.

Judex quomodo contra subditos in alieno territorio existentes procedere possit? V. Territorium.

Judex, etiam delegatus, jurisdictionem voluntariam exercere in alieno territorio. 56. & seqq. nisi actus voluntariae jurisdictionis cognitionem judicialem requirant. 62.

Judici quomodo opponi possit exceptio

*ceptio fori declinatoria? V.* Exceptio.

*Judex Domicilij quomodo procedere possit? V.* Domicilium.

*Judex an procedere possit contra delinquentem in loco delicti, si ibi non reperiatur? V.* Delictum.

*An à Judice Reus remittendus sit ad locum delicti? V.* Remissio.

*Quomodo procedendum, si Reus plura in pluribus territorijs delicta commisit, & ab uno Judice detinetur? 155.*

*Quis Judex Competens, si delictum in diversis locis mandatum, præparatum, inchoatum & consummatum fuit, si perpetratum in confinio territoriorum, vel in via publica? V.* Delictum.

*Qua pœna Judex afficere debeat subditum unius territorij ob delictum alibi patratum?* Ib.

*Judici quomodo contra debitorem procedendum in loco Contractûs? & 201.*

*Quis Judex Competens Clericorum, vel in dubio de Clericatu? V.* Clericus.

*Vel in causa feudi, quod habet Clericus? vel in dubio an feudum &c. V.* Feudum.

*An coram Judice Laico Clerici conveniri possint actione reali? V.* Clericus.

*An ad Judicem secularem trahi possit Clericus, si convenitur nomine laici? V.* Clericus.

*Judex Laicus quando contra Clericos procedere possit? V.* Clericus.

*Quando & per cujus ac qualem licentiam eos licitè capere ac punire possit?* Ib. *& n. 324.*

*Quis Judex SS. Pontificis? V.* SS. Pontifex. *Episcoporum? V.* Episcopus. *Regularium? V.* Religiosi.

*Quid Judex Competens Principum ac Ordinum S. R. Imperij? V.* Imperium.

*Judices Austregarum? V.* Imperium.

*Quis Judex Competens Studiosorum, Professorum &c. V.* Studiosi.

*Quis Judex Competens Miserabilium personarum? V.* Miserabiles personæ.

*Quis Judex Competens militum? V.* Miles.

*De prorogatione Jurisdictionis respectu Judicis Ordinary & Delegati &c. V.* Prorogatio.

*An Judicis proprij & alieni consensus requiratur ad prorogandam alieno Jurisdictionem? V.* Consensus.

*Quis Judex derogare possit? V.* Delegatio *An Officium totum alteri committere possit?* Ib.

*Minor 25. annis non potest esse Judex Ordinarius, bene tamen delegatus. 486. 487.*

*Judicis delegati potestas, Officium. V.* Delegatio.

*Si plures sunt Judices Delegati &c. quid Juris sit?* Ib.

*Judicis delegati & ordinarij jurisdictio quomodo cesset?* Ib.

*Quis Judex Causarum connexarum? V.* Causa.

Quis

*Quis Judex, si Clericus & Laicus delinquat, vel hæredes sunt, vel executores testamenti, tutores, curatores, fratres habentes individuam causam? V.* Clericus.

*Quis Judex causæ Reconventionis? V.* Reconventio.

*Judex laicus exequi non potest sententiam suam in persona Clerici vel ejus bonis etiam patrimonialibus. 619. &c.*

*Judex Causarum Ecclesiasticarum. V.* Ecclesia.

*Judex Laicus an quid possit circa matrimonium? V.* Ecclesia.

*In dubio, an causa sit Ecclesiastica, quis sit judex competens. V.* Dubium.

*An Judici Laico committi possint causæ Ecclesiasticæ? V.* Ecclesia.

*Laicis quid possit committi circa Ecclesiastica? V.* Ecclesia.

*Quis Judex peccati V.* Peccatum.

*Judex secularis. V.* Secularia.

*Quis Judex causarum secularium? V.* Secularia.

*Quando Appellationi à Judice locus sit? V.* Appellatio.

*An Judex secularis supplere possit defectum judicis Ecclesiastici? V.* Secularia.

*Item an cognoscere possit de possessione rei spiritualis vel superfacto rei spiritualis? V.* Secularia.

*Judex Causarum feudalium. V.* Feudum.

*Quarum personarum & causa Judex sit Camera Imperialis? V.* Camera.

*Idem de Concilio Imp. Aulico. V.* Concilium.

*Judex Bannitorum. V.* Banniti.

*Judex mixti Fori. V.* Mixtum Forum.

*Judex sacer in causis mixti fori etiam ad pœnas temporales procedere potest contra laicos 772. &c.*

*Judex unus alium, v. g. Ordinarius Delegatum, an & per quid præveniat? V.* Prævention.

*Quando prævenions vel præventus procedere possit?* Ib.

*Judex an præventum & judicatum ab alio Judice denuo judicare possit in eadem causa? V.* Judicium.

*Quid possit contra absolutum ab alio Judice?* Ib.

## Judicium.

*Judicium quandoque dicitur Forum. n. 3.*

*Judicium Austregarum. V.* Imperium.

*Non potest procedi à Judice seculari, si Ecclesiasticus sol m processit per viam inquisitionis 804. potest punire secularis, si sacer pœnam imposuit solùm medicinalem. 805. aut crimen sit tale, quod vindicandum sit pœnâ sanguinis. 806. non potest procedere alter, si prior inflixit pœnam delicto commensuratam. 807. punitus pœna temporali ab uno Judice, eadem puniri ab altero amplius non potest. 808. & seqq. potest procedere alter Judex, si prior condemnavit in contumaciam. 813. aut si reus pœnam*

*à priore dictatam non solvit. 814. aut si in priore judicio prævaricatio intervenit. 815. aut pœna à primo Judice imposita solùm fuit præparatoria alterius judicij. 816. aut una tantùm species delicti fuit punita. 817. aut coram uno Judice agatur civiliter, coram altero criminaliter. 818.*

*Absolutus ab uno Judice, non potest de eodem crimine judicari & condemnari ab altero. 819. &c. judicari denuo potest reus, priùs tantùm absolutus ab instantia judicij. 823. vel si tertius quispiam suum dolorem persequatur. 824. vel absolutio facta fuit per collusionem. 825. vel actum priùs fuit solùm civiliter, & postea agendum est criminaliter, aut vicissim. 826. vel facta fuit absolutio à crimine solùm incidenter in judicium deducto. 827. vel crimen priùs denuntiatum fuit denuntiatione solùm Evangelica. 828. vel absolutus id postea in judicio confiteatur, & sponte. 829. vel priùs tantùm transactum fuit super crimine. 830. Absolutis ab uno Judice non potest reassumi ab altero, etsi prior non potuerit pœnam debitam infligere. 831. & licet prior solùm porcesserit per viam inquisitionis, vel sint judices diversorum territoriorum. 832. absolutus ab uno Judice etiam per gratiam & dispensationem non potest puniri ab altero. 833. quem tamen effectum non habet privata partis læsæ remissio 834. nec absolutio unius Judicis præjudicavit alteri, qui reum priùs condemnavit in contumaciam. 835.*

## Juramentum.

*In Juramentis dispensationem impetrare potest habens quasi domicilium. n. 111.*

*Juramentum relaxare potest Episcopus loci contractûs, ut impugnari contractus valeat: nec tamen rescindere contractum. 179.*

*Si juramentum contractui fuit additum, validè dividuntur causæ connexæ. 582.*

*Ad Juramentum servandum compellere potest Laicus æquè ac Ecclesiasticus Judex, non tamen directè ab eo absolvere. 767.*

## Jurisdictio. V. Forum.

*Jurisdictio quandoque Forum dicitur. n. 3.*

*In dubio de Jurisdictione quis cognoscat? V.* Judex. Acta.

*Ad jurisdictionem fundandam sufficit quandoque tacita solùm pronuntiatio. 25.*

*De Jurisdictionis extra territorium exercitio, delegatione, &c. V.* Territorium.

*De Jurisdictione independente à territorio. n. 50. & V.* Territorium.

*Quæ Jurisdictio in subditos alibi exerceri possit? V.* Territorium.

*A Jurisdictione Seculari exemptæ sunt personæ Clericorum. n. 225. &c.*

&c. neque ab ea tolli potest hac exemptio consuetudine, nec præscriptione, nec statutis. 231. & seqq.
Jurisdictio territorialis laicorum non ligat Clericos. 281.
Jurisdictio Judicum Austregarum videtur esse solùm delegata. 339.
Jurisdictionis Prorogatio. V. Prorogatio. Consensus.
Quæ Jurisdictio prorogari possit? V. Prorogatio.
De Jurisdictione Ordinaria & Mandata. V. Delegatio.
In dubio præsumitur Jurisdictio esse ordinaria. 464.
Quæ Jurisdictio, cui, à quo delegari possit, & quomodo cesset jurisdictio delegata? V. Delegatio.
Jurisdictio sacra non competit acatholicis. 627.
Quando concurrit Jurisdictio, locum habet Præventio. 777. 178.

Laici.

Laicus Judex. V. Judex. Secularia.
Laici, Clericorum & Ecclesiæ ministri, Parentes, Uxores, Liberi non gaudent privilegio fori. 258. 259. nisi sint de familia Episcopi. 259.
Si Laici nomine convenitur Clericus, an trahi possit ad Laicum Judicem? V. Clericus.
Si Laicus & Clericus simul delinquunt, vel hæredes sint, aut executores testamenti, tutores, curatores, fratres habentes causam individuam, quis Judex? V. Clericus.
Laicus quid possit judicare in foro mixto? Mixtum Forum.

Legatus.

Legatus Pontificius non ligatur legibus Episcoporum. n. 114.
Legati quando jus habeant causam revocandi domum? 134.

Legitimatio.

Quoad Legitimationem, quæ prosit extra legitimantis territorium, non potest prorogari voluntaria jurisdictio, & cur hoc? n. 445. 446.

Lex.

Leges extra territorium non vigentes non obligant subditum alibi existentem &c. n. 47.
Legibus loci an obligetur Peregrinus & Vagus? VV. Peregrinus. Vagus.
Ad quas Leges civiles Clerici obligentur vel non obligentur? V. Clericus.

Liberi.

Liberi Professorum & Studiosorum. V. Studiosi.
Liberi Patris inutilis. V. Miserabiles Personæ.

Libertus.

De Liberti domicilio. V. Domicilium.

Lis.

Litis Contestatio. V. Contestatio.
Inter litis consortes, si unus habet

bet privilegium Fori, eo gaudent & reliqui. n. 591.

Locus.

Locus litium exercendorum quandoque dicitur forum. n. 2.
Locus Domicilij. V. Domicilium.
Locus Originis. V. Origo.
Locus Delicti V. Delictum.
Locus Contractûs. V. Contractus.
Locus Rei sitæ. V. Res sitæ.

Magister. V. Studiosi.

Magister militiæ. V. Miles.

Magistratus.

Magistratus Academicus. V. Studiosi.

Major.

Major habens rem communem cum minore restituitur in integrum. n. 592.

Mandans.

Mandans delictum puniri potest, ubi delictum mandatum est patratum. n. 140.

Mandata Jurisdictio V. Delegatio.

Matrimonium.

Qui duo habet domicilia, potest in alterutro, quo maluerit, matrimonium contrahere. n. 108.

Matrimonio jungi potest habens quasi domicilium. 111.

Causæ matrimoniales sunt sacræ & cognoscendæ à Judice Ecclesiastico. 614. 615. quid circa matrimonium &c. possit Judex laicus? V. Ecclesia.

Clandestinè contrahentes puniri possunt à Judice Laico. 619.

Miles.

Militum variæ privilegia. n. 344. solus Magister militiæ jus ipsis dicit. 395. tam in quacunque causa criminali quàm in civili. 396. 397. quid si ante susceptam militiam crimen commiserunt? 398.

Minor. V. Major.

Miserabiles Personæ.

Miserabiles personæ habent Forum privilegiatum. n. 378. ratio hujus. 379. eo privilegio gaudent pupilli, etsi tutorem ac defensorem habeant. 380 & licèt non sint pauperes. idem est de Viduis 381. gaudent & Virgines, nisi Patrem habeant, à quo defendi possunt. 382. & fœminæ habentes virum, à quo defendi nequeunt. & Liberi habentes Patrem inutilem. 383. Vidua impudicè vivens hoc privilegium amittit 384. quæ persona censenda sit Miserabilis, judex arbitretur. 385. non gaudent foro privilegiato Miserabiles facti suâ culpâ. 386. neque Miserabilis persona contra aliam Miserabilem. 387. non possunt Miserabiles personæ foro suo privilegiato renuntiare. 388. eu gaudent in causis criminalibus. 389 gaudent & consortes litis cum Miserabili persona susceptæ. 390. In Camera Imperiali Viduis & Pupilli

*pillis non decernuntur processus, nisi in casu denegatæ justitiæ. 391. Vidua spoliata contra spoliatorem etiam laicum immediatè adire potest Judicem Ecclesiasticum tribus in casibus. 392. extra illum adeundus est contra laicum Judex laicus. 393.*

## Mixtum Forum.

*Mixti Fori Causæ sunt, quæ ad Judicem Ecclesiasticum & Laicum pertinent cum jure præventionis. n. 754. inter crimina mixti fori sunt. Usura. 755. Blasphemia: nisi hæresin contineat. 756. adulterium, nisi agatur ad divortium. 757. Incestus. 758. Sodomia. 759. Sacrilegium. 760. &c. Sortilegium, nisi sapiat Hæresin. 763. Concubinatus. 764. Polygamia. 765. Assassitus, Crimen falsi, Incendiariorum. 766.*

*Laicus æquè ac Ecclesiasticus Judex compellere potest ad servandum juramentum, non tamen directè ab eo absolvere. 767. potest jus dicere, si actio intentatur contra laicum pro re Ecclesiæ. 768. & exequi voluntates ad pias causas. 769. ac prohibere & tollere, quæ adversantur religioni ac bonis moribus. 770.*

*In causis mixti fori Judex sacer potest etiam ad pœnas temporales procedere contra Laicos, quod probatur ex novo jure Tridentino. 772. & ex antiquo. 773. ac ratione. 774.*

*In causis mixti fori quomodo fiat Præventio? VV.* Præventio. Judicium.

## Mors.

*Morte Delegantis & subdelegantis an expiret Jurisdictio Delegati & subdelegati? V.* Delegatio.

## Nobiles V. Imperium.

## Notarius Academicus. V. Studiosi.

## Notoria.

*In notoriis procedere potest superior contra subditum extra suum territorium. n. 39.*

## Nuntius Academicus. V. Studiosi.

## Oblati.

*Oblati sunt illi, qui se suáque in Religionis approbatæ servitium transtulerunt: hi gaudent privilegio Fori. n. 254.*

## Obligatio.

*Nemo obligatur litigare in Foro non competente. n. 11.*

## Ordinaria.

*Ordinarium Forum V.* Forum.
*Ordinarius Judex. V.* Judex.

## Ordines.

*Ordines ab Episcopo quasi domicilij conferri non possunt, sed adeundus Episcopus Domicilij, aut Beneficij, aut Originis. n. 110. pos-*

*sunt suscipi in loco originario. 124.*

## Origo.

*Originem quisque habet in domicilio Patris, quandoque avi, quandoque Matris. n. 117. non ibi, ubi natus est solùm in transitu. 118. de consuetudine nemo convenitur in loco originis, nisi concurrat domicilium habitationis. 121. Licitum regulariter est mutare domicilium. 122. in loco Originis suscipi possunt Ordines Ecclesiastici. 124.*

## Ostiarius Academicus. V. Studiosi.

## Pactum.

*Pactis privatis familiarum an obligentur Clerici? V. Clericus.*

## Pares Curiæ.

*Coram his quando respondendum in causa feudi, & an etiam tunc, quando sunt suspecti? V.* Feudum.

*Pares Curiæ sunt vasalli, qui in eodem territorio degunt. n. 688. decidunt controversias in dominum feudi; & vasallum super feudo ortas. 689. etsi feudi dominus sit Imperator, aut Rex. 690. non judicant, si Feudum sit solùm promissum & nondum collatum 691. & juxta communem DD. neque si lis est super investitura, quæ à Vasallo negatur. 692. Dominus feudi Clericus juxta multos litigat coram Paribus etiam laicis. 693. Coram Paribus intentatur non solùm condictio ex Lege, sed aliæ quoque actiones. 694. sunt Judices etiam in possessorio. 695. debent esse jurati saltem juramento fidelitatis in investitura præstito. 696. non necessariò omnes vocandi ad litis decisionem. 697. cogi ad judicandum possunt. 698. delegandæ jurisdictionis potestatem habent. 699. de dubio, ad dominum, an ad ipsos spectet cognitio causæ, simul cum domino cognoscunt. 700. in causa non feudali non datur coram ipsis Reconventio, nec coram Domino, nisi hic aliunde habeat jurisdictionem in causis feudalibus. 701. Casus, in quibus non pronuntiant super feudo. 702.*

## Peccatum.

*Ob Peccatum laici Ecclesiæ subditi semper corrigi & compelli ad emendationem possunt à Prælatis Ecclesiasticis. n. 656.*

## Peregrinus.

*Peregrinus tenetur Legibus communibus vigentibus in loco peregrinationis. n. 65. non item municipalibus Statutis & Consuetudinibus. 66. tametsi ista vigeant in loco sui etiam domicilij. 67 & licet non tantùm transeat, sed per aliquod tempus ibi commoretur. 86. nisi scandalum ex transgressione oriretur. 69. aut damnum loco. 70.*

*Peregrinis data absolutio valet, non item dispensatio. 72.*

*Peregrinus, secluſa consuetudine non potest puniri ob delicta alibi patrata. 73.*

*Peregrinus delinquens qua pœna puniendus? V.* Delictum.

Personæ.

*Personæ Miserabiles. V.* Miserabiles *&c.*

*Qui ratione Personæ subsint Jurisdictioni Cameræ Imperialis? V.* Camera.

Pœna.

*Pœna trahentis ad forum incompetens. n. 11. &* seqq.

*Qua pœna afficiendus sit subditus unius territory propter delictum alibi patratum? V.* Delictum.

*Ad pœnas etiam temporales Judex sacer in causis mixti fori contra laicos procedere potest. n. 772. &c.*

*Punitus pœna temporali ab uno Judice, eadem puniri ab altero amplius non potest. 808. &c. V.* Judicium.

Pœnitentia. Pœnitentiale.

*Pœnitentiale Forum. V.* Forum.

Pontifex. SS.

*SS. Pontifex Jure divino à Jurisdictione seculari exemptus est. n. 325. nulli, etiam Ecclesiasticæ potestati, est subjectus. 326. nec quidem Concilio generali, quibusdam casibus exceptis. 327. Ipsi omnes Ecclesiasticæ personæ subjectæ sunt vel immediate vel mediatè. 328.*

*SS. Pontifici immediatè subjecti an prorogare Jurisdictionem possint? V.* Prorogatio.

*SS. Pontificis Delegatus &c. quis esse possit? V.* Delegatio. *hic Delegatus potest armata manu executionem facere. si opus sit. 514.*

*An SS. Pontifex causas Ecclesiasticas committere possit Laicis? V.* Ecclesia.

Possessio.

*De qua Possessione agatur in loco Rei sitæ? V.* Res sita.

Præceptum.

*Præceptum non obligat subditum alibi existentem. n. 45.*

Prælati.

*Prælati subjecti Imperio. V.* Imperium.

*Prælati SS. Pontifice inferiores an Laicis causas Ecclesiasticas &c. committere possint? V.* Ecclesia.

Præscriptio.

*Præscriptio fori quomodo proponenda sit? V.* Exemptio.

*Præscriptio locum non habet in rebus laico cum Ecclesia communibus, nisi eo tempore, quo præscribitur contra Ecclesiam. n. 593.*

Præsumptio.

*Præsumptio, quæ stat pro Judice, prævalet illi, quæ est pro citato. n. 15.*

Præventio.

*Præventio locum habet, si causa pluribus in solidum delegata fuit. n. 529. Præventio inter Cameram Impe-*

*Imperialem & Concilium Imp. aulicum. V.* Concilium.

*Præventio locum habet, quandocunque concurrit Jurisdictio. 777. procedit hæc regula de omni Judice & omnibus causis. 778. inducitur præventio per solam citationem. 779. prævenit, qui citat prior, etsi solùm verbaliter. 780. prævenire Ordinarius Judex nequit Delegatum, postquam hic delegationis rescriptum acceptavit. 781. Delegatus anteriore rescripto nequit assumere causam, si delegatus rescripto posteriore eam jam cœpit. 782. ad Præventionem non sufficit sola Accusatio vel inquisitio etiam specialis, etsi actis inserta fuerit. 783. Præventione consolidatur jurisdictio Judicis prævenientis & jus partium. 784. nec solùm quoad illum ex pluribus in eadem causa reis, quem citavit, sed & quoad reliquos. 785. si tamen reus coram uno Judice citatus contumaciter non comparuit, conveniri coram altero potest. 786. procedere Judex secundus potest comparente accusatore, si is, qui prior citavit reum, solùm procedit per viam inquisitionis. 787. aut si præventio unius judicis fraudulenter procurata fuit. 788. non potest procedere prævenies Judex, si reus etiam post præventionem impetravit à Principe privilegium motûs proprij, vi cujus conveniri nequeat, nisi coram certo Judice 789. potest prævenire Judex unus alterum, etsi alter legitimè sit impeditus à citando reo, 790. non est locus præventioni quoad Judicem inferiorem respectu Superioris, à quo ille jurisdictionem habet. uti nec tunc, quando duo jurisdictionem habent non in solidum, sed conjunctim. 791. præventio locum habet solùm quoad causam specialem, ad quam dicendam reus fuit citatus, non verò quoad alias distinctas. 792. hinc si in foro Ecclesiastico petita fuit absolutio à juramento ad effectum agendi, nihilominus in Foro seculari peti potest executio contractûs jurati. Et ex L. Diffamari jussus ab uno Judice agere vel accusare intra præfixum terminum, agere vel accusare potest coram alio Competente. 793. non tamen alter Judex terminum agendi præfigere alium potest diffamanti nec causam diffamationis assumere, si prior iam suscepit cognitionem de innocentia diffamati. 794.*

*Præventio illegitima & invalida effectum non habet. quæ valida sit? 795. qui forum mutat, postquam in jus vocatus fuit, tenetur causam prosequi, ubi cœpta fuit. 796. nisi simul mutet statum & conditionem personæ. 797. unde laicus, si post patratum crimẽ fiat Clericus, liber manet à Jurisdictione Laici. 798. si tamẽ agitur civiliter, & citatus ante Clericatum à Judice laico fuit, causam prosequi coram eodem tenetur 799. si agitur de crimine criminaliter, & Clericatum in fraudem

*dem non assumpsit, judicari nequit à laico, etsi præventus ante Clericatum. 800. Studiosi non obstante præventione remittendi sunt Academiæ. 801.*

*An præventus & judicatus ab uno Judice in eadem causa denuo ab altero judicari possit? V.* Judicium.

## Princeps.

*Princeps non obligatur Statutis municipalibus locorum, etsi longo tempore ibi resideat. n. 114.*

*Summi Principes habent Forum, ubi conveniantur. 336.*

*Forum Principum Imperij, & quomodo conveniant, aut conveniantur? V.* Imperium.

## Privilegium.

*Qui per privilegium in corpore Juris Clausum exemptus est à foro, non tenetur, citatus ad illud, comparere: alij tenentur. n. 16. etiam coram Judice delegato. 17.*

*An propter Privilegium delinquens non sortiatur forum in loco delicti? 137 & seqq. vel in loco contractûs? 168. 169.*

*Privilegium Fori Clericale. V.* Clericus.

*Privilegio Canonis qui Clerici non gaudeant? V.* Clericus.

*Privilegium Austregarum. V.* Imperium.

*Privilegium fori Studiosorum. V.* Studiosi.

*Privilegium fori miserabilium personarum. V.* Miserabiles personæ.

*Privilegium Fori & alia privilegia militum. V.* Miles.

*Privilegium Fori si unus habet inter litis consortes, eo gaudent & reliqui. 591.*

## Procurator.

*Quis Procurator prorogare possit? V.* Prorogatio.

## Professores. V. Studiosi.

## Prorogatio.

*Prorogatio Jurisdictionis est ejusdem extensio ad personas, causam, tempus & locum, in quas, & quando, ac ubi aliàs jure non competit, consensu partium facta. n. 400. est quadruplex. 401. Judici Delegato prorogari non potest jurisdictio à persona ad personam: nec Ordinario à tempore ad tempus. 402. etsi terminus per legem non fuerit præfixus jurisdictioni, sed solùm instantiæ. & licèt partes Prorogationem juramento confirment. 403.*

*Illi tantùm Prorogari potest jurisdictio, qui jam antè aliquam habet. 404. nec fieri potest Prorogatio in tempus, quo Jurisdictio finita est. 405. nec prorogari potest nova species Jurisdictionis. 406. potest tamen fieri prorogatio à summa minore ad majorem. 407. Jurisdictio in certas causas uni tantùm concessa prorogari alteri in easdem non potest. 408. si jurisdictio*

ctio est limitata solùm quoad personas, non verò quoad causas, circa has Prorogatio indistinctè admittitur. 409.

Prorogare Jurisdictionem Judicis incompetentis possunt omnes, qui habent personam standi in judicio. 410. Procurator habens speciale mandatum aut generale cum libera potestate, potest prorogare Jurisdictionem 411. Clerici in se prorogare nequeunt Jurisdictionem Judici laico etiam cum sui Episcopi licentia; sine hac neque Judici Ecclesiastico 412. non obstante Prorogatione Clerici processus est nullus. eadem est ratio de prorogatione, quam faciunt exempti seu SS. Sedi immediatè subjecti. 415 verius est de Jure, Studiosos posse prorogare Jurisdictionem. 416. 417.

Prorogandi ius hodie multùm restrictum est. 433. prorogari Jurisdictio non potest, nisi Judici ejusdem Imperij vel Regni. 434.

Per quid fiat Prorogatio, quis consensus partium & Judicum requiratur, quando non fiat vel non valeat prorogatio &c. V. Consensus.

De Jure Canonico non solùm Ordinaria, sed & Delegata Jurisdictio prorogari potest: quin & de Jure civili. 438 439. nec tantùm ad universitatem causarum, sed & ad causam determinatam 440. prorogari potest & criminalis Jurisdictio. 442. non tamen Jurisdictio Revisorum Cameræ aut Judicum Austregarum. 443. Prorogari potest & voluntaria Jurisdictio. 445. non tamen quoad legitimationem, quæ prosit extra legitimantis territorium. 446. ratio exceptionis. 447. prorogari juxta communem Doctorum nequit voluntaria jurisdictio à Magistratu, nisi majori Magistratui. 448. neque absque consensu Ordinarij prorogari potest Jurisdictio Voluntaria sacra. 449. exemplis illustratur assertio 450 Jurisdictio spiritualis non potest prorogari Judici Laico. 450. neque Episcopo alieno sine licentia proprij, etiam in causis profanis. 451. 552. possunt verò Laici Judici Ecclesiastico in causa etiam profana. 553. victi coram eodem non possunt appellare ad secularem. 454. In causa Appellationis non habet locum prorogatio. 455. nec in Feudali. 456. nec in illis, quæ sunt reservata Principi. 457 aut quas ipse ad se avocavit. 458. multiplex avocandi modus. 459. si avocatio facta est favore publico, non potest in causa avocata Judici inferiori prorogari Jurisdictio. 460 secùs, si facta est in favorem partium 461.

Pupilli V. Miserabiles.

Querela simplex.

Quando huic vel appellationi locus? V. Appellatio.

Reconventio.

Reconventio utroque jure concessa est. n. 594. reconveniri actor potest

*test coram Judice non suo. 595. etiam coram Delegato 596. non item coram Arbitro 597. nec coram eo, qui in causa Reconventionis jurisdictionem non habet. 598.*

*Reconventio facienda ante litis contestationem, vel in continenti ante juramentum calumniæ. 599. facta post litis contestationem speratur quidem competentiam judicis, non tamen simultatem processûs. 600. Causæ Conventionis & Reconventionis quandoque dividi possunt. 661. Reconventio locum habet in omnibus causis specialiter non exceptis, etiam summarijs. & in diversô causæ genere. 602. in quibus non admittatur? 603. in Bavaria subditi non reconveniuntur, nisi in causis connexis. 604. quæ causæ sint connexæ? 605.*

*Reconveniri coram judice laico potest Clericus in causa, quæ est ejusdem rationis cum principali; vel cum ea connexionem habet. 606. secus in alijs causis. de consuetudine tamen etiam in his reconvenitur. 607. quando reconveniri potest, locum habent ea, quæ aliàs in Reconventione usitata sunt. 608. exceptis quibusdam casibus. 609. Non potest judex Laicus sententiam suam exequi in persona Clerici, vel bonis ejusdem, etiam patrimonialibus. 610. hujus ratio &c. 611. 612.*

Rector Magnificus V. Studiosi.

Regulares V. Religiosi.

Religiosi.

*Gaudent privilegio fori Regulares utriusque sexûs. n. 252. etiam Novitij. 253. nec non Oblati. V.* Oblati. *254. & Fratres ac Sorores Tertij Ordinis S. Francisci & S. Dominici. 255. Eremitæ quoque, si in communitate alicujus Religionis approbatæ vivant, aut sub obedientia Prælati Ecclesiastici alicui Ecclesiæ deserviant. 256. item Equites Teutonici & Melitenses 257.*

*Regulares non exempti, & Prælato Ordinis & Episcopo diœcesis sunt subjecti, non tamen legi Diœcesanæ. 331. Regulares etiam exempti tenentur observare interdicta ab Episcopo lata. & observare festa diœcesana. 332. in non paucis alijs casibus jurisdictionem in eos exercet Ordinarius. 333. quidam Regulares speciali privilegio in exceptis etiam quibusdam casibus ei non sunt subjecti. 334.*

Remissio.

*De Jure Communi remittendus est Reus ad locum delicti. n. 145. non item de Consuetudine, nisi pacta inter Dominos territoriales aliud exigant. 146. Judex loci delicti tenetur reum mittere ad Superiorem, si non habet potestatem infligendi pœnam delicto commensuratam. 147. De Jure scripto Judex, qui nullam in Reum jurisdictionem vel ratione domicily vel delicti con-*

*tinuati habet, non potest reum remittere ad locum delicti. 148. potest tamen de consuetudine. imò vi hujus proceditur per viam Inquisitionis adversùs facinorosos eo loco, ubi reperiuntur, cui consuetudini favent etiam Leges. 149. dummodo in loco, ubi Reus reperitur, crimen sit notorium, vel facilè probari possit. 150. Ut remissio fieri possit, judex de crimine ab hac persona commisso indicia habere debet. 151. Remissio locum non habet in criminibus levioribus, & gravibus, de quibus agitur solùm civiliter. 152. facienda est expensis Judicis eam petentis, si nec Reus nec accusator est solvendo 153. Reus captus & remissus à non habentibus potestatem in pristinum statum restituendus est. 154. quomodo procedendum sit, si Reus plura in diversis territoriis commisit delicta, & ab uno Judice detinetur? 155. Judex domicilij contra Reum procedere potest, si Judex delicti, ad quem remissus est, sit negligens in puniendo. 156.*

## Rescriptum.

*Quoad Rescripta quid agere possit Delegatus? V.* Delegatio.

## Res sita.

*Circa res alibi sitas disponens in hoc territorio, ejus Statutis ligatur. n. 49.*

*Ratione Rei sitæ quivis conveniri potest ibi, ubi sita res est. 202. etsi sit mobilis. 203. aut incorporea. 204. non tamen actione personali, sed solùm reali. 205. hac conveniri potest debitor, quamvis absens. 106. In loco Rei sitæ agi Vindicatione potest. 207. item Confessoriâ, vel Negatoria, Rescissoriâ & Hypothecariâ, quasi & Serviana. 208. nec non ad exhibendũ. 209. petitione hæreditatis. 210. & judicio familiæ herciscundæ, communi dividundo & finium regundorum. 211.*

*De possessione, vel quasi, agitur, ubi res sita est. 212. sive agatur de retinenda possessione. 213. sive de recuperanda. 214. sive de adipiscenda. 215 solùm in loco rei sitæ intentanda est actio realis, non in loco domicilij. 216.*

## Reus.

*Rei trahentis actorem ad Forum incompetens pœna. n. 11. 12. 13.*

*Rei Forum sequitur actor. 82.*

*Reus an remittendus ad locum Delicti? V.* Remissio.

*Reus conventus coram uno Judice an conveniri possit coram alio? V.* Prævention.

*Reus prævenius & judicatus ab uno Judice, an judicari in eadem causa denuo possit ab alio? V.* Judicium *? quid si absolutus sit ab uno Judice?* ib.

## Roma.

*Roma olim erat commune domicilium Romano Imperio subditorum. n. 125.*

*n. 125. non item hodie. 126. nisi quoad causas Ecclesiasticas. 127.*

Sacramenta.

*Sacramenta suscipere ubi possit, qui plura habet domicilia? V.* Domicilium.

*Sacramenta, exceptis ordinibus, suscipere potest, qui habet quasi domicilium. n. 110.*

Schola, Scholares. V. Studiosi.

Secularia.

*Seculare Forum. V.* Forum.

*Secularis Judex. V.* Judex.

*Solius secularis Judicis jurisdictioni subsunt causæ profanæ inter laicos, vel contra laicum à Clerico motæ. n. 654. nisi Laicus in administranda justitia sit negligens. 655.*

*Secularis Judex non potest supplere defectum Ecclesiastici. 658. supplet juxta quosdam in realibus. 660. & in causis mixti fori. 661. & in feudalibus. 662.*

*Coram seculari judice Clericus in causa possessoria conveniri nequit. 664. in causa possessoria rei spiritualis admixtam habente causam proprietatis judex laicus non est competens etiam adversùs laicum. 665. nec si agitur possessorio Adipiscendæ. 666. de possessorio Retinendæ & Recuperandæ dubium est. 667. nec in hoc est competens Judex laicus. 168. rationes assertionis. 669. multò minùs judicare potest Laicus super causa possessionis etiam rei profanæ, si reus est Clericus. 671.*

*Causam facti de re spirituali decidere nequit Judex laicus, si Clericus est reus, aut mista est quæstio Juris. 657. Judex laicus non potest super facto rei spiritualis pronuntiare. 679. &c.*

Senatus.

*Senatus Academicus. V.* Studiosi.

Sententia.

*Sententia Judicis. V.* Judex. Acta.

*Sententia generalis quid sit? n. 42. non obligat subditum alibi existentem. 44.*

*Sententia judicialis obligat etiam absentes. 57.*

Sepultura.

*Sepulturam habere potest habens quasi domicilium. n. 111.*

Servitium.

*Servitium Ecclesiæ quomodo præstandum, ut quis gaudeat Fori privilegio? V.* Clericus.

Servus.

*De Servi domicilio. V.* Domicilium.

Simonia.

*Causa Simoniæ privativè pertinet ad forum Ecclesiasticum. n. 625.*

Singularia.

*Singulare Forum. V.* Forum.

Sponsalia. V. Matrimonium.

Status Imperij Romani. V. Imperium.

*Status Imperij conveniunt subditos suos in Camera Imperiali. n. 710.*

*& in ea conveniuntur, frustra implorati contra grassantes milites. 713.*

*Statuum Imperij privilegia etiam quoad Concilium Imp. aulicum locum habent. 753.*

Statutum.

*Statuta an fieri possint à Judice extra territorium? V.* Territorium.

*Statuta & stylum proprij territorij sequitur, qui jus dicit in alieno. n. 41.*

*Statuta quomodo differant à præceptis? 42.*

*Statutum territorij non obligat subditum alibi existentem. 43. V.* Territorium.

*Statutis loci an obligentur peregrini & vagi? VV.* Peregrinus. Vagus.

*Statutis loci tenetur, qui habet quasi domicilium. 112. & seqq. excipitur Princeps. 114.*

*Quibus Statutis secularibus Clerici non obligentur? V.* Cle-ribus.

*An obligentur Statutis & pactis privatis familiarum?* Ib.

Studia. Studiosi.

*Studiosi absentes ad locum Academiæ citari possunt ob delicta ibi contracta. n. 187.*

*Studiosi an prorogare possint Jurisdictionem? V.* Prorogatio.

*An Clericus Studijs permittente Episcopo navans operam gaudeat privilegio fori, etsi non gestet habitum & tonsuram Clericalem? V.* Clericus.

*Studiosi conveniri non possunt, nisi coram Rectore Magnifico, Episcopo, vel Domino loci. 354. ratio hujus privilegij. 355. adversarios suos coram eorum Judice Competente conveniunt. 356. quinam Scholarium & Studiosorum nomine veniant? 357. ut quis gaudeat Studiosi nomine & privilegio, requiritur, ut sit Matricula Universitatis insertus. 358 & ut ad bonas literas incumbat in schola publica approbata. 359. nec vetitis se artibus tradat. 360. gaudent hoc privilegio & illi, qui in patria sua & loco domicilij docent, aut discunt. 361. nomine Magistri, coram quo conveniendi sunt Studiosi, intelligitur Rector Magnif. & Senatus Academicus: per Dominum Princeps, cui subjecta est Academia. 362. optio, quam habent Studiosi inter Dominum, Magistrum & Episcopum per se & secluſa consuetudine non tollitur per Juramentum, quod præstant Academiæ. 363. videtur Magistratui Academico Jurisdictionem Criminalem solum competere ex speciali privilegio Principum. 364.*

*Studiosi conveniuntur coram Rectore Magnif. etiam propter contractus alibi celebratos. 365. & propter delicta alibi patrata. 366. quidsi lites & negotia cœpta sunt ante Studia literarum? 368. Studiosi ab Academia post contractum celebratum vel delictum patratum ad aliam Academiam migrantes,*

à priore Rectore citari & Revocari possunt. 369. gaudent privilegio per quinquennium, ex quo ab Academica abierunt. 370. Studiosi Clerici, si habent requisita ad gaudendum privilegio Fori Clericalis, non possunt citari & judicari à Rectore Academico Laico. 371. Privilegio Fori Academici gaudent Uxores Professorum & Studiosorum. 372. & viduæ. 373. ac Liberi, quamdiu sunt in patria potestate 374. Item Notary Academiarum, Bidelli, Nunty, Ostiarij quoad Magistros Exercitiorum, Typographos, Bibliopegos & Famulos Academicorum, spectandæ sunt consuetudines, privilegia Principum, Conventiones cum loci Magistratu. 375. privilegio dicto non gaudent fidejussores Academicorum. 376. quando hoc privilegium amittatur? 377.

Studiosi non obstante præventione remittendi sunt Academiæ. 801.

Subdelegatus. V. Delegatus.

Subditi.

Quid subditis agendum extra territorium sui Judicis? V. Territorium.

Quomodo cum iis alibi existentibus procedatur? &c V Ib

Possunt subditi abire extra territorium, ut ejus se Statutis subtrahant. n. 53.

Subditi alibi existentes. V. Peregrinus.

Subditi S. R. Imperij. V. Imperium.

Summus Pontifex. V. Pontifex. SS.

Territorium.

Extra territorium jurisdictio nulla est. n. 30. neque extra illud exerceri potest etiam in subditos. 31. nec isti extra illud comparere tenentur. 32. nisi in id consenserint cum licentia judicis territorij alieni. 33. aut Judex proprius alibi quidem habitet, hic tamen, ubi subditus est, jurisdictionem habeat. 34. aut Judex Ecclesiasticus à proprio territorio & Diœcesi fuerit injustè expulsus. 35. aut causa non requirat cognitionem judicialem. 36. potest extra territorium suum Judex delegare Jurisdictionem intra illud exercendam. 37. & extra illud facere Statutum, valiturum intra illud. 38. ac in notorijs contra subditum procedere. 39. atque censuram in eum ferre, quæ causæ cognitionem & citationem non requirit 40. in territorio alieno jus dicens sequitur Statuta & stylum propri. 41.

Statutum territorij non obligat subditum alibi existentem 43. neque sententia generalis 44. neque præceptum. 45. eadem est ratio de loco intra proprium territorium exempto. 46. & de legibus extra territorium non vigentibus. 47. atque de rebus extra territorium jus dicentis existentibus. 48. disponens tamen in hoc territorio ligatur ejus Statutis circa res etiam alibi sitas. 49.

*Si à territorio independentem Jurisdictionem Superior habet, subditi illius tenentur ubique ejus præceptis & Statutis. 50. quin & alij, si alibi sui Superioris nomine versentur. 51. aut si delictum, quod alibi committunt, afficiat proprium ipsorum territorium. 52. extra territorium abire possunt subditi, ut ejus se Statutis subtrahant. 53.*

*In territorio alieno non potest fieri citatio realis. 54. nec Verbalis. 55. sed implorandus est judex territorij, ubi reus moratur. 56. Sententia judicialis obligat etiam absentes. 57. executio tamen in alieno territorio fieri nequit. 58.*

*Jurisdictio voluntaria in alieno territorio exerceri potest etiam à delegato. 59. 63. nisi illius actus cognitionē judicialem requirant. 62.*

*Si in territoriis pluribus reus plura delicta commisit, & ab uno Judice detinetur, quomodo procedendum? 155.*

*Cujus territorij Judex sit competens, si in diversis delictum inchoatum, mandatum, præparatum &c. & consummatum fuit, vel in via pu[illegible]? V.* Delictum.

*Territorialis Jurisdictio Laicorum non ligat Clericos. 281.*

Tonsura Clericalis.

*Quomodo hæc requiratur ad gaudendum Fori privilegio? &c. V.* Clericus.

Tributum.

*Immunitate à tributis qui Clerici non gaudeant? V.* Clericus.

Typographus Academicus. V. Studiosi.

Vagus.

*Vagi obligantur legibus omnibus locorum, æquè ac incolæ. n. 75.*

Vasallus.

*Vasallus. V.* Feudum.

Via.

*Si in via publica perpetratum est delictum, quis sit Judex competens? 164.*

Viduæ.

*Viduæ Professorum & Studiosorum. V.* Studiosi.

*Viduæ forum &c. V.* Miserabiles personæ.

Virgines.

*Virgines non habentes patrem, à quo defendi queant. V.* Miserabiles personæ.

Voluntaria.

*Voluntarium Forum. V.* Forum.

*Voluntaria Jurisdictio. V.* Jurisdictio.

Votum.

*In votis dispensationem impetrare potest habens quasi domicilium. n. 111.*

Uxor.

*De Uxoris domicilio. V.* Domicilium.

*Uxores Professorum & Studiosorum quod forū habeant? V.* Studiosi.

*Uxores Viri, à quo defendi nequeunt. V.* Miserabiles personæ.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
4755